

3 1761 06977706 8


UNIVERSITY OF TORONTO
VELUT ARBOR ÆVO

HISTORIA
HUNGARORUM ECCLESIASTICA,

INDE AB EXORDIO NOVI TESTAMENTI AD NOSTRA USQUE TEMPORA
EX MONUMENTIS PARTIM EDITIS, PARTIM VERO INEDITIS,
FIDE DIGNIS COLLECTA STUDIO ET LABORE

PETRI BOD

de Felső-Csernáton

V. D. MINISTRI M. IGENIENSIS ET SYNODI GENERALIS
REFORMATORUM IN TRANSYLVANIA NOTARII.

HISTORIA
HUNGARORUM ECCLESIASTICA,

INDE AB EXORDIO NOVI TESTAMENTI AD NOSTRA USQUE TEMPORA
EX MONUMENTIS PARTIM EDITIS, PARTIM VERO INEDITIS,
FIDE DIGNIS COLLECTA STUDIO ET LABORE

PETRI BOD

de Felső-Csernáton

V. D. MINISTRI M. IGENIENSIS ET SYNODI GENERALIS
REFORMATORUM IN TRANSYLVANIA NOTARII.

EDIDIT

L. W. E. RAUWENHOFF
THEOL DOCT. ET PROF. IN ACADEMIA LUGDUNO BATAVA,

ADJUVANTE

CAR. SZALAY
PHILOL. CLASS. PROF. IN GYMNASIO REF. BUDAPESTINO.

TOMUS III.
LIB. IV.

PRAEFATUS EST

J. J. PRINS
THEOL. DOCT. ET PROF. EMER. IN ACADEMIA LUGDUNO BATAVA.

LUGDUNI—BATAVORUM
APUD E. J. BRILL SOCIOS
1889.

L. S.

Accipis, benevole Lector, hunc Tomum *tertium*, qui Operis totius librum quartum continet, ante *secundum*. Cur illum ante hunc ederet Clar. RAUWENHOFF, ratio ei erat satis justa, quam hic exponere nil attinet. Nec tamen ipsi Divinitus concessum fuit, hanc laboris partem rite absolvere et in lucem emittere. Nuperrime eheu! gravi morbo correptus decessit, magnum omnibus bonis sui desiderium relinquens. Lugemus collegam nobis conjunctissimum, virum amabilem, pietate et sanctitate insignem, eruditione elegantiaque juxta laudabilem, qui per multos annos de Universitate nostra et de ecclesia Christiana, cui ex animo addictus erat, optime meruit. Hujus vero loci non est, eximias Viri optimi laudes longa oratione persequi (1). Id unum testor, eum usque ad extremum vitæ tempus, ut aliis studiis tam philosophicis quam historicis, ita huic editioni bene curandae sedulo navasse operam, in qua praeter virum pl. venerandum B. R. DAMSTÉ aliosque, quos in Praefatione laudavit, auxilio fuit juvenis ornatissimus C. H. DEE, Litt. Class. candidatus. Hic igitur, aegrotante ac dein mortuo Praeside, in corrigendis et emittendis hujus Tomi plagulis ejus partes strenue implevit. Jam vero a me petierunt honestissimi editores, ut Tomi IIi edendi curam susciperem. Cui petitioni cum pro otio, quo septuagenarius e lege fruor, obtemperare decreverim, sub meis auspiciis Tomus ille typis mandabitur eadem ratione servata, quam in edendo Tomo I°, quo libri duo priores continentur, secutus est RAUWENHOFF, iisdemque, quibus ille usus est, subsidiis adhibitis. In votis est D. V. intra unius anni spatium librum tertium, qui nunc aegre desideratur, parare, addito Operi absoluto Indice locuplete, quem cum annotationibus nonnullis ad historiam pertinentibus nobis pollicitus est praestantissimus SZALAY. Sperare licet fore ut is fidem illam suo tempore solvat. Ego autem id agam, ut huic labori non prorsus impar reperiar. Tu, Lector amice, hisce nostris conatibus fave ac vale.

Scribebam L. B.
m. Maio 1889.

J. J. PRINS.

(1) Cf. quae Clar. KUENEN *In memoriam* scripsit in *Theol. Tijdschrift* 1889, p. 237—248.

CONSPECTUS.

LIBER IV.

Complectitur Res Ecclesiae in Hungaria et Transylvania a Compositione Szathmariensi ad praesens usque tempus.

LIBER QUARTUS.

Complectitur Res Ecclesiae in Hungaria et Transylvania a Compositione Szathmariensi ad praesens usque tempus.

CAPUT PRIMUM.

De statu Ecclesiarum in Hungaria sub initia Regiminis Caroli Sexti Imperatoris et Hungariae Regis.

§ I. Per decennium fere circumferentibus arma Hungaris adversus Domum Austriacam ob praetensam Politicae et Ecclesiasticae libertatis laesionem, Regnum misere adfecerunt. Fessi tandem utrinque armis Pacem Szathmarini jam diu merito desideratam concluserunt anno MDCCXI die XXIX Aprilis, cum jam XVII ejusdem Mensis Josephus Imperator et Rex ex hac vita mortali ad superos evocatus erat. Interea donec Carolus Sextus Regimen auspicaretur, Gubernationem suscepit Eleonora Magdalena Theresia Leopoldi Imp. vidua, quae ita de Religione adsecuravit: „In Religionis negotio receptas Regni Constitutiones manutenebimus, nec non exercitium ejusdem, secundum easdem Leges et Constitutiones ac Articulos Regni tam in Hungaria quam in Transylvania, cum Beneficiis eorsum de jure spectantibus, clementer concedimus. Nemini praeclusa via apud nos et Regiam Majestatem, vel coram Diaeta ratione Gravaminum sese insinuandi". Quae adsecuratio facta die XXVI Maji an. 1711 jam ante inserta erat etiam Punctis compositionis Szathmariensis.

§ II. Confirmatas fuisse omnes Politicas et Ecclesiasticas libertates apparet quoque ex Formula Juramenti Compositionis Szathmariensis, quod ita sonat:

Ego N. N. juro per Deum vivum, omnipotentem, Coeli Terraeque Creatorem postquam S. Caesarea Regiaque Majestas, ex superabundanti clementia, amnestialem Vitae et Bonorum Gratiam, vi Plenipotentiae, Illustrissimo ac Excellentissimo Domino Joanni Palfi, Comiti ab Erdöd, ejusdem Generali Campi-Mareschallo, per Regnum Hungariae supremo Armorum Praefecto, Croatiae Bano, Catafractorum Tribuno, concessae, per jam dudum emanatas et publicatas declarationes, propter hosce praeteritos motus elargita, ac impertita sit, nec non Regni Hungariae ac Transylvaniae, Jura, Leges, et Libertates tam in Politicis et Provincialibus, quam et Ecclesiasticis Receptarum Religionum Negotiis per se, suosque successores, sancte conservanda promiserit, imo suam confirmationalem quoque Ratificationem obtulerit; me proinde in posterum, et semper usque ad ultimum vitae spiritum, eidem Sacrae Caesareae Regiaeque Majestati, ejusdemque in Regno Legitimo Successori, fidum ac fidelem futurum fore, nec quicquam contra debitum homagialis vinculi obligamen, directe vel indirecte, alieno vel proprio motu et conatu in contrarium commissurum, sed ea omnia rite ac probe acturum et praestiturum re et opere, quae homagiali devotioni, obedientiae et servitio agenda et praestanda incumbunt et incumbent. Ita juro, spondeo, et me sancte et inviolabili fide obligo, per sacrosancta Evangelia, ut me Deus Trinus et Unus quoque adjuvet.

§ III. Carolus Sextus cum Regimen susciperet, omnia Jura et Libertates se confirmaturum promisit, quod sacro Diplomate die 1 Maji anno 1712 confirmavit, Juramentoque Articulis Diaetalibus anni 1715 inserto sanxit. Juramentum quoniam continet primam quoque Diplomatis conditionem de Regnicolarum Libertatibus e re est ut hic compareat. Ita illud est: Nos Carolus Sextus Dei Gratia Electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hispaniarum, Hung. Bohem. Dalm. Croatiae, Sclavoniae etc. Rex, Archidux Austriae, qua praelibati Regni Hungariae et aliorum Regnorum ac Partium eidem annexarum Rex, Juramus per Deum vivum, per ejus Sanctissimam Genitricem Virginem Mariam ac omnes Sanctos, Quod Vos Ecclesias Dei, Dominos, Praelatos, Barones, Nobiles, Civitates Liberas et omnes Regnicolas in suis Immunitatibus, et Libertatibus, Juribus, Privilegiis, ac in antiquis Bonis et approbatis consuetudinibus prout super eorum intellectu et usu Regio ac communi Statuum consensu diaetaliter conventum fuerit, conservabimus, omnibusque Justitiam facie-

mus. Serenissimi condam Andreae Regis Decreta (exclusa tamen et semota Articuli XXXI ejusdem Decreti clausula incipiente: Quod vero nos..... usque ad verba: in perpetuum facultatem) observabimus, Fines Regni Nostri Hungariae, et quae ad illud quocunque jure aut titulo pertinent non abalienabimus, nec minuemus, omniaque illa faciemus, quaecunque pro bono publico, honore et incremento omnium statuum ac totius Regni nostri Hungariae, juste facere poterimus. Sic Nos Deus adjuvet et omnes Sancti. [1])

§ IV. Publica Regnicolarum Comitia celebrata sunt Posonii anno 1715, ubi variae .de Religione disceptationes fuere. Tandem conditur Articulus ibidem Trigesimus, cui si Clerus Romano-Catholicus se conformasset, non paucae evitari potuissent molestiae; denominati sunt Commissarii ad examinanda querulantium Gravamina, ut rectius ocyusque ad aures summi Imperantis delata, ac rectificata, debitae executioni demandari possent. Articulus ille Trigesimus ita est:

„In negotio Religionis renovantur Articuli XXV et XXVI 1681 nec non XXI 1687 annorum."

Post multifarias de negotio Religionis, ultro citroque agitatas disceptationes, et sub ipsa quoque jam concinnatorum articulorum communicatione, humilimos ad Regiam Majestatem factos ab utrinque recursus, tandem altefata sua Majestas Caesareo-Regia, ex gratia et clementia sua praecitatos 1681 et 1687 annorum Articulos, in genuino suo sensu hactenus declarato, adhuc censuit conservandos, adeoque pro renovatis et confirmatis habendos. Ac si et in quantum medio tempore ineffectuati, vel per abusus et contraventiones ab utrinque violati fuissent, talia per Regios et Regni Commissarios articulariter ordinatos examinanda, praeviaque ad suam Majestatem Sacratissimam eorundem relatione, ex benigna ejusdem Ratificatione complananda, et Executioni debitae demandanda omniaque ad articularem statum et genuinum eorundem sensum, secundum Explanationes Regias reponenda et manutenenda non attenta quorumvis contradictione benignissime resolvit: Contra ejusmodi determinationem, si quis Privatorum ex Augustana vel Helvetica Confessione in Persona vel Causa Religionis se gravatum existimaverit, occasione talis Gravaminis, suo privato et non communi nomine pro remedio ad Regiam duntaxat Majestatem recurrere noverit. Quem in finem altefata sua Majestas Sacratissima ex parte sua denominat Commissarios Illustrissimos Dominos Comites, Stephanum Kohary Iudicem Curiae Regiae, Sigismundum Csaky Taverniorum Regalium Magistrum, Alexandrum Erdödy Regiae suae Camerae Hungariae Praefectum, intimos Consiliarios suos et Magni-

---

[1]) Articul. II an. 1715.

ficum Baronem D. Joannem Horvat Simonchits Personalis Praesentiae Regiae in Iudiciis Locumtenentem et Consiliarium suum.

Ex parte vero Statuum deputantur. D. Barones. Georgius Berentse Tabulae Regiae Iudiciariae Baro, et Casparius Sandor suae Majestatis Regiae Consiliarius. nec non Michael Revai. et Joannes Godefridus Hellenpach. Item egregii Andreas Hunyadi ....tinus, Stephanus Barlok. Vice-Iudex Curiae Regiae. alter Stephanus Nagy Protonotarius Palatinalis, et Regiae Majestatis pariter Consiliarii. nec non Joannes Szentivany Iudicis Curiae Regiae. et Franciscus Szlutra. Personalis Praesentiae Regiae in Iudiciis Locumtenentes et Consiliarii Protonotarii. Praeterea Josephus Sigray, Gabriel Megyery et Martinus Kassovich Tabulae Regiae Assessores, nec non egregii Paulus Okolitsani. Nicolaus Szirmay et Stephanus Poor, item Paulus Borday. Ladislaus Vay. Stephanus Kenessey. Georgius Micházy et Stephanus Kantor, salvo Articulo 23 an. 1687 respectu Regnorum Dalmatiae Croatiae et Sclavoniae permanente non secus Privilegiis etiam per nonnullas Civitates et oppida, nec non communitates in Hungaria quoque eatenus impetratis."

Interdictum est hoc Articulo ne quisquam publico nomine in causis Ecclesiasticis supplicare attentet. in Articulo vero sequenti. ne Synodi celebrarentur. ubi causae tractabantur Ecclesiasticae per verbi divini Ministros, ut quas singuli dirigere non valerent. universi componerent. Praetextus fuit ne semina rebellionis spargerentur, revera ut Religio Evangelica imminueretur. cum rebellio non a miseris in plebe ministris, sed a Magnatum consiliis ortum ducere soleat.

§ V. Sanctissime Rex pius prudensque pro norma Commissionis substraverat Articulos XXV et XXVI Soproniensеs. quibus si satisfactum fuisset. omnis Protestantibus querulandi occasio fuisset abscissa. At vero solicite ab illis Religiosam Commissionem abducere conatus est Ven. Clerus. proque norma substernere praetensam anni 1691 Resolutionem Regiam; quae tamen Res Leopoldi Imperatoris non est sed Leopoldi Kolonitsii, prout inferius invictis pluribus argumentis demonstratur, nec unquam a Protestantibus pro Regia agnita.

Resolutio haec inter Commissarios articulariter denominatos ampla fuit disceptationis materia. saepiusque infra in Actis Commissionis Pesthiensis Religiosae recurrit ejus mentio; igitur huc bona cum Lectoris venia transferenda:

Sacratissimae Caesareae Regiaeque Majestatis Domini, Dni Nostri Clementissimi nomine Augustanae et Helveticae Confessionis ad Augustissimam Aulam cum Gravaminibus pro eorundem complanatione Ablegatis, Plenipotentiariis et Agentibus hisce significandum. Alte memoratam suam Majestatem Sacratissimam Gravamina haereditarii sui Regni Hungariae Augustanae et Helveticae Confessioni addictorum, fidelium subditorum

suorum, circa turbationes, aliasque molestias, ipsis in Religionis exercitio contra Articulorum Diaetalium tum Sopronienslum de anno Domini 1681 tum Posoniensium de anno 1687 crebrius instanterque delatas, prouti alia etiam, quae ad Religionem spectare videbantur Puncta, eorumque circumstantias, rite matureque pensitasse considerasse ac benigne ita resolvisse, nimirum: Siquidem universi praefatae Augustanae et Helveticae Confessioni addicti querulantes, praecitatis Articulis inhaerentes, eorundem effectuationem, una cum Catholicis articulari Commissione mediante genuino praetactorum Articulorum sensu fiendam adursissent; ejusmodi autem Commissio actu etiam jam peracta esset eidemque praesertim in cis- Danubianis ac Trans- Danubianis etiam partibus, districtibus, utraque pars acquievisset, nihilominus aliqua contra sensum ipsorum Articulorum per dictos Commissarios facta, aliqua nondum effectuata, alia denique ex post, per abusum quorumvis ab utraque parte, propria authoritate introducta fuisse exponeretur. Ideo de praesenti etiam eadem sua Caesarea et Regia Majestas eorundem Articulorum benigna reflexione habita, propter bonum Pacis, internamque Regni Tranquillitatem, in eo, ubi publico exercitio se prorsus destitutos iidem querulantes lamentarentur, ibi sua Sacratissima Majestas ulterius Articulari determinationi ita standum esse censuit, ut videlicet in locis articulariter pro libero publico exercitio expresse denominatis liberum ejusmodi publicum Religionis exercitium iisdem querulantibus admittatur, ita tamen, ne debitos limites excedere, et ad loca articulariter omissa excurrere praesumant, secure tamen plebs talium locorum Templa in ejusmodi articularibus locis adsignata frequentare, Ministros suos accedere, publiceque exercitio suo ibidem uti possit ac valeat. In quibus locis veluti articulariter pro exercitio eorundem expressis Parochi Catholicorum ex aerario communi, ad quod ipsi querulantes contribuunt, non interteneantur. Imo ibidem Xenodochiis, Sepulturis, Campanis, pro communi usu destinatis, cum praescitu Parochi et Aeditui, uti fruique permittantur neque ad amplectendam fidem Catholicam ubicunque per totum Regnum cogantur, attamen Ferias et festivitates Catholicorum, quoad publicum et forum externum observare teneantur, et id tanto magis Opifices, seu Mechanici, in quorum Privilegiis id ipsum per expressum inferri adsolet: ideoque si placet, in reliquo gaudere ejusmodi Privilegiis, praescriptae quoque conditionis onus subire tanto minus displicere debet. De reliquo Ministri Augustanae et Helveticae Confessioni addicti, ab omnibus actibus Parochialibus, uti est: Baptizare, Copulare, Sepellire, et similibus tanquam ad exercitium publicum spectantibus, in

locis, ubi articulariter iisdem concessum non est, omnino supersedeant, neque eo excurrant, equidem Plebi in ejusmodi locis degenti liberum esset eosdem Ministros et Templa in locis articularibus habita accedere, seseque ibidem baptizari, copulari, sepelliri curare, et alias devotiones facere, proventibus tamen stolaribus Parocho loci Catholico praevie depositis. Quibus Decimas etiam in toto Regno Hungariae a sanctissimis Regibus Deo et Ecclesiae Catholicae Ministris duntaxat ordinatas praestare sunt obligati. Praeter Decimas, si quas forsitan ipsi aut suae Religionis praedecessores a terris et vineis suis propriis nobilitaribus, et Decimis Regalibus minus antea subjectis, sponte et libera voluntate, pro interventione suorum olim Ministrorum deputassent.

Quod vero ad Generalia puncta, quae Universi Augustanae et Helveticae Confessionis sequaces diversimode interpretari videntur, et cum facultate in Arcibus, Castellis, Curiisque Nobilitaribus capellas et oratoria erigendi, in quovis tali loco Praedicantes intertenendi authoritatem se habere. Praeterea vigore articularis clausulae (salvo jure Dominorum terrestrium) de subjectione solummodo jobagyionali, jureque servitutis corporalis intelligi, non vero ad conscientias trahi debere, putarent. Ea taliter intelligenda esse, altefata sua Majestas Sacratissima declaravit et quidem, quoad primum, facultatem erigendi capellas et oratoria, pro privatis duntaxat inibi habendis precibus et sepulturis concessam, et in illis cum familia sua prout et in locis articulariter omissis, cuivis in domo sua orare, Postillas legere, nullatenus tamen vicinos, vel proprios subditos; tanto minus Praedicantes eo, tanquam ad privatum duntaxat suae Domus, aut Residentiae orationis locum admittere integrum esse aut licere. Non secus, quoad secundum et quidem praedictae clausulae (salvo jure Dominorum terrestrium) non obstante praemissa ipsorum querulantium ratione, veluti in articulis expressae omnino standum esse, et consequenter ipsos querulantes eidem se submittere debere, si quidem omnis clausula Regalis in eo sumenda censeretur sensu, quo debitum suum sortiri quiret effectum, in sensu autem eorundem querulantium effectu prorsus destitueretur. Nam jus Domini terrestris in subditos quoad servitutem corporalem aliaque quaecunque temporanea, qualitercunque mutato Religionis statu, absque hoc salvum et immutabile semper manet, praesertim cum hoc ipso clausulae ipsius sensu, ipsi quoque Augustanae et Helveticae Confessionis sequaces olim pluralitate et potentia Dominorum terrestrium praepollentes in ejusmodi effectum antea usi fuissent; adeoque quod semel iisdem placuit, id modo displicere aut Catholicis iniquum reputari, minime posset.

Ad quorum nimirum debito modo fiendam executionem, rectificatio-

nem, et accommodationem quam primum certos deputandos fore Commissarios, coram quibus particularia quaecunque alia Gravamina iidem querulantes in facie loci, et parte altera praesente producere poterunt, iuxta rei aequitatem, resolutionemque hanc ipsis intimatam postulatorum suorum effectum praestolaturi, quibus de caetero eadem Sacratissima Majestas Caesarea et Regia, gratia sua propensa semper permanet. Per Sacratissimam Caesaream Regiamque Majestatem. Viennae die 2 Mensis Aprilis Anno 1691.

§ VI. In hac Resolutione, quam Augustanae et Helveticae Confessioni addicti nunquam Leopoldi Regis agnoverunt, querulantes vulneri medelam anxie quaerentes, morbo graviorem, vulnusque amplius invenerunt. Similis huic illa est declaratio, quae Augustanae et Helveticae Confessioni addictis, sua Gravamina proponentibus anno 1701 data est. Quae ita sequitur:

Primo. Exercitium Augustanae et Helveticae Confessionis supra dicta ratione concessum est tantum in iis partibus Hungariae, quae anno 1681 in actuali suae Majestatis Sacratissimae potestate erant [1]). Unde in partibus hoc bello recuperatis nullum jus est alterius a Romano-Catholica fide exercitii. Ideo sua Majestas jus Patronatus omnium Ecclesiarum in Neo — acquisitis sibi reservavit, in eo casu, quo illud ad Acatholicos devolvi deberet.

Secundo. Cum exercitium Augustanae et Helveticae Confessionis compluribus in locis articulariter nominatis solum ob eam causam concessum sit, quod confinia fuerint: clarum proinde est, ibi publicum Acatholicum exercitium tolerari non debere, ubi confinia esse desierunt.

Tertio. Quando in quibusdam locis articulariter nominatis concessum est exercitium Augustanae et Helveticae Confessionis, non ideo censeri debet esse concessum, ut ullus e Catholicis Apostatam agat, et ad Acatholicorum Confessionem transeat, maxime talis, qui ab Augustana et Helvetica Confessione per fidei Catholicae professionem aliquando recesserat. Contra tales enim, qui a Fide Catholica deficerent, tanquam contra jurisjurandi violati reos, jure in Patriae legibus praescripto, procedi poterit.

Declarationem hanc Articulis Diaetalibus et Diplomatibus Regiis adversa fronte pugnantem a Regia manu profectam in Actis Commissionis Religiosae Evangelicorum agentes vehementer pernegant. Praecipue cum Diaetalis quoque Resolutio clementissima anno 1715 publice elargita sit sequens:

Trium Religionum in Regno Hungariae receptarum negotium, juxta genuinum Articulorum Sopronensium et Posoniensium Diaetarum ultimarum sensum Sua Sacratissima Caesarea Regiaque Majestas permanere

[1]) Eo anno praeter paucas Urbes tota Hungaria fuit in potestate vel Turcarum vel Malecontentorum. Igitur iuxta hanc Declarationem libertas exercitii Religionis nullibi concederetur nisi Sopronii et in paucis adhuc locis.

debere declaravit, ejusdemque libertati et securitati clementissime ita providebit, ne contra repetitos articulos vel Domini Terrestres jure suo abutantur, vel cuicunque praemissarum Religionum conferentiae vis inferatur, sin autem contra spem aliter eveniret Regia manu et authoritate omnimode praepedituram. Nulla hujus Resolutionis cum illa Declaratione convenientia.

CAPUT SECUNDUM.

De Actis Religiosae Commissionis Pestiensis.

§ I. Jam ab aliquot annis diaetaliter determinata Commissio Regia in negotio Religionis. in Libera Regiaque Civitate Pest die XV Martii ann. 1721 inchoata est. Cui Commissioni Augustanae et Helveticae Confessioni addicti, XVII Aprilis in sequentia Puncta porrexerunt Instantiam:

1. Ut liberum Religionis exercitium omnibus et ubique per Regnum cujuscunque conditionis hominibus liberum sit, nec ullo modo turbatum, sed et Praedicantes intertenere et introducere, ministerioque eorundem uti liceat.

2. Volentibus ad loca Templorum. Castellorum et Residentiarum pro cultu Religionis suae, aliisque necessitatis casibus nemini sit vetitum.

3. Ad mutandam Religionem non cogantur, nullius bona diripiantur, ab officiis non amoveantur, aut accessus ad eadem non praecludatur, ad praestandam Dominis Catholicis Plebanis majorem taxam stolae quam D. Catholici non compellantur, nec sepultura, aut campanarum usus denegetur.

4. Nullus Religionem acceptare volens ad reatum jurisjurandi trahatur, nec ad Sacram Sedem citetur, nec arrestetur aut damnificetur.

5. Domini Terrestres vim conscientiis subditorum non inferant, nec ad acceptandam Religionem cogant, a turbatione porro Religionis, occupatione Templorum et aliorum necessariorum Evangelicorum supersedeant.

6. Superintendentes admittantur ipsorum prout et aliorum Evangelicae Religionis, Ministrorum concursus priorum illorum nomine permittantur, facultas in personas Evangelicas in matrimonialibus et similibus aliis casibus Jurisdictioni suae competentibus non adimatur, et visitandi Ecclesias, quoad functiones eorundem Ministrorum, Episcopi Catholici et Sacrae Sedis facultatem sibi non vindicent, citati et ad

obligationes quasdam protracti absolvantur, et damnificati in integrum restituantur.

7. Evangelici Ministri a nullis Ecclesiis amoveantur, reversales ab iisdem non extorqueantur, liber aditus ad aegrotos, captivos aut ad supplicia deducendos permittatur, et in civitatibus tam intra, quam extra moenia ad infirmos ire permittatur, nulli molestentur, nec hospitiorum et pernoctandi commoditas illis denegetur: prolem ex diversae Religionis matrimonio prognatam pro Parentum arbitrio baptizare, personas diversae Religionis copulare non vetentur, nec propterea citentur, ex locis articulariter denominatis ad aliorum locorum Evangelicos pro agendo necessario ministerio inritati, exire non prohibeantur, numerus Ministrorum, sive in praescriptis articularibus locis sive alibi non restringatur, sed pro arbitrio eorundem Evangelicorum permittatur.

8. Librorum Evangelicorum in Regnum introductio non impediatur, et accepti restituantur.

9. Nullus Regnicolarum in Religione turbetur, et ex partibus extraneis studiosi redeuntes nullo modo impediantur.

10. Ad nullas Cerimonias, Processiones, Festorum Celebrationes adigantur aut ideo mulctentur.

11. Sive ad officia sive alia occasione per beatam Virginem Mariam et Sanctos jurare non adigantur, verum ad fidem eorundem Deo debitam et fidelitatem Suae Majestati Sacratissimae servandam praestanda Juramenta acciperentur.

Postulata haec omnia fuerunt naturae Religionis et Rationi consona, tamen facta sunt amplissima materies controversiarum in Commissione Regia.

§ II. Acta Commissionis Pestiensis, prout Agentes tam Catholicorum quam Evangelicorum Gravamina Religiosa tractarunt, ingentibus aliquot sunt comprehensa voluminibus. Unde Actorum summam Evangelici Commissarii extractam, Sacrae Caesareae ac Regiae Majestati Carolo Sexto repraesentarunt. Est quoque illa summa Spissioris voluminis, cujus praecipua tantum Capita constitueram hic recensere; verum obstitit Fautorum voluntas, qui integram ut Regiae Majestati exstitit repraesentata, huc transferre voluerunt. Unde status Ecclesiarum illius temporis penitus cognosci posset.

Stilus quamvis sit ut plurimum scaber, et Hungarismis subinde scatens, tamen prout accepi in publicum produco.

RELATIO ET OPINIO

Commissariorum Evangelicorum in Comitiis Regni Hungariae An. MDCCXV ad examinanda Religionis Gravamina, cum Commis-

sariis Romano-Catholicis deputatorum, ac in Commissione An. MDCCXXI Pesthini inchoata, demum An. DCCXXII Posonii finita, officio functorum, Sacrae Caesareo-Regiae Majestati Carolo Sexto per eosdem Commissarios Evangelicos exhibita.

Augustissime Imperator et Rex
Domine, Domine Clementissime!

In Gratiam Majestatis Vestrae Sacratissimae devotissimam, eamque perpetuo humilimam, debitae homagialis Fidelitatis Nostrae subjectionem.

Memorabile in omnem Posteritatem ac tanti Nominis gloria dignum, quod divus augustissimi Austriaci sanguinis Imperator et Rex Ferdinandus Primus, Princeps gloriosae memoriae Pientissimus de statu Religionis sui temporis (teste Cratone a Crafftheim) dixisse fertur: Inter summa, inquit, quae Deus in Gubernatione Imperii mihi concessit, primum atque maximum vero animi judicio, optimaque conscientia hoc duco, quod ad sedandas discordias publicas animum adjeci, et tolerantiae ac pacificationis formulam Deus mihi in mentem dedit.

Et sane jam dudum Christianus agnovit orbis Augustissimam Domum Habsburgico-Austriacam summo Praepotentis Dei Regis utpote Regum beneficio datam esse et constitutam. Quae regendae et gubernandae Rei Christianae publicae, iis praesertim temporibus clementissime praeisset, dum turbis in causa Religionum passim per Europam subortis in mutuam cuncta perniciem, mutuis susque deque miscerentur animorum dissensionibus, cujus non minus Gloriosissimo, quam Augustissimo Regimini soli post Deum, per sedatos sapientissima moderatione motus, reductam ac conservatam tranquillitatem publicam, non immerito jam ante in acceptis retulit, ac etiam nunc refert orbis Christianus. Et hanc quidem singularem aequanimitatis virtutem in singulos gloriosissimos ejusdem Austriaci sanguinis regnantes Principes haereditaria quadam successione descendisse, praeter exterarum Historiarum monumenta, Decreta quoque publica et Annales Regni hujus eloquuntur.

At vero Augustissime Imperator et Rex clementissime! Luculentiori hodie testimonio vivam Austriacae hujus moderationis ac Clementiae imaginem exhibet Majestas Vestra Sacratissima, dum divisos in Receptas Religiones fideles suos hujus Regni subditos ad stabiliendam animorum unionem perpetuandamque tranquillitatem publicam juxta praescriptum publicarum Regni Legum conservare nititur. Quem etiam in finem statim

ab initio suscepti auspicatissimi Regiminis sui, nihil prius, nihilque antiquius sibi duxit, quam ut interruptum per pia Fata Divi Josephi Imperatoris et Regis Fratris sui desideratissimi generalem Regni Conventum continuandum indiceret, ac inter reliqua salubriter conclusa, non modo de complanandis ac effectuandis juxta contenta genuini sensus Articulorum Soproniensium XXV et XXVI an. MDCLXXXI statum Religionis concernentibus negotiis cum specifica Regiorum et Regni Commissariorum denominatione, mediante Articulo XXX, paterne provideret, sed et praestituto opportuno tempore Diaetalem hanc Commissionem ad executionem exequendorum quam primum aperiundam bonoque fine terminandam, solicitae suae Curae Regiae Cordique Paterno sumeret.

Postquam itaque benignis his Decretis de dato 3ia Mensis Augusti ac altero 16ta Decembris anni MDCCXX ad Excellentiss. ac Illustriss. D. Comitem Stephanum Kohári, Judicem Curiae Regiae, qua articulariter declaratum Praesidem, aliosque Regios Commissarios directis ad tollendas quasvis in negotio Religionis in futurum etiam quoquomodo emergibiles dissensiones, inhibitis serio universis intentandis violentis actionibus, et quibusvis praetensionibus, interea in statu quo. relictis: praefatam articularem in negotio Religionis Commissionem, primum quidem in Liberam Regiamque Civitatem Budensem, postea vero Pesthinum pro die 3 Mensis Martii anni MDCCXXI indicere, ac ut praetitulati Dn. Regii Commissarii una nobiscum Regni Commissariis Catholicis aeque ac Evangelicis tum articulariter denominatis, tum vero loco aliorum benigne surrogatis, operi commissionali se accingere, mutuoque labore et consiliis simul et conjunctim procedere, ac praelibatum Religionis negotium, secundum genuinum Articulorum XXV et XXVI an. MDCLXXXI, itemque XXI et XXX an. MDCCXV sensum, ac transmissa pro informatione Decreta et Explanationes Regias examinare, ac tandem omnia ad benignam ratificationem, vel modificationem submittere. Medio autem Commissionis hujus tempore emergibiles difficultates demisse repraesentare, superindeque a benigna Resolutione expectare, eique semet accommodare noverint, clementissime Majestas Vestra Sacratissima demandare dignata est.

Nos quoque Commissarii Evangelici aeque fideles ejusdem subditi, acceptis praetitulati D. Praesidis Literis convocatoriis clementissimam eo in passu altaefatae Majestatis Vestrae ordinationem pro suprema lege habentes, nosmet eidem debito homagialis obsequii cultu accommodare, ac partim in ipso praescripto termino, partim paucis post diebus comparere, ac toto Commissionis decursu concredito nostro muneri juxta exigentiam satisfacere totis adnitebamur viribus. Utinam autem secundum benigna, Sacratissimae Majestatis Vestrae in Decreto die prima Mensis Maji clementer emanato expressa, de Progressu ac Eventu Actorum Commissionalium tum in genere, tum in particulari, concordi ac unanimi con-

sensu humilime Relationem commissionalem facere ratio status et rei permisisset. At cum in materia Religionis, re tanti momenti, non leves inter nos ac Dominos Romano-Catholicos occurrerint difficultates, suborti sunt interdum dissensus. Praeterea autem Regii Commissarii Munus et provinciam instituendae ac concinnandae Relationis unice sibi competere interpretabantur. Quam etsi debito suo modo concinnatum et exoperatum iri confidamus, nihilominus tamen ut Majestas Vestra Sacratissima per nos quoque se in iis, quae tum ad majorem ejusdem generalis Relationis dilucidationem, tum ad demonstrandam Cursus Actorum, dissensionis interdum occasionem praebentium, sinceritatem deservitura existimavimus, breviterque annectenda, ac clementissimo justissimoque Majestatis Vestrae Sacratissimae judicio submittenda, nostri officii censuimus, demisse informari patiatur, humilime de genu supplicamus.

Primo.

Cultus Divinus denegatur Commissariis Evangelicis Pesthini. — Et quidem primum et ante omnia intermittere nequimus, quin Majestati Vestrae Sacratissimae justo cum animi dolore detegamus: Quod posteaquam more apud Christianum orbem passim recepto, tum pro invocando Sancto Spiritu, tanto labori in gloriam sui publicamque Regni tranquillitatem vergenti gratiam suam impertituro, tum continuando juxta ritum nostrum cultu divino, liberam Ministri Evangelici introductionem et quidem eo tempore cum Commissio haec in medelam laesarum Religionis legalium libertatum et jurium, instituta fuisset, suppliciter solicitassemus, ad insperatam nonnullorum informationem, ideo denegatum esse, quasi nos praesertim Helveticae Confessioni addicti, sub ipsis quoque Regni Comitiis usum ac exercitium Religionis nostrae non habuissemus, ex benigno Majestatis Vestrae Sacratissimae ad Regios suos Commissarios directo Rescripto satis anxie intelligere et experiri debuimus. Ast cum luculenter constet ab ipso per Leges in regno hoc stabilitae Religionis Libertatis tempore sub decursu quorumvis generalium Regni Comitiorum, liberum cultus Divini opera Ministrorum suorum peractum Exercitium, continuo ac pacifice toties quoties utriusque Confessionis Evangelicos retinuisse. Imo sub proximioribus quoque annorum MDCLXXXI, MDCLXXXVII Diaetis ac novissima insuper an. MDCCXV celebrata, eadem exercitii libertate gavisos fuisse, viva etiamnunc ad notitiam supersunt publica testimonia. Hinc ne quidpiam ob informationem praemissam pacifice usuatae cultus nostri religiosi Diaetali praxi, futuris temporibus enascatur praejudicium Majestatem Vestram Sacratissimam benignae reflexionis gratia praevie humilime informandam esse duximus.

Secundo.

Opinio Evangelicorum Commissariorum. — Ceterum, quoad reliqua ad Relationem pertinentia procul ab omni favore, odio et praejudicio

humilime hoc scripto tractaturi: postquam occasione celebratae die 24 mensis Martii anni proxime praeteriti, primae sessionis, benigna altefatae Majestatis Vestrae Mandata, una cum annexis, et quidem signanter Resolutione sub Divo olim Leopoldo, Imperatore et Rege gloriosae reminiscentiae, de dato 2da Aprilis anni MDCXCI emanatae, itemque sacratissimi olim Principis Josephi aeque Imperatoris et Regis decima Novembris anni MDCCX, nec non piae memoriae Imperatricis Eleonorae qua Regentis vigesima octava Septembris an. MDCCXI, ita et Majestatis Vestrae Sacratissimae de dato vigesima octava Aprilis anni MDCCXIV expeditis Patentibus, utpote in toto quadruplicibus Instrumentis, eo quo par est venerationis et subjectionis cultu perlecta et exaudita fuissent: non diffitemur altera expost subsequente ac in diem XXVI incidente ejusdem mensis sessione, habitis mutuis de initiando rerum cursu ab utrinque colloquiis, ejusdem nos fuisse sententiae, ut ad regulandam Actorum normam, facilitandumque operis tam ardui feliciorem successum et eventum, praecitati Articuli Sopronienses tanquam substratum commissionale objectum primum et ante omnia simul et conjunctim mutuo labore et consilio examinandi ac juxta expressa benignae Commissionis verba in verum et genuinum sensum reponendi pro fundamento adsummantur, quo semel posito et superato, cuncta Partium Gravamina, eorumque circumstantialia ac difficultates inde emergibiles facilius ac commodius eo referri et examinari, corrigi et effectuari queant.

At enimvero Dominis Regiis et reliquis Commissariis Catholicis, primum partes esse audiendas, eoque fine Gravamina praesentanda fore in contrarium sentientibus, votis autem nostris in accelerationem perficiendi operis directis, leniter praeteritis, Agentes Partium ad comparendum exequendaque munia sua admonendos urgendosque esse determinatum extitit.

Hinc Agentes Evangelicorum altera immediate subsequenti die coram Commissione sese sistentes, praemisso debito salutationis ac apprecationis cultu, Gravaminum suorum partem quantocyus exhibendam obtulerunt. Per quos postquam tandem trigesima ejusdem mensis prima generalia eorum cum annexis sub literis A. B. C. D. praesentata, ac expost successive in continue celebratis sessionibus perlecta fuissent, non defuerunt ex Dominis Commissariis, Catholicis, qui modum agendi Evangelicorum per generalia Gravamina inconvenientem fore diversimode exprobrarent, ac in difficultatem sumentes a generalitate prorsus desistendum et ad particularia speciesque factorum, ut quis?, quid?, ubi? contraventiones intentasset, cognosci queat, procedendum esse magno conatu asserebant.

Utut autem nobis quoque non displicuerit majoris momenti Gravamina particularia suo loco et tempore repraesentanda ac exhibenda esse, quae punctis Gravaminum generalibus commode applicari atque adjungi queant,

verum enimvero cum universas ac singulas particulares querelas ac injurias sub generalitate contineri, ea semel examinata ac decisa, illas quoque discuti, parique modo et judicio determinari, adeoque coeptum laborem per generalia facilitari posse, ratio ipsa naturalis dictaret, non esse de essentia negotiorum, deque ordine Processus commissionalis ad quaelibet particularia condescendere: plurimis rationibus tanto magis disuadebamus, quod per circumstantialem excedentium Personarum specierumque Facti declarationem magnam animorum commotionem ac exacerbationem emersuram non sine metu praevidimus.

Tamen non modo non profuere adducta in hanc rem plena sinceritatis consilia nostra, sed potius in contrarium flexis determinationibus, dum generalia absque ullo examine in suspenso relicta fuissent, Agentibus Evangelicorum jussu commissioniali, a cursu Actorum suorum retractis volentibus nolentibus ad particularitatum concinnationem progrediendum fuerat.

Haec causa, haec Ratio non ultima est, Rex clementissime! (si ingenue fateri liceat) quod non modo Acta Commissionalia in tam vastam Scriptorum ac Rescriptorum molem excreverint, sed et praescriptus conficiendis negotiis trimestris terminus in longum hoc temporis intervallum praeter omnem exspectationem magis magisque extractus sit. Quae tamen praemissis votis nostris contrasentientibus superari atque anteverti potuisse tanto certius nunc experimur, quod particularia Gravamina, magnis utriusque Partis laboribus elucubrata, ne nunc quidem in examen venerint; verum praeter praelectionem eorundem irrevisa Majestati Vestrae Sacratissimae non sine palpabili injuria Evangelicorum transmittantur, adeoque Punctis Gravaminum generalibus suo tempore applicanda restent ac complananda.

Tertio.

Postquam itaque Revisio generalium Gravaminum ex parte Evangelicorum repraesentatorum in suspenso relicta, Particularium vero concinnatio ac exhibitio adursa fuisset, quamquam Agentes Evangelicorum postea quoque iteratis instantiis suis, ac signanter demissis Memorialibus diebus 28 Aprilis et 5 Maji repraesentatis, quominus ad particularia descendere expediat, usque dum generalia examinentur ac ad genuinum Articulorum sensum reducantur, demisse deprecati sint. Jussis tamen parere coacti non diu post seriem Templorum, ab anno MDCCXV, tempore videlicet novissime celebratae diaetae, directis et indirectis violentis modis occupatorum: primum quidem absque circumstantiali Personarum et Actuum deductione, ne scil. per hoc exacerbandis animis ansa daretur, simpliciter, postea vero cum annotatione temporis ac denique tertia vice jussu Commissionis cum Facti omnimoda circumstantia 15 Maji exhibuere, et cum illegitima hujusmodi occupationis palam omnibus essent, nec ullo pacto negari possent, adeoque neque

proba egerent, aut ad disquisitionem Juris antea habiti pertrahi quirent, ut potius de omni jure primum et ante omnia, Spoliati in integrum restituendi veniunt. Idcirco ad nudum factum restituendae Possessionis Agentes suppliciter solicitarunt, ut videlicet in eum, quo tempore diaetaliter per Articulum XXX an. MDCCXV ordinatae Commissionis fuerant, reponantur, statum, cum interea nihil quicquam in negotio Religionis contra authoritatem et determinationem recentissimae Legis innovari, aut contraveniri potuisse, verum ab eventu ejusdem Commissionis (cujus utpote examini ac judicio status Religionis quoad abusus, contraventiones et ineffectuata, substratus extitit,) directe parti utrique expectandum fuisse, pluribus rationibus ostendissent.

Quae praemissa Evangelicorum postulata ex attactis motivis, nobis videbantur esse justissima, et quidem tum ex eo, quod Municipalia Patriae Jura, neminem praeterquam legitime citatum, auditum et consueto Juris ordine convictum damnificari permitterent, tum quod neque revisam neque decisam Jurium praetensionem ab executione ordiri, ac Judicem in propria causa agere, prout Jura Gentium vetarent; ita spoliato extra dominium in causa ejusdem spolii, Juri stare naturae repugnaret. At vero sufficiebat Dominos Regios et Regni Commissarios Catholicos reposuisse: Non esse authoritatis vel instituti hujus Commissionis quidpiam adimere vel restituere, solo examine eidem competente, reliquis vero a Caesareo-Regia ratificatione, modificatione et decisione dependentibus. Quanquam autem intellecta hujusmodi Resolutione denuo Agentes Evangelicorum nudum facti et non juris examen urgentis hoc ipsum: An videlicet in exhibita serie specificata Templa, absque praevio Commissionis examine, ejusdemque ad Majestatem Vestram Sacratissimam relatione, nec non desuper benigna Majestatis Vestrae Sacrat. ratificatione post novissimam Diaetam occupari potuerint? Et an taliter occupata laesis, ac spoliatis in conformitate Legum Regni simpliciter restituenda veniant? Tanquam Quaestionem multum necessariam examinandam, resolvendam ac decidendam saepius efflagitarint, neque jam amplius restitutionem, quam in auctoritate Commissionis sitam non esse intellexissent. Verum saltem praeattactam Quaestionem praevie examinatam ad Augustissimam Aulam pro finali benigna resolutione transmittendam demisse expetierint. Nihil tamen eos hac in parte obtineri potuisse, prout genuine declarare nostri ducimus esse officii, ita nec secus justissimum hoc Evangelicorum postulatum, tanquam juri Gentium convenientissimum, ut nimirum contra praescriptum publicae Legis, ejusdemque expressam et positivam dispositionem, contraque authoritatem diaetaliter ordinatae Commissionis, tum factae Templorum plusquam 140 occupationis, status in integrum restituatur, Augustissimo Majestatis Vestrae

Sacr. Justitiae Clementiaeque Throno clementer residendum ac terminandum, nunc quoque mediante humilima hac genuina repraesentatione ac opinione nostra substernere non dubitamus.

Quarto.

His ita actis, dum jam Evangelicorum Agentes tum generalia sua Gravamina, tum partim quae ad particularia, tum denique Instantiam suam cum producto sub G. contrarietatem praetensae Resolutionis Regiae Anni MDCXCI cum Diaetalibus Regiis Resolutionibus ac genuino Articulorum Soproniensium sensu collatam in se complectentem Commissioni praesentassent ac exhibuissent, tandem Venerabilem quoque Clerum, postquam non tantum solicitis Evangelicorum Memorialibus et signanter quarta Aprilis praesentato, sed etiam virtute benigni de dato 16 mensis Maji anni proxime praeteriti transmissi altefatae Majestatis Vestrae S. Mandati in verbo Regio admonitus fuisset, justo serius post effluxum duorum et dimidii mensis coram commissione Comparuisse, ad ampliorem cursus negotiorum notitiam reticere inconsultum censebamus. Tandem Reverendiss. D. Joannes Kis Electus Episcopus Ansariensis et Franciscus Barbatzi generalis Vicarius Colocensis una cum Agente V. Cleri Egregio Casparo Hraborszki, ita et tribus eidem ex statu seculari adjunctis, sese coram facie Commissionis sistentes, praevio condecentis salutationis honore, prima ex parte Vener. Cleri exhibuerunt scripta, quae initium sumsere a generali contradictione, alteram contradictionem praetensive an. MDCVI celebratam verbotenus in se complectente: paulo post Typis quoque publicis contra cursum rerum Commissionalium insolite exposita, quas etiam ad Inclytum statum secularem Catholicum extensas voluerunt, cum et praememoratus Agens ex parte ejusdem secularis status idem per omnia cum V. Clero sentire, adeoque ad Acta ejusdem referre verbotenus declaraverit.

Ingenue fatemur invisum fuisse nobis hunc agendi modum, praefatum statum Catholicum secularem extra praemissam simplicem de eodem consensu verbalem declarationem, nec generaliter, nec particulariter Actis V. Cleri subscripsisse, aut seorsiva scripta produxisse, vel ad minimum eandem verbalem scriptotenus exhibuisse, animadverteremus. Habita proinde ad benignum supra attactum Majestatis Vestrae Sacr. Mandatum hujus tenoris: Ut Partes controvertentes ad praesentationem repraesentandorum in verbo Regio admoneantur, demissa reflexione, officii et muneris nostri esse ducebamus, ut cum V. Clerus perpetuo fuerit (prouti etiam actu praetendebat) sitque contradictor, et neque antea in auditos et neque nunc in confirmatos Articulos Soprontenses, adeoque neque in deputatam Commissionem Articularem consenserit, ac consequenter vix ac ne vix quidem Partes agere in hoc Processu et Foro possit, penitius ac strictius investigetur,

Quinam nomine Partium admonendarum intelligi debeant? Quo in passu, cum inter nos mixtae Religionis Catholicos et Evangelicos Concommissarios varii iique contrarii agitati fuissent discursus, et partim una V. Clerum qua Pastorem ovium nomine suo Secularem etiam Statum Catholicum in se complectente agere sufficere asseruisset; altera vero id quidem non difficultare, nisi contradictio Cleri obesset; a qua Secularem statum Catholicum dissentire crederent, aut si non dissentiat scripto palam declaret. Tandem Domin. Praeses ut status Quaestionis hujus in scriptum redigeretur indixit. Hinc praetermittere nequivimus, quin in tuitione sententiae nostrae, proxima statim in sessione, mentem nostram clare et distincte cum annexis rationibus, scriptotenus repraesentaremus, remonstrando, statum Secularem Catholicum a Foro et Processu Commissionali neutiquam semet abstrahere posse. Tum ex eo

1. Quod et benignum supra attactum M. V. Sacr. Mandatum, quo mediante Partes ad praesentanda sua Gravamina, dandaque superinde responsa in verbo Regio admonendae jubentur, non saltem particulariter et in specie V. Clerum, sed et Catholicos generaliter expressis verbis nominat; adeoque etiam Secularem statum Catholicum ut coram Commissionali Foro Partes agat vel maxime subintelligit. Tum quod

2. Venerabilem Clerum a Seculari statu Catholico ipsemet praefatus Agens ac praespecificati secum assumpti satis clare distinxerint, cum non modo nomine status Catholici Secularis coram Commissione comparuerint, sed et post exhibita per Ven. Clerum scripta, disertis verbis declaraverint: Secularem statum Catholicum in omnibus cum V. Clero consentire adeoque ad scripta ejusdem sese provocare. Unde sequeretur eadem distinctione semel admissa, necessario fore, ut Secularis status Catholicus vel super eodem consensu suo scriptotenus exhibeat declarationem, vel scriptis V. Cleri etiam nomen suum in subscriptionem inferat. Vel denique tum Ven. Clerus, tum Domini Seculares Catholici, nomine status Catholici generice insimul utantur. Quod si vero Secularis status Catholicus praemissa agere nolit, fieri oportere, ut vel seorsive Gravamina sua in scriptis a parte repraesentet, vel si cum Ven. Clero, in omnibus et signanter quoad contradictionem minus consentire declaret. Namque

3. Nisi status Catholicus hac in parte sese clarius ac directe scripto explicaverit, periculosas magni momenti consequentias exinde sequi non abs re metuendum erit. Quamquam enim ostendi nequeat ab anno MDCVI tempore videlicet stabilitae in Regno in negotitio Receptae Religionis Libertatis, usque ad an. MDCXLVII ullam a parte status Catholici Secularis intervenisse contradictionem, imo manifestum sit, etsi etiam per inconcessum quaepiam vel eo tum vel expost intervenissent, semper pro non obstantibus, nec vigorem in perpetuum habituris, articulariter

fuisse declaratum. Neque porro etiamnum Secularem eundem statum hac in parte cum Ven. Clero consentire velle a parte Evangelicorum fiducialiter praesupponatur. Nihilominus ejusmodi adversa declaratione prorsus in suspenso relicta vix aliter judicari posset, quam quod non tantum in renovationem praetensarum a parte V. Cleri contradictionum, verum etiam in ratificationem novarum consentire, consentiendo autem manifestum contradictorem cum contradicente agere velit. Unde eo facto consequitur, quod non saltem Articulos Soproniensés, ac XXX novissimae Diaetae, (quibus per V. Clerum contradictum sit) aeque non admittet, sed nec in Commissionem hanc (ad quam pariter V. Clerus cum cautela accessit) velut diaetaliter ordinatam consentire intendat, ut potius, benignis etiam Regiis eatenus emanatis decretis, ac subsecuturae Actorum modificationi, vel ratificationi aperte refragabitur. Quo in casu

4. Necesse est ut tam benigna Majestatis Vestrae Sacrat. ad tollendas Regnicolarum inter se vigentes dissensiones, conservandamque publicam tranquillitatem positive propensa Intentio, quam et arduus cum magnis sumptibus conjunctus Commissionis labor effectu suo frustretur. Neque enim vel conventiones et abusus in negotio Religionis contra Articulos Soproniensés emersi, ad normam eorundem examinari legaliter, vel si examinentur quoque tolli poterunt, cum prouti V. Clerus per exhibita scripta sua eliminationem Evangelicorum non tantum intendit, sed postulat pariter ac adurget, ita aeque status Catholicus, stante priore suo principio, non manutentionem et effectuationem legum per se conditarum, verum in conatum V. Cleri, consilia manusque junget ac futuris persecutionibus, viam apertam relinquet. Ex quibus porro

5. Universas et singulas sancitas in negotio Religionis tam priores, quam proximiores leges, adeoque Sacra etiam Regum Diplomata, quibus Libertas receptae Religionis Evangelicae radicatae sarta tectaque habetur, nullam vim legis publicae habuisse, ac prouti praesentationem Articulorum in Diaetis per status et ordines Regni, ad confirmandam Sacratissimo Principi offerri solitam, ita et Regias reciprocas approbationes, praetextuosas saltem et elusorias (quod vel cogitare piaculum est) fuisse, parique ratione constitutiones etiam reliquas, publica, civilia Statuum negotia tangentes, concidere debere consequeretur, cum non minus illac, quam istac relativa ponderis et prerogativae paritate gaudeant. Hanc tamen ex praemissis elicitam et quasi sua apte promanantem illegalitatem, vix ipse inclytus Status Catholicus Secularis contra prima Juris Patrii et Gentium Principia admiserit. Ut ut autem haec inter Acta Commissionis Majestati Vestrae Sacratissimae per Dominos Regios suos Comissarios rite in specie transmittenda non dubitamus, cum tamen statum quaestionis hujus aeque ad nos, qua in communi Evangelicos pertinuisse consideraverimus, submittimus cum profunda humilitate, alto ac Clementissimo Majestatis Vestrae Sacrat.

judicio. An non justa et rationabili de causa haec per nos tum praevisa, tum in quaestionem ac controversiam sumpta sunt? Verum quamquam ea primum quidem non nisi in facie Commissionis intra parietes acta, ex post vero apud Agentes quoque utriusque Partis in arenam disceptationis proruperint, et continuis iteratis vicibus, tum ex parte Agentium Evangelicorum, tum a nobis quoque, ut a parte Dominorum Catholicorum Secularium expressa ac categorica super praemissis daretur resolutio et declaratio, tam verbo quam scriptis adurgebatur. Nihilominus Ven. Clerus toto Commissionis decursu non nisi nomine proprio egit, atque taliter quaestionem hanc inter nos ab utrinque agitatam in praesentiarum usque altissimo silentio esse praeteritam, non immerito conquerimur et ad antevertendum futurum fors exinde quodpiam praejudicium coram Augustissimo Majestatis Vestrae Throno, eo quo par est homagialis venerationis cultu, ex justo et aequo declaratorie repraesentamus.

Quinto.

Invectivae et Scommata Cleri Hung. in Evangelicos. — Caeterum Rex Clementissime! ex his metiri non obscure licet, quae fuerint, sintque praeconcepta ex parte Ven. Cleri in Evangelicos Fideles Majestatis V. Sacr. Subditos consilia, dum Inclytum statum Catholicum Secularem alias antehac (prout Acta praeteritorum Comitiorum docent) erga Seculares Evangelicos, qua suos ejusdem sanguinis proximos et Patriae suae populares, concives, semper aequanimem, in societatem contradictionis suae trahere ac per hoc a diaetaliter ordinato Commissionali Foro, et Processu contra benignam Majestatis V. Sacrat. intentionem avertere allaboraverint. Luculentum ejus rei praebuit testimonium, cum primum quoque suum scriptum contradictioni adjunctum nomine generalis Instantiae insignitum, inconvenientibus terminis minus officiosis ac pungentibus criminationibus Dogmatica quoque in se complectentibus refertum exhibuerit. Quo mediante prout variis atque variis exquisitis convitiis in Religionem Evangelicorum extra omne institutum invehitur. Nec secus eosdem quoad statum quoque externum publicis tum propriae tum et exterarum Gentium vituperiis exponit. Et haec manifeste patent dum non sufficit diffames Adversariorum, Haereticorum, Violentorum, Tumultuosorum, Temerariorum, Apostatarum, Seductorum titulos iisdem impingere, verum eosdem semper ex intestinis bellis augmentum sumpsisse, solam spem et fiduciam in ipsis posuisse, Articulos in favorem sui armatis precibus extorsisse, in Otthomannica Potentia plurimum refugii collocasse, titulo precario in Regno degere, gratia et clementia se indignos reddidisse et hinc non solum priores, verum posteriores etiam consequenter omnes de libero Religionis exercitio sancitos Articulos merito abolendos, adeoque Acatholicos, cum Evangelico

Patrefamilias ad intrandum ad convivium, id est Ecclesiam, vi compellendos ac juxta Bernardum gladio coercendos, cum juxta Textum S. Pauli: Magistratus non frustra gerat gladium, suadente etiam S. Augustino: Pecora errantia ad gregem flagello esse quoque revocanda. expressis verbis praementionato suo scripto declaverit. resolverit, ac immanem hanc sententiam praeliminaliter pronunciaverit.

Absit autem a nobis quam longissime ut brevi hac declarativa expostulatione Ven. Clero, qua primo e Statibus ac Ordinibus Regni offensioni ansam dare, vel integritatem aestimationis ejus, quoquo modo laedere. aut indignationem Caesareo-Regiam erga eum provocare sive praesumamus sive intendamus.

At cum Majestati Vestr. Sacrat., postremo suo benigno ad Dominos Commissarios Regios Sub dato 20 Martii MDCCXXII Viennae Decreto, quaenam Partium dogmaticis et scommaticis ac extravagantibus disceptationibus ansam dederit, de humilima submittenda informatione, committere clementissime visum fuerit. Nos quoque operae pretium et partem obligationis nostrae facturi videbamur, si ea ex praecitato primo Ven. Cleri scripto prae primis emersisse ac reliquis a scopo Commissionali exorbitantibus in officiosis et Theologicis internum Religionis et Fidei negotium tangentibus scriptis et rescriptis occasionem suppeditasse, candide et sincere absque ullo in unam vel alteram partem praejudicio humilimis aliquot lineolis repraesentare non intermiserimus.

Ut ut autem diffitendum non sit Agentes quoque Evangelicorum tertio Gravaminum suorum Puncto de clausula: „Salvo jure Dominorum terrestrium." alias Articulo XXV anni MDCLXXXI inserta sonante, per formam Politico-Moralis applicationis, aliquot verba ex Bernhardo et Lactantio Primitivae Ecclesiae Patribus, ad evertendum jus in conscientias Subditorum citasse, verum cum praecitata clausula jam diu ante per Ven. Clerum et nonnullos terrestres Dominos Catholicos, sensu Theologico sumpta et intellecta sit, vigore cujus Religionem seu Fidem conscientiis imperari, adeoque Evangelicos ad Romano-Catholicam Fidem amplectendam libere cogi posse non modo interpretati sint, sed et magna in Regni parte per occupationes Templorum et violentas ad deserendam Religionem suam subditorum compulsiones actu ipso exercuerint, vix ac ne vix quidem evitari potuit. quin praemissa hujus clausulae interpretatio in quaestionem Politico-Theologicam, mixtis rationibus motivis ac argumentis. leniter, moderate ac absque Partium injuria modeste sumeretur, ac disputaretur, communi cum Dnis. Catholicis Commissariis consensu, occasione instituti inter nos de continuandis Actorum extractibus mutui discursus, aequum et fere necessarium esse censuimus.

Utinam autem utraque Pars ea fuisset usa moderatione, ut circa

hanc unicam quaestionem seu materiam praemisso modo sese continuisset! Sed non saltem ad alia quoque interna Religionis seu Fidei dogmata, verum etiam publicum unius et alterius Partis externum statum tangentia, primum quidem ex parte V. Cleri per varia criminationum convitia offensive, postea etiam Evangelicos, per immodicas aeque replicas defensive, utrosque autem satis longe a scopo Commissionali excurrisse, docent et ostendunt ingentia utriusque partis scriptorum volumina.

Verum enimvero cum semel facta infecta fieri nequeant, ac juxta benignum Majestatis V. Sacr. Mandatum praescita dogmatica, scommatica et extravagantia e tanta scriptorum mole, absque longissimo temporis decursu, laboreque immenso expungi, corrigi, ac denique denuo concinnari nequeant, universa quidem et singula Acta altefatae Majestati Vestr. Sacrat. transmittenda, Extractum nihilominus ex iis breviorem in forma Synopseos per Agentes utriusque Partis concinnandum unanimi voto necessum esse censuimus. Si quae tamen in Extractu exparte Actoratus V. Cleri occurrerint, quae Majestati Vest. Sacr. sive dogmatica, sive scommatica, sive denique extravagantia visa fuerint, certe prout Agentes Evangelicos ea coram facie Commissionis deprecatos fuisse, ac ad respondendum quoque invitos accessisse, ita ne nos quidem eatenus consensum praebuisse, mediante hac humilima informatione nostra sincere nec immerito declarandum duximus.

Sexto.

Hinc ad scopum denuo redituri demissae Relationi nostrae annectendum censemus, quod posteaquam Evangelici generalia aeque ac particularia sua Gravamina una cum annexis Documentis adhuc Pestini successivis sessionibus exhibuissent, ac insimul examen quoque ac revisionem iteratis vicibus adursissent, eumque in finem particularia aeque ac singula sua Gravamina mediantibus inquisitionibus se comprobaturos obtulissent, licet quidem communi Dominorum Regiorum et reliquorum Commissariorum voto pro accelerando negotiorum cursu Deputatio instituta sit, quae convocatis utriusque Partis Agentibus, circa revisionem ordiri laborem suum quoque non intermiserit. Ast Agente V. Cleri se factum Gravaminum non negare, verum rationem facti dare nolle diserte declarante e converso Evangelicis quoque factum illatum e propriis Ven. Cleri confessis satis constare, considerantibus his amplius censura vix opus esse Inquisitionum labore eo tum destitit.

Postquam tamen hac Commissione diaetali Pestini ob dilationem interrupta ac ex benigna Majestatis Vest. Sacrat. dispositione Posonium translata ac re assumpta denuo nosmet ad conformitatem priorum benignorum Decretorum, operi continuando accinxissemus, simulque Agentes utriusque Partis elucubrata scripta sua, successivis vicibus exhibere non neglexis-

sent, animadverterunt Evangelici ex communicatis secum Replicis V. Clerum ab assertione sua praemisso modo Pestini facta, longe discessisse, dum tam occupatorum, quam et nunc prae manibus Evangelicorum habitorum plurium Templorum possessionem, quae anno MDCLXXXVII occasione Diaetae Soproniensis actu tenebantur, non modo in dubium vocaverit, sed et ex Actis ejusdem Diaetae impressis contrarium evincere intenderit, qua de causa necessarium judicarunt, non tantum formatae Ven. Cleri objectioni contrarias opponere Replicas, verum interruptam quoque Deputationem ad censurandas Inquisitiones erigendam denuo adurgere. Ut ut autem id a Commissione obtinuerint, Partesque medio Dni. Protonotarii Judicatus Curiae Regiae ad se coram neo-instituta Deputatione sistendum admonitae fuerint ast Ven. Clero seu Agente ejus neutiquam comparente, postquam revisionem Inquisitionum absente Parte contraria frustraneam fore ac denuo adursam, vel in longum tempus protrahi, vel penitus omitti animadvertissent, totam Inquisitionum massam sub certis signis subque cautela restitutionis, vel dandae super recepisse Recognitionis, tandem die 16 mensis Aprilis Commissioni praesentarunt. Et quanquam expost quoque una nobiscum examen ac censuram eorum sedulo urgentes, ac ob facilitandum laborem seriem quoque Templorum, quae plurimis omissis prae primis edoctionem edocendorum praerequirerent exhibentes una eademque fidelia repraesentaverint, ac demonstraverint multum interesse Evangelicis, quo status Inquisitionum in trutinam et examen adsumatur, praesertim ex ea ratione, quod vigore verborum: „In aliis vero comitatibus" item: „Templa demum" Articulo XXVI insertorum, plurima occupata Templa ex omni aequo restituenda essent, nihilominus rebus jam ad ipsum eventum Commissionis tendentibus, cum gravi et summa Evangelicorum injuria praemissas ursas declarationes, ac solicitationes irritas fuisse non modo juste conquerimur, sed etiam auctoritate Regia remedendum alto eique clementissimo Sacrat. Majestatis Vest. submittimus judicio et determinationi.

Septimo.

Dissensus de Norma et Fundamento Processus inter Deputatos. — Denique restat ad Relationem hanc ne reticeamus principalem illam et summam omnium difficultatem: exortam inter nos Evangelicos ab una parte, vero ab altera Dominos Catholicos con-deputatos Quaestionem, quae de Norma et Fundamento Processus Commissionalis ejusdemque Examinis, proponente Domino Praeside, non modo mutuis inter nos colloquiis agitata, sed et super additis seorsivis singulorum votis ad Majestatem Vestr. Sacr. medio Dominorum Commissariorum transmissa exstitit: An nimirum praeter articulum XXX novissimae Diaetae, ibidemque citatos in negotio Religionis conditos arti-

culos, benignorum Decretorum in copiis Commissioni transmissa annexa pro norma et fundamento habeantur? Diffiteri non possumus, quin hic vota nostra scindi oportuerit, opinione Partis alterius in contrarium abeunte, quae prout articulo praecitato XXXmo ac annexis transmissis Decretis et Patentibus, signanter autem resolutioni anni MDCXCI tanquam basi et normae Legis loco innitendum censuit.

Nos e contra eundem Articulum XXX-mum anni MDCCXV et per eum confirmatos Soproniensès ac ibidem contentos et confirmatos, qua publicas Regni Leges et Constitutiones, de natura earumdem pro norma et fundamento, ast transmissa benignorum Decretorum Annexa, juxta expressa eorum verba, non nisi pro informatione habenda, neque alias explanationes pro talibus quarum idem Articulus novissimae Diaetae mentionem faceret, praeter quam Regias Diaetales publicas reputandas esse, per humilima vota nostra non abs re censuimus; et quanquam uti praemissum est, Majestatem Vestr. Sacrat. non modo ex transmissis seorsivis iisdem votis nostris, verum etiam continentiis humilimi Memorialis nostri pro uberiori informatione eo tum praesentati, statum controversi hujus negotii abunde intellexisse, tanto minus ambigimus, quod de dato 16 mensis Maji anni praeteriti motas has difficultates et quaestiones cum Ven. Clero communicandas, ejusdemque argumenta, rationes et motiva percipienda examinanda, nec priusquam utraque parte sufficienter audita, vota et opiniones submittenda benigne commiserit signanter Explanationum Regiarum inter praefationem et declarationem, praevia Partium superinde medio Commissionis auditione, sibimet cum primis competere clementissime declaraverit. Cum nihilominus tum ex ratione praemissa tum quoad summam rei totius Processus Commissionalis, praecipue in hoc cardine versari, animadverteremus, intermittere haud possumus, quin revisis jam et examinatis utriusque Partis elucubratis hanc in rem scriptis ac rescriptis, ibidemque contentis rationibus et motivis prioribus, votis nostris calculum addamus vel maxime dum praetensam anni MDCXCI Resolutionem nullatenus inter Explanationes Regias Articulo XXX an. MDCCXV contentas referri proque iis intelligi ac haberi posse luculentius atque fusius adhucdum exparte Evangelicorum superatum et remonstratum comperimus et quidem per rationes hic brevitatis causa non ex toto sed in parte subnexas sequentes.

1. Constat ad publicam omnium notitiam, quibus status Augustae Aulae Caesareo-Regiae sub Divo olim Leopoldo Imperatore et Rege gloriosissimae memoriae, Genitore altefatae Majestatis Vestr. desideratissimo, adhuc notus est, tempore quo praetensa Resolutio emanarit, Eminentissimum olim Cardinalem a Kolonits, institutae eo tum in rebus Huagaricis Commissionis extitisse Praesidem, qui siquidem jure etiam officii sui,

qua summus Secretarius Cancellarius cum Illustr. ac Reverendiss. olim Ladislao Matyasouszki Cancellario Regio Aulico continuam de cursu Cancellariae cointelligentiam habuerit, utrosque Ecclesiasticos adversus Evangelicos intemperate zelantes, praedictae Resolutionis concinnatores atque auctores fuisse, eamque Agentibus Evangelicorum invitis obtrusam fuisse, ex Actis ejusdem temporis etiamnum exstantibus indubium est. Hinc eandem tanquam ab iis profectam, quorum non mederi sed augere Evangelicorum afflictiones studium fuisse tristis experientia multos docuit, nonnisi dicasterialiter absque praevia pie memorati Principis sufficienti informatione ejusdemque et de nomine expressa positive ratificatione emanasse non abs re dignoscitur, adeoque pro regia explanatione haberi minus tuto potest. Quod

2. Cum palam notum sit eam esse a temporibus antiquissimis Cancellariae Regio-Hungarico-Aulicae praxin ut universae et singulae expeditiones subscriptione propriae manus Regiae muniri soleant, praefatam Resolutionem nec Agentibus Viennae eo tum constitutis, sub Regia subscriptione extradatam fuisse constat, nec alibi expost in Regno eo modo visam esse comprobari queat. Porro

3. Cum negotium Religionis prae aliis Regni negotiis maxime publicum esse ex Actis quoque diaetalibus pateat, adeoque ejusdem legalis status publicam, etiam diaetalem Regnicolarum notitiam singulariter praerequirat, e converso autem praememoratam anni MDCXCI Resolutionem, nec missilibus Decretis ad comitatus Regni circulariter dirigi solitis, nec mediantibus Patentibus impressis vel alio quocunque modo authentico, aliquando in transmissa forma publicatam esse evinci queat, non immerito controvertitur eandem nequaquam ex Regia scientia et legali ratificatione emanatam extitisse: ideo quod publicatio similium praesertim, quae publicarum constitutionum determinationes concerneret, necessario ac quasi inevitabiliter praerequireretur, secus non publicata, juxta Tit. 5 Part. II oper. Decr. Tripart. eo facto viribus suis destituta mansit nec quenquam ad observationem sui amplius obligaverit, aut nunc quoque obligare de jure possit. Ast causa

4. Omissae publicationis et non subscriptionis est quod Evangelicorum Agentes statim post receptionem ejusdem Dicasterialis Resolutionis, tum in publica audientia, tum per iteratos supplices libellos, contrarietatem ejus cum genuino sensu articulorum Soproniensium confrontatam ostenderint, eamque hac de causa humilime deprecati sint, uti patet ex orationibus eorum coram Sereniss. Principe dictis adjunctisque Memorialibus etiamnum superexstantibus (si necessum foret reproducendis) unde evenit ut penitus expost silentio praeteriretur. Usque dum

5. Ipsemet idem gloriosae memoriae Monarcha videndo dicasterialem hanc deprecatam Resolutionem nomine suo expeditam repugnare Articulis

Soproniensibus, publica Explanatione eandem sustulit et irritam reddidit cum virtute benigni de dato die 20 Julii anno MDCCIV Decreti ad Excell. ac Reverendiss. Archiepiscopum Colocensem Paulum Szetsenyi, eo fine ut per Regnum publicatum reddatur, contrariis expressis verbis declaravit: Libertati ac securitati trium in Regno receptarum Religionum juxta genuinum Articulorum Soproniensium et Posoniensium sensum se provisurum, neque ut Domini Terrestres jure suo abutantur, vel a quocunque cujuslibet conscientiae ulla vis inferatur permissurum, sed Regia manu impediturum, idque Sanctum et inviolabile esse ac permanere debere. Ex quo consequitur quod etiamsi praetensa Resolutio (per inconcessum) ex praevio consensu Regio emanasset, expost a melius informato Principe, illa qua prior, per hanc qua posteriorem contrariam annihilata fuerit. Non secus

6. Idem sensit Sacratis. olim Princeps Josephus, qui occasione gloriose suscepti Regiminis, Divi Progenitoris sui vestigia premendo, postquam Statibus et Ordinibus Regni generalem Conventum indixisset, inter reliquas suas datas super Gravaminibus eorumdem Resolutiones, praememoratam quoque legalem declarationem Leopoldinam quoad negotium Religionis iisdem expressis verbis repetiit. Postquam enim status Catholicus occasione ejusdem Diaetae legalia Evangelicorum Puncta, reliquis Regni Gravaminibus inserere neglexisset, hi autem e converso iteratis supplicibus demonstrationibus Articulos Soprononienses in genuinum suum verbalem sensum per varias Dicasteriales et Commissionales interpretationes distractum reponendos ursissent, clementissime resolvit: Ut iidem Articuli secundum formalia clara verba in legalem genuinum sensum et statum reducerentur et si quaedam per abusus et contraventiones ineffectuata essent, ea quoque modalitate praemissa complanarentur. Praeterea

7. Haec mens, haec benigna intentio fuit Majestatis V. Sacrat. dum occasione continuationis ejusdem novissimae Diaetae, ad easdem Leopoldinam et Josephinam Genitoris et Fratris sui desideratissimorum praeattactas Resolutiones sese benigne provocaverit, ac non modo negotium Religionis priori hac benignissima Resolutione in Articulis Posoniensis et Soproniensis Diaetarum fundatum plane accommodandum esse declaraverit, verum etiam ne Domini Terrestres Jure suo abutantur, vel cuicunque conscientiae vis inferatur, manu et auctoritate Regia praepedituram; denuo de verbo ad verbum recitare dedignata haud fuerit, ut hinc sat clare pateat, priorem illam anni MDCXCI dicasterialem Resolutionem per hanc trium Regnantium Majestatum contrariam explanationem, uti et posteriorem et diaetalem et sensu Articulorum Sopro-

niensium magis conformem. eo ipso sublatam esse. ulterius quoque supplicantes fideles subditi Evangelici. ut Explanationem hanc vere Regiam, quae sine laesione auctoritatis Regiae, tam Praedecessorum suorum. quam et suae propriae alterari convelli nequit, declarato sensui Articulorum Soproniensium applicandam sartam tectamque manere jubeat Majestatas Vest. Sacr.

8. Nam non alias Resolutiones seu Explanationes sive dicasteriales, sive Commissionales, quam directe ipsas diaetales pro Regiis intelligendas esse, praevie statim sub ipsa Diaeta humilima Declaratione sua mediante Majestati Vestr. Sacratissimae exhibitae ac in Actis Commissionalibus sub Litera T. reproductae. palam et publice coram Statibus etiam Regni sese expectorarunt Evangelici; neque in Articulo XXX alias Explanationes Regias sese recognoscere vel recipere et scripto et opere testati sunt. Sicque praetensam anni MDCXCI Resolutionem in locum diaetalium ex parte Vener. Cleri Evangelicis obvertere prout ratio justi et honesti non permitteret. ita aeque gravis foret injuria. Et quidem tanto magis quod

9. Non modo a tempore emanationis suae usque ad novissimam Diaetam decursum ferme 20 annorum in se complectente sed nec toto septennio celebrati diaetalis concursus eadem praetensa Resolutio, sive in Decretis seu Patentibus Regiis. unquam de nomine et per expressum allegata. sive in publicis Diaetalibus propositionibus attacta tanto minus authentice in publicum producta extitit; quae profecto nullo modo reticeri vel potuisset vel debuisset, si inter Explanationes Regias, quarum praecitatus Articulus XXX novissimae Diaetae mentionem facit, locum habitura fuisset. Notum est autem

10. Quod Articuli Diaetales semper ex Actis ejusdem utpote Propositionibus Regiis ac reciprocis Statuum et Ordinum replicis, iteratisque contra-replicis et resolutionibus formari et concinnari soleant. Ast cum de praerepetita praetensa MDCXCI an. Resolutione, seu veluti praetenditur Explanatione in Publicis Actis altum fuerit silentium. praedeclaratae ante trium gloriose Regnantium Majestatum Resolutiones, Acta intraverint Diaetalia. ordo et natura rei receptusque stilus Diaetalis non admittit ut illa neglecta et non hae qua Diaetales in Articulum XXX insertae sint aut pro ibidem insertis intelligi debeant. Et enim

11. Constat Explanationes seu Interpretationes Legum illas esse proprias, sinceras et convenientes, quae ad verbalem earum sensum plus accedunt, dictante etiam Regula Juris: A proprietate verborum non esse recedendum. Cum autem praetensa Resolutio a genuino verbali Articulorum Sopronicnsium sensu longissime recedat, eadem pro Explanatione tanto minus haberi posse merito infertur, quod interpretationes pro medela conservandi et non evertendi legum vigoris adhiberi soleant. Nam secus si specie aut praetextu Explanationum contrarius

Legis sensus induci deberet, id perinde foret, ac si cuipiam infirmo loco medicinae eae adhiberentur, quae mortem ejus accelerarent.

12. Ad haec cum Articulorum Sopronicnsium reliquae clausulae per se satis clarae sint, et in usu suo maxima in Regni parte perstiterint ac etiamnum perstent, solaque illa intra Parenthesin: „Salvo Jure Dominorum Terrestrium" Articulo XXV inserta per Ven. Clerum et nonnullos Dominos Terrestres in varium sensum trahi ceperit, sequitur illas praeter hanc nulla Explanatione indiguisse, ac exinde factum esse, ut clausula praeattacta, ne vigore ejus Domini Terrestres in conscientias Subditorum abuterentur, auctoritate Regia in genuinum sensum per genuinam explanationem reducta habeatur, quae cum alteri interpretationi in praetensa Resolutione an. MDCXCI insertae aperte contrarietur, unam eandemque Legis clausulam, duas contrarias seu contradictorias Explanationes recipere impossibile est.

13. Demum, quaenam sint habendae pro iis Explanationibus, quarum Articulus XXX Diaetae MDCCXV meminit, vel exinde patet, quod et Diaetalia particularia Decreta Instantibus modo provisorio extradari solita, ad has occasione Diaetarum publicatas Explanationes sese referant, uti videre est ex benigno ad Instantiam Civitatis Eperjes de dato 14 Aug. MDCCXIII emanato Mandato in haec verba: Quatenus genuino sensu et tenore Articulor. XXV et XXVI ibidemque confirmati An. MDCXLVII, itemque Caesareo-Regiarum Patentium et Resolutionum Diaetalium efficaciter observandis, nec in Exercitio Religionis nec in perceptione stolari vi Articuli II an. MDCXLVII Ministros impediri posse, nec Cehalistas ac cerimonias Religioni suae contrarias adigi debere. Quod ipsum et alia quaecunque pari tenore expedita si necesse fuerit produci poterunt. Sed missis his dicasterialibus

14. Etiam Patentes MDCCXIV quantumvis ad Instantiam Venerab. Cleri non auditis Evangelicis expeditae, nihilominus ad Resolutiones Diaetales in negotio Religionis se provocant, adeoque hanc et non illam praetensam, qua nullibi antea allegatam Articuli XXX tenori convenientissimam esse dubitari non potest. Accedit

15. Conventionem Szathmariensem ob sopitos proximos motus interventam diaetaliter esse confirmatam; quae dum se ad publicatas propter motus declarationes in formula Juramenti ibidem expressa provocet, nullas autem alias declarationes quam quae per divum olim Leopoldum anno MDCXCIV per Regnum publicata est, propter motus factas esse constet, infallibilis erit consequentia, non alias quam praedeclaratam benignam Leopoldinam, universis et singulis Regnicolis notam, vigore conventionis ejusdem fuvisse ratihabitam, atque adeo etiam in Articulo XXX intellectam. E contra

16. Toties repetitam Anni MDCXCI Resolutionem postquam anno MDCCXIV per Ven. Clerum solenni Legatione Majestati Vestr. Sacr. pro manutentione praesentata fuisset benigne rejectam et non admissam esse, praeter publicam ejus temporis notitiam inde quoque experti sunt Evangelici, quod praescriptam Puncto tertio Annexorum ejusdem Resolutionis an. MDCCI uti praetenditur, Resolutionum, paenam, quae in Catholicos Evangelicam Religionem sponte ac benevole acceptantes adursa fuit, Majestas. Vestr. Sacr. intuitu publicarum Regni Legum approbare renuerat. Eas itaque quae (uti praemissum est) nec manu Regia subscriptas, nec per Regnum publicatas nec Diaetaliter productas. imo trium gloriose Regnantium Majestatum declarationibus mediantibus sublatas. ac erga iteratam Ven. Cleri praesentationem non admissas, nunc denuo pro Explanationibus Articuli XXX an. MDCCXV ibidemque confirmatorum reputari posse aut debere nulla ratio admitteret.

17. Neque obstaret quod occasione institutae hujus Commissionis cum benigno Majestatis Vest. Sacrat. de dato 3 mensis Aug. an. MDCCXX emanato Decreto inter alias Patentes haec quoque praetensa Resolutio per annexum transmissa exstiterit. Namque eo fine saltem esse transmissam ut Commissioni pro informatione deserviat, expressa ejusdem Decreti verba satis innuunt; ac nos quoque mediantibus humilimis votis nostris Majestati Vestr. Sacrat. Pestino transmissis profunda cum submissione repraesentavimus. Evidens autem est id, quod pro informatione transmittitur non pro lege neque pro basi et norma agendorum censeri posse. Nam

18. Aut examinis Commissionalis basis et norma est lex publica adeoque Articuli Sopronienses in genuino sensu suo confirmati, aut praecitata transmissa Resolutio? Si prius, Resolutio praetensa vim normae amittet et qua pura puta informatio non contra legem suffragari, sed eidem cedere debet. Si posterius, jam in eo casu pro informatione transmissa, praevaleret publicae legi, cum tamen ne lex sit norma contraventionum et abusuum proprietati et naturae omnium legum in communi repugnaret. Neque enim Articulus XXX novissimae Diaetae id statuit, ut Resolutiones anni MDCXCI ad genuinum sensum et statum reducantur, sed de Articulis expresse id ordinat. Idque verificatur amplius ex eo quod

19. Benigna quoque declaratoria seu interpretatoria Mandata Regia circa jura Privatorum interdum emanari solita, Legibus Patriis normam absolute non praescribunt, verum ex lege ad leges discussa Foro contradictorio submitti, taliterque accommodari soleant, cum vigore Tit. XI. Part. II. Privilegia quoque Regia, si Juri communi derogent, vigorem et efficaciam amittere censentur. Quanto minus ergo praetensa tot defectibus laborans Resolutio quodpiam contra leges robur firmitatis sortiri potest. Hinc est

20. Quod et Majestas. Vestr. Sacrat. virtute benigni sui de dato 16 Maji an. MDCCXXI ad Dominos Regios Commissarios directi Decreti benigne ordinaverit, ac clementissime commiserit, statum Explanationum, quaenam pro talibus habendae sint, audita quoad rationes et motiva utraque Parte, examinandum esse. Ex qua benigna Majestatis. Vestr. Sacr. intentione evidenter sequitur, praetensam toties dictam Resolutionem, quae examini subjicienda praecipitur, nullatenus pro norma, lege et basi Actorum Commissionalium, vel transmissam esse vel pro tali habendam reputari cum et Articulus XXI anni MDCLXXXVII, qui de nulla adhuc Explanatione meminit, et Articulus XXX novissimae Diaetae ut ut Explanationum meminerit, expresse tamen Articulos Soprononienses confirmat. Neque autem Resolutiones an. MDCXCI sed eosdem Articulos effectuandos jubet. Quibus accedit

21. Quod eadem ipsa Resolutio sibimet in Paragraphis aperte contradicat, dum in prioribus expresse cavet: — Ne Evangelici ad amplectendam Fidem Catholicam ubicunque per totum Regnum cogantur, — expost vero paulo inferius clausulae: salvo Jure Dominorum Terrestrium, — omnino standum esse, eamque non de subjectione solum Jobagyionali, jureque servitutis corporalis intelligi, sed ad conscientias quoque trahi debere, dictet. Jam vero, per totum Regnum non cogi, e contra jus in conscientias exercere posse, ad invicem sibi repugnantia esse evidens est, id quod magis magisque vel inde patet, quod cum Plebi Templa in articularibus locis assignata secure frequentare, Ministros suos accedere, Publicoque Exercitio Catholici ibidem uti permittant, si e contra Domini Terrestres Romano-Catholici vigore dictae clausulae Subditos suos ab his prohibeant, aeque duo contraria in una eademque Resolutione contineri innegabile erit; contra Universale illud axioma: Quod duo contradictoria simul consistere non possent.

22. Nam quantumvis in Replicis suis respectu Producti sub lit. G. datis Ven. Clerus asseruisset, quod inter Articulorum Sopronienslum genuinum sensum et Resolutiones MDCXCI nulla detur difformitas, aut contrarietas, attamen scripta et diversae ejusdem Replicae reipsa contrarietatem comprobant. Nam in generali ejusdem contra-replica ad generalem Evangelicorum super Ven. Cleri Gravaminibus 5ta Decembris datam Replicam anno MDCCXXI Posonii exhibitam, signanter membro secundo ad Evangelicorum Rationem hoc est formale Ven. Cleri Responsum. Pacificatio Viennensis, ut saepius dictum, est, si absque praejudicio Catholicae Religionis vixissent Acatholici, vel in quantum per Explanationes Regias et posteriores Articulos mutata non est, intelligenda. Priora si quidem tolluntur et modificantur per posteriora. Ergo si quidem ejusmodi praetensas Explanationes habere vult, per quas Articuli tolli possent,

ultro easdem Articulis adversari testatur. Ibidem in membro secundo ad Rationem Evangelicorum secundam haec habet: Adeoque Articulorum XXV et XXVI an. MDCLXXXI sensus non secundum se, verum Explanationes Regias intelligi debet.

Sed his adhuc apertius inter genuinum Articulorum Soproniensium sensum et Resolutiones anni MDCXCI difformitatem et contrarietatem Ven. Clerus confitetur, dum in contra-replica Dioecesis Agriensis Articulis Soproniensibus duplicem genuinum sensum difformem attribuit asserendo Articulos XXV et XXVI anni MDCLXXXI quoad genuinum eorundem sensum dupliciter posse considerari: α In sensu genuino verbali seu materiali ad literam prout ipsi Articuli concinnati existunt. β In sensu genuino hactenus declarato, ut Articulus XXX an. MDCCXV loquitur, seu in sensu genuino secundum Explanationes Regias, quarum nomine semper Resolutiones MDCXCI intellectas vult. Sed quia sana prudentia, multo magis legali ratione admitti nequit ut una eademque lex, duplicem eumque diversum genuinum sensum patiatur contineatque et quidem talem, cujus unius non modo diversus, sed contrarius ad invicem comperiatur effectus, ideo quemadmodum duo contraria idem esse et simul consistere non possunt, ita genuino verbali Articulorum Soproniensium sensui repugnat, MDCXCI Resolutio genuino Articulorum sensu sumi nequit.

Cur etenim natura verborum significationem et usum hominibus indidit? si alium a verbali genuinum sensum Legibus appingere liceret profecto et genus humanum proprietatem verborum et vera rerum vocabula amittere et omnia Pacta publica elusoria fore oporteret, si diversum et contrarium duplicem genuinum praetensive sensum legibus tribuere fas esset.

Asserit porro in eadem Dioecesi Agriensi Ven. Clerus, quod sensus alius per Explanationes Regias praecitatus, declaratus, priori literali genuino non undiquaque conformis pro genuino per suam Majestatem Sacrat. constitutus sit. Quae et similia vel cogitare expavescit pius et fidelis animus quasi vero Majestas Vest. Sacrat. et Articulos in genuino sensu confirmasse et simul loco genuini sensus difformes contrariasque Explanationes intelligere voluisse supponi possit.

Ulterius in eadem Dioecesis Agriensis contra-replica adducitur: quod praetensis Evangelicorum excessibus et demeritis exigentibus, prior ille irrestrictus et genuinus verbalis Articulorum sensus in meritissimam praetensorum Excessuum poenam de novo limitatus, coarctatus et in nonnullis sublatus quoque penitus fuerit ac extiterit. Sed quia nec praetensi excessus comprobati, quin potius Articuli in suo genuino sensu confirmati comperiuntur, ideo non Articulis contrarius sed genuinus sensus addendus est.

Corroborat adhuc clarius Ven. Clerus praemissam difformitatem dum

asserit: quod quicquid per Explanationes (quarum nomine praedictas Resolutiones MDCXCI urget) declaratum est, etiamsi non undiquaque correspondeat, imo contrarietur et adversetur nonnunquam genuino literali et verbali non declarato Articulorum eorumdem sensui illud non aliter in ipsis Articulis intelligendum sit, quam per Explanationes Regias explanatum esset. Unde eo ipso quod per Resolutiones MDCXCI priorem genuinum verbalem Articulorum sensum sublatum et abrogatum praetendat, easdem Articulis contrariari, adeoque genuino eorumdem sensui minime correspondere ultro testatur. Quoniam nonnisi contraria, nequaquam vero sibi substrata et subalterna tolli consueverunt. Et hinc si quidem Articuli Sopronienses, in genuino suo sensu per Articulum XXX an. MDCCXV sunt confirmati, Resolutiones autem MDCXCI non diffitente ipso Ven. Clero, verbali Articulorum Sopronienslum genuino sensui contrariari dignoscuntur. Ideo easdem per praecitatum quoque Articulum XXX an. MDCCXV sublatas haberi posse evidens est. Porro

23. Vener. Clerus, in generali sua contra-replica ad generalem Evangelicorum super Ven. Cleri Gravaminibus datam replicam supra memoratam membro 2do ad rationem Evangelicorum in ordine 1. 2. 3. 4 et 5 toto nisu in id contendit ut praetextu praetensi sensus declarati ipsum genuinum Articulorum Sopron. sensum evertat. Imo Articulum XXVI, MDCLXXXI mutilet, dum clausulam: „Salvis semper eatenus Legibus Diplomate Regio firmatis" cum ibidem in salvo relictis et confirmatis Legibus, praetenso declarato eorundem Articulorum Sopron. sensui repugnare. Et non ita, quemadmodum eo quo Articuli Sopron. conditi sunt tempore, late patentes esse, asseverat, imo hoc praetensive declarati sensus praetextu per Resolutionem MDCXCI eosdem Articulos Soprolienses tollere et evertere conatur, cum tamen XXX Articulos Soprolienses non mutatos, sed in genuino sensu conservandos renovet. Articuli autem Soprolienses Leges Diplomate Regio firmatas semper pro salvis nequaquam vero pro sublatis pronunciarent.

Insuper per benignum Leopoldinum Diploma Regium non solum Pacificatio Viennensis, et an. MDCVIII, verum MDCXLVII quoque et aliorum annorum omnes Articuli confirmati sunt, atque adeo haec ad invicem connexa et quasi concatenata esse patet ut eadem et easdem ab Articulis Sopron. secludere et avellere nihil aliud sit, quam genuino Articulos Soprolienses sensu in Clausula: „Salvis semper eatenus Legibus Diplomate Regio firmatis" privare. Nec obstat in Articulo XXX duorum duntaxat annorum Articulos ac in his saltem aliquos expresse specificari, nec sequitur exinde quasi vero omnes alii in specie non expressi sublati essent, cum expressa sit clausula in Articulo XXVI, MDCLXXXI „Salvis semper —" et aliunde Sacrum quoque Leopoldinum Diploma in quo priorum annorum Articuli renovantur per Majes-

tatem Vestram Sacratissimam Artic. I et XX, MDCCXV clementissime confirmatum est.

Etenim absonum et inconveniens est id statuere, ut quoties in Decretis Regni aliquae Leges in specie renovantur et reliquae in genere confirmantur, toties in genere omnes confirmatas praetextu hocce tolli oporteret. Nam ratione hac ipsum quoque Majestatis Vest. Sacrat. Diploma MDCCXV Artic. 2do conditione prima, si quidem solius Articuli XXXI Andreae Regis Decreti mentionem faceret, reliquas vero Regni Leges, ibidem seriatim neutiquam citatas in genere duntaxat confirmaret, per hoc universas Leges, Libertates, immunitates, sustulisse dici posset. Quod tamen nec Ven. Clerus facile admiserit, si Legibus virtute quarum tot opima Ecclesiastica Beneficia, et amplos vastissimosque Ecclesiasticorum bonorum reditus atque proventus possidet, id quod in ultimario Sacro Diplomate in genere duntaxat confirmatae sint, nec ulla earundem specifica enarratio haberetur, privari posset vel deberet.

Quoniam si praecise pro eo tempore (ut Ven. Clerus praetendit) quo Articuli Sopronienses conditi sunt, eadem clausula late patenter intellecta fuit, et jam nunc taliter intelligi non debet, sequitur plane inutiliter leges condi et sanari, neque ulla publicis legibus vis constabit, si robur et firmitatem, sensumque et intellectum pro sola ratione temporis metiri et in contrarium pro arbitrio variare integrum erit. Etenim si per Resolutiones dicasteriales legibus publicis derogare jus et fas esset, tunc leges quae monumenta publicae fidei et authoritatis atque firmitatis sunt, eo ipso nec leges essent, sed tales esse cessare deberent, dum antiqua jura libertatesque Inclytorum Statuum et Ordinum Regni approbatas vel unica Excelsae Hungarico-Aulicae Cancellariae Resolutione labefactare vel subvertere liberum esset. Unde apparet toties fatam Resolutionem an. MDCXCI qua dicasterialem subsistere non posse. Accederet porro

24. Quod eadem anni MDCXCI Resolutio, cum illa quae typis impressa per nonnullos ex Ven. Clero et Secularibus Dominis Romano-Catholicis circumferebatur, adeo ad invicem reperitur difformis, quod in Typis excusa per totum sequentes praetermissi habentur Paragraphi: „Ubique loca pro Templis commoda et decentia assignentur, Ministri pro exigentia populi plures quam unus intertenendi permittantur." Itemque Paragraphus: „Quantum porro liberam electionem Magistratuum civilium attineret, in iisdem eosdemque Querulantes absque tamen exclusione Catholicorum turbari non debere." Ex parte autem Dioecesis Nitriensis quamvis Ven. Clerus in superinscriptione Gravaminum suorum ad diaetalem Resolutionem provocaverit, attamen demum MDCXCI utique praemissae difformem produxit, taliterque jam triplex ac invicem difformis haberetur. Proinde tanquam aliunde saepius mutata et variata

eadem Resolutio, pro immutabili et fixa Articulorum explanatione censeri minime potest. Sed reliquis praetermissis

25. Sufficit loco omnium rationum manifesta inter toties dictam Resolutionem an. MDCXCI ejusque singulas clausulas ab una, parte vero ab altera Artic. XXV et XXVI Soproniens. eorundemque singulos itidem Paragraphos demonstrata contrarietas. Quae adhuc Pestini ex parte Evangelicorum in Memoriali eorundem, die 30 Aprilis anni praeteriti, eidemque annexo producto in columnari opere sub lit. G. exhibito concinnata, ac Majestati quoque Vest. Sacr. humilime transmissa et praesentata est. Ex qua amplissime patet Resolutionem eandem praetensam stabiliri, juxtaque tenorem ejusdem statum negotii Religionis in Articularem ordinem redigi, et contra praerepetitos Articulos Sopron. confirmari, inque genuinum sensum et statum reponi, adeoque per omnes clausulas et periodos subsistere, tanquam sibimet ad invicem aperte repugnantia, meram inducere ac in se involvere contradictionem ut in una eademque sede morari, subsistere penitus nequeant, adeoque eandem Resolutionem pro diaetali Regia in Articulo XXX an. MDCCXV comprehensa haberi et dignosci singulae praemissae reclamationes nosque ex iis pro tali eandem reputari non posse, etiamnum humilime censemus. Quem in finem etiam ut idem productum sub G. una cum suis Replicis et Duplicis non extractualiter sed in origine Majestati Vestr. Sacrat. demisse repraesententur commissionaliter adinvenimus.

Quantum denique praecitatas benignas Patentes post sopitos ultimarios intestinos motus subsecutos attinet, ut ut se ad diaetales Resolutiones, prout supra saepius attactum est referant, sed quoniam easdem interimales duntaxat et nonnisi usque ad modernam Commissionem duraturas expeditas fuisse, atque id potissimum ut videlicet negotium Religionis usque modernam Commissionem in eum in quo ante retroactos motus fuerat statum reponeretur, ordinasse, tenor et contextus earundem satis clare exprimeret, ac proinde nullatenus easdem pro norma legali examinandorum Gravaminum praetendi posse demisse censemus, tanto fortius quanto evidentius tenore earundem Evangelicos si quid vigore Articulorum et Diaetalium Resolutionum in negotio Religionis ad praetendendum haberent, eatenus ad modernam Commissionem relegatos fuisse nemo negare potest.

Quibus circa Resolutiones anni MDCXCI in genere et semel pro semper praemissis inde servato Commissionalium Actorum ordine, ad generalia Evangelicorum Gravamina progrediendum erat, quae ex Punctis numero XX constant; quorum priora numero decem fundantur in Articulo XXV an. MDCLXXXI. Cujus Rubrica haec est:

Articulus XXV: De Libero Religionis Exercitio:

„Et quia propter bonum Pacis tranquillitatemque Regni publicam in negotio Religionis quoque Sua Majestas sese benigne resolvere dignata esset, ideo eandem etiam Resolutionem Articulis Regni Status et Ordines inserunt, ac imprimis quidem cum liberum Religionis Exercitium, jam antea in anno MDCVI vigore Pacificationis Viennensis concessum, his motibus a parte nonnullorum interturbatum fuisset, ideo confirmato hoc loci Articulo I dictae Pacificationis, idem exercitium omnibus et ubique per Regnum (salvo tamen jure Dominorum Terrestrium) juxta Articul. I anni MDCVIII ante Coronationem editum, liberum permittitur."

GENERALIS EVANGELICORUM GRAVAMINIS

PUNCTUM PRIMUM.

De Jure Ministros pro libero Religionis suae exercitii usu inducendi, intertenendi, eorumque opera utendi. Sequens:

Non solum coetibus Evangelicis, villanis, oppidanis, sed etiam integris civitatibus liberis, ex quibus quartus Status Regni constat, imo etiam Nobilibus tertium Regni Statum efficientibus Praedicantes pro cultu Divino et Sacris juxta ritum suum peragendis intertenere eorundemque opera in verbo Dei audiendo, casibus Eucharistiae, Baptismatum, Copularum et Sepulturarum uti non permittitur.

Respectu cujus principaliter ex parte Ven. Cleri reponitur: Idem liberum Exercitium ex Articulo XXVI, MDCLXXXI et Resolutionibus, MDCXCI restrictum fore, hoc ipsumque fusius ratiocinando in Replicis deducit. Nihilominus tamen praecipue ex iisdem MDCXCI Resolutionibus, virtute quarum distinguit inter Publicum et Privatum exercitium, ac si Articulus XXV de Privato, XXVI vero de Publico exercitio conditus fuisset idem autem Privatum Exercitium in Actis suis diversimode interpretatur, intelligendum fore jam de Lectione Postillarum, jam de Privatis Precibus domesticis, jam de interna Fide, seu ut liceat

cuivis credere interne Dogmata Religionis, externe tamen exercere non nisi in locis in Articulo XXVI non in genere sed in specie, et per expressum denominatis, et ibi quidem nonnisi salvo Jure Dominorum Terrestrium, seu donec Dominus Terrestris permiserit. Praeterea Evangelicos contra tenorem ejusdem Articuli XXVI et Explanationes in serie enumeratorum Locorum plus quam deberent praetendere, idque petere ex combinatione articuli cum praetensa Explanatione, seu Resolutionibus anni MDCXCI, atque adeo rite ab incompetentia arceri potuisse, quod turbatio dici nequiret. Turbatio enim praesuponeret apparentiam Juris. Jure autem suo utens abuti dici nequiret, nemoque in proprio esset violentus.

Quo in passu tam praemissa, quam et reliqua a parte Ven. Cleri ad hocce Generalium Gravaminum Punctum primum, qualitercunque per indirectum ad statum praesentis Gravaminis adducta cum Evangelicorum Replicis et Contra-Replicis ibidemque citatis Regni Legibus ad invicem collatis, combinatis, revisis et perpensis, examinando adinvenimus. Quod quia

1. Sicuti Leges humanae externis et non externis Rebus positae ita liberum quoque Religionis Exercitium Lege permittente, non de invisibili intra penetralia cordis posito, sed de visibili exercitio Religionis intelligitur, ut ut idem absque aedificio et solemnium Templorum commoditate, in loco seu domo privata, horreo, imo etiam sub Dio non tamen absque Praedicantibus et eorumdem ministerialium functionum opera peragi possit.

2. Quia ante Diaetam Soproniensem a tempore per Pacificationem concessi ac deinde Sacris Divorum Regum Diplomatibus perpetuo stabiliti liberi Religionum exercitii, similis usus cum inductione et intertentione Ministrorum neque Rusticis denegatus fuit. Quin imo

3. Ipse etiam Status Catholicus tempore Diaetae MDCXLVII in Replica sua ad Gravamina Evangelicorum, eo tum data incipiente: „Vastam querelarum Silvam," idem liberum Religionis exercitium his verbis declaravit: Vis ipsa vocabuli id significat, ut exercitium sit liberum, neque in eo quispiam turbetur, licet illud exercitium sit in Domo tantum, aut in alio loco privato, sic etiam liberum exercitium et quidem publicum exercitium esse non negari potest.

4. Adeoque id quoque recognovit, quod liberum exercitium etiam quoad rusticos, secum trahat Praedicantium intertentionem, ejusque Ministerialem usum, quod ipsum tribuit quoque Articulus V an. MDCXLVII in haec verba in paragrapho secundo: de non impediendis seu turbandis rusticis in sua Confessione declaratum et conclusum est, ut illi quoque propter bonum Pacis et Tranquillitatis Regni, sive sint confiniarii, sive oppi-

dani, sive villani in quorumcunque Dominorum Terrestrium et Fisci bonis juxta vigorem praescripti Articuli et conditionis in libero suae Religionis exercitio ac usu, modoque ut supra simili a Sua Majestate Regia vel ejusdem Ministris aut Dominis suis Terrestribus, quovis modo, aut sub quovis praetextu non turbentur aut impediantur, hactenus autem impediti, coacti aut turbati, liberum Religionis ipsorum exercitii usum reassumere, exercere et continuare permittantur. Praeterea

5. Eodem anno MDCXLVII Art. VII his formalibus sancitum est: „Quod si Mater Ecclesia sit apud Catholicos et Filia apud Evangelicos, et e converso Mater apud Evangelicos et Filia apud Catholicos, una pars ab altera non molestetur, ita tamen ut licitum sit Evangelicis si voluerint Religionis ipsorum Ministros eo inducere et intertenere, aut ad conciones audiendas alio ire."

6. Libertas haec intertenendi et aliunde inducendi Ministros ante Diaetam Soproniensem vigens, per neminem, qui temporum illorum cognitionem habet negari potest. Hinc eo ipso si quidem liberum Religionis exercitium, quod videl. in Art. Imo ante Coronationem hoc verborum tenore expressum habetur: „Ut Religionis Exercitium tam Baronibus, Magnatibus et Nobilibus, quam etiam liberis Civitatibus ac universis Statibus et Ordinibus Regni in suis et Fisci bonis, itidem in confiniis quoque Regni Hungariae Militibus Hungaris sua cujusque Religio et Confessio, nec non oppidis et villis eam sponte et libere acceptare volentibus, ubique liberum relinquatur, nec quispiam omnium in libero ejusdem usu ac exercitio, a quopiam impediatur." Idem, inquam, exercitium rursus positive et in specie vigore citati Articuli XXV denuo restitutum est, ideo quale ante interturbationem liberum exercitium, ultra revolutionem unius seculi usu receptum, et continuatis Legibus concessum erat, tale idemque nempe cum libera intertentione Ministrorum concessum restitutumque fore, sat clare ad literam Gravamini praeinsertus tenor Articuli exprimit.

7. Corroborat id ipsum Praedicantibus redeundi et liberam Religionis suae professionem ac ministerialia functionis suae munia exercendi in Articulo XXV restituta Libertas, virtute cujus ad notitiam publicam post eandem Diaetam Soproniensem, quam plurimi eorumdem in Pagos extra Loca in Articulo XXVI sive pro aedificandis Templis denominata, sive prae manibus Evangelicorum Possessorum relicta promiscue redierunt et post reditum munia sua exercuerunt.

8. In Undecim enumeratis Comitatibus, duo aut tria Loca pro aedi-

ficandis Templis excisa sunt, nihilominus numerosissimi Religionis Evangelicae habentur in pagis et oppidis, qui a Templis Evangelicis partim duobus, partim tribus, quatuor, quinque et pluribus milliaribus dissitis, ad peragendum cultum et servitium Divinum ire ob distantiam locorum non possunt, adeoque ex ratione necessitatis intertentione et inductione Ministrorum opus habent.

9. Quia Articulus XXV non est per Articulum XXVI limitatus, aut restrictus, sed ab invicem distincti, uno eodemque tempore et utrobique in favorem Religionis Evangelicae conditi, quod luculentissime pateret tam ex intitulatione seu Rubrica Articul. XXV: De Libero Religionis Exercitio, et Artic. XXVI: de Templis, praeinserta, quam totali eorundem contextu, quorum continentiis mediantibus idem Religionis negotium pro evidentiori dilucidatione dupliciter considerandus occurrit: Respectu Actus, et: Respectu Rei, taliter quod prior Articulus XXV de universali illo liberi Religionum exercitii libertatem omnibus et ubique Baronibus, Magnatibus, Nobilibus, Civitatibus, oppidis et villis per Regnum idem sponte acceptare volentibus concesso beneficio, seu ipso actu, aut usu exercitii, posteriori autem nempe XXVI: de Re, id est beneficio commoditatis Templorum vel per excisionem locorum pro aedificatione vel articulariter relictam, tempore Diaetae Soproniensis habitam possessionis actualitatem conditus sit, ut sic ad invicem distinctorum distincta sit ratio, quae justam ansam praebuit ne liberum Religionis exercitium cum actuali Legalis Templorum possessionis commoditate confundantur.

10. Quod occasione Diaetarum tempore concinnationis Articulorum in negotio Religionis, distinctio inter liberum Exercitium et Beneficium commoditatis Templorum observata fuerit, quam distinctionem Articulus IX anni MDCXLVII exemplificative in specie quoad Jaurinum his formalibus: „In confinio Jaurinensi permittitur structura Templi in nova Civitate", liberum exercitium vero tam intra quam extra moenia ipsius confinii, et ut Minister Confessionis Evangelicorum, intra dicti confinii moenia habitare atque etiam in Domo concionari possit sat clare declarat. Quin imo dum

11. In anno MDCXLVI et MDCXLVII Domini Regii et Regni Commissarii inter quos ex parte quoque Ven. Cleri exmissi et deputati Episcopi, in effectuatione Articulorum ad restitutionem Templorum et excisionem locorum procedebant in expeditionibus suis per Evangelicos pro lumine sub Literis E et F producti haec formalia exprimebant: Non solum ubique liberum exercitium Religionis in Regno Hung. admitti, verum etiam ea Templa, quae sub iis disturbiis, motibusque Regni intestinis, uti et post Pacificationem Vienensem violenter utrinque occupata fuere, tam Evangelicis, quam Catholicis restitui debent."

12. Non dissone per inclytam Commissionem Tsahianam in Comitatu Scepusiensi vi Articulorum Soproniensium admissum fuisse liberi Religionis exercitii usum per totum Comitatum producta in particularibus speciei factorum Gravaminibus, ad Comitatum Scepusiensem ostenderent.

13. Praedeclaratus liberi Religionis exercitii usus in hodiernum diem in majori Regni parte viget.

14. Ex parte vero Ven. Cleri adducta distinctio inter publicum et privatum Patriis Regni Legibus ignota foret, neque ulla tam in praecedentibus, quam in recentioribus Articulis publici aut privati mentio exstaret. Secus si Articulus XXVI intuitu restringendi ad certa loca liberi Religionis exercitii in XXV omnibus et ubique concessi trahi deberet, evidentissime sequeretur uno eodemque tempore, ac de una eademque materia duos ad invicem contrarios sancitos fuisse Articulos, quod si quidem naturae Legum repugnaret, ideo restrictio quoque liberi exercitii loco, omnibus et ubique, non omnibus neque ubique subsistere valeret. Quin imo

15. Si per Articul. XXV tale privatim liberum Exercitium intelligi deberet, quale Ven. Clerus diversimode interpretari contendit, non fuisset opus eodem Articulo mediante restituere interturbatum liberi Religionis exercitii usum, quia Lectio Librorum, et res privatae, quae potissimum in operatione Spiritus invisibili consistunt, et nihil aliud quam Privata Devotio Domestica etiam absque Publico Legis indultu per se Christianae Libertatis sunt. Liberae erant etiam antequam hic Articulus conditus fuisset, per consequens id, quod neque sublatum, neque interturbatum unquam fuit, restitutione per Articulum XXV haud egebat. Praeterea

16. Quod si liberum exercitium de ejusmodi Privato intelligi deberet, sequeretur id, quod Evangelici vigore Pacificationis Viennensis, et Art. I an. MDCVIII ante Coronationem nunquam habuissent Publicum, atque taliter revera liberum Exercitium nam juxta assertum Ven. Cleri tantummodo per articul. XXVI primum et ante omnia illud liberum Publicum Exercitium concessum fuisset; quod ipsum contra evidentiam legalis a seculo usus statuere impossibile. Ac proinde intelligitur liberum Exercitium proprie et principaliter de illo actu publico externo, quamvis in loco privato practicato, quo mediante per Ministros suae Religioni addictos, sive in communi erga plures, sive in specie erga quemlibet Professio Religionis, non autem absque Ministro a se ipso et erga semet ipsum libere exercetur, et quidem eo plane modo prouti apud Dominos Catholicos liber Religionis exercitii usus, quoad Sacrificia, Missae, usum Sacramentorum et omnes Ministerialium functionum actus absque interventu et assistentia Sacerdotis pro ritu Religionis Catholicae nullus esse potest, ita nec apud Evangelicos. Ut sic hocce

17. Liberum exercitium privatum praetendi nulla Legis ratione possit, nisi fors ex eo, quod ubi Templa per Evangelicos non possidentur neque iisdem vi Art. XXVI usque ad tempus implorandae Diplomaticae Satisfactionis, usus et possessio Templorum competit ac ideo in locis et domibus Privatorum mediante opera Ministri peragi solent, a sola denominatione loci privati, in quo peragitur, vulgo privatum dici possit. Cum tamen re ipsa veluti Inclytus Status Catholicus voculam liberi exercitii in an. MDCXLVII declaravit, etiam in domo privata revera publicum censeatur ac ideo excepto loco publico, usuque publicorum Templorum, reliqua omnia necessaria uti essent: Ministrorum Intertentio, libera omnia Ministerialium functionum pro ritu Confessionis suae professio, Campanarum et Sepulturae communis usus et id genus accessoria ad mentem etiam Articuli XI et XII, MDCXLVII et XXVI, MDCLXXXI ut nimirum Catholicus Catholico, Evangelicus Evangelico solvat, plane adjuncta et naturaliter connexa haberet.

18. Licet equidem apud exteros distinctionem Privati et Publici vigere Evangelicos non lateret, sed id ipsum in Pacificationibus et Publicis Constitutionibus expressum definitumque haberi aeque constat, in Patriis vero Regni Hungariae Legibus adductae Distinctionis altum silentium fore nemo negare posset.

19. Et quia in exteris oris privati etiam liberi exercitii ea natura, praxis et consuetudo esset, ut quamvis Lege publica privatum nominetur, attamen Ministri intertentio operaque ejusdem conceditur.

20. Imo ibi quoque ubi videlicet negotium Religionis, nullis legibus minus, Pacificationibus aut Sacris Diplomatibus admissum, receptum, stabilitumque habetur. nihilominus cui exercitium quod alibi privatum vocant, conceditur, intertentio Ministri et usus exercitii erga suae Religioni Addictos Sacra accedere volentes liber et publicus extra usum Templorum publicorum non denegatur; quanto eminentius ergo in Regno ubi liberum Religionis exercitium, sine distinctione publici et privati ac nec restrictum, nec limitatum, sed absolutum, et universaliter Pacificationibus, Diplomatibus et publicis Regni Legibus perpetuo valituris concessum, stabilitum. ac ita receptum firmatumque est, ut nullus nusquam et nunquam quovis modo aut quovis sub praetextu turbetur, liber exercitii usus cum intertentione ac omnigena Ministrorum functione etiam extra publicum Templi seu Ecclesiae locum omnibus et ubique per Regnum sponte ac libere acceptare volentibus competere dignosceretur.

Quibus multo plures in serie Actorum in quibus res haec prolixe agitata haberetur, eodem haud immerito fieret provocatio, quamvis adductae super exstarent rationes. Nihilominus compendii causa a prolixiori deductione consulto praescindendum duximus, tum quia hos duos Arti-

culos unum idemque non esse, multo minus unum per aliud limitatum aut restrictum fore, verum toties citatum Articulum XXV: De Libero Religionis exercitio, taliter quod vi Patriarum Regni Legum de natura proprietatis suae, quamvis absque possessione et usu publicorum Templorum attamen in quocunque loco privato sine Ministrorum intertentione atque eorundem Ministerii usu neque exerceri potest, Articulum vero XXVI de Possessione et commoditate Ecclesiarum et Templorum cum Parochiis, Scholis, et suis appertinentiis loqui, neque haec duo insimul contra ordinem, naturam, normam, usumque publicae Legis confundi posse, tenor et contextus utriusque documento essent. tum quia neuter vetaret liberi exercitii usum, verum potius ejusdem turbationem absolute sub poena prohiberet, et tum denique quia Religionis negotium per eosdem Articulos Sopronienses et liberum et vetitum pronunciare sibimet naturaliter ad invicem repugnarent; ante lata autem privati et publici distinctio praecise et per expressum ex resolutionibus anni MDCXCI nullatenus vero patriis Regni Legibus, sive nomine, sive re ipsa deprompta evidentissime constat; quarum Resolutionum fundamenta subsistere non posse, quoniam in praeliminio separatum habetur, eo ipso neque praemissam distinctione publicae Legis authoritatem vicesque obtinere posse per se sequitur.

Quibus accederet nihil contra tenorem Articul. XXVI nec ex eodem sed vi Articuli XXV liberum Religionis exercitii usum, qua omnibus et ubique ergo et quoad loca in serie ad Punctum primum speciei factorum enumerata, aliaque per se de Jure eisdem competente in praxi duntaxat per Evangelicos exercendum praetendi; quapropter minus necessaria foret Articuli XXVI de quo hic loci nihil agitur cum Resolutionibus hunc in finem combinatio, sola perlectio Articuli XXV et in eo citatorum non tantum apparentiam, sed evidentiam Juris Evangelicorum respectu liberi Religionis exercitii, quoad omnia loca manifestum redderet.

Quoties itaque Evangelici ab hoc legali exercitii usu arcerentur ac per hoc articulari Jure suo per Articul. XXV iterum restituto uti fruique non permittuntur, id alieni Juris turbatio et vivae Legis contraventio esse dignoscitur.

At quoniam via publici Tractatus Viennensis, et tot publicis Regni Constitutionibus ac denique Sacris Diplomatibus Regiis mediantibus mutuo Divorum gloriosae Recordationis Hungariae Regum cum Statibus et Ordinibus Regni consensu, fide et verbo Regio sancitis Religio Evangelica recepta concessaque haberetur: per hanc autem Concessionem Evangelici in negotio Religionis ejusdemque Professione, ac liberi exercitii usu, jure publico eoque proprio gauderent, eo ipso citra labefactationem publicae Concessionis, et citra incursum legalis poenae desuper sancitae, Ven. Clerum proprietatem suam in proprietate aliena, seu legalitate Juris

Evangelicorum praetendere et Regulam: In proprio nemo violentus, extendere non posse diceretur. Quandoquidem cum convulsione Juris tertii ipso invito Jus ejusdem per alium nisi violento modo adimi deteriorari et usurpari haud posset, quod ipsum jure suo uti dici nequiret, verum pro abusu reputandum veniret.

Quantum vero ad clausulam: Salvo Jure Dominorum Terrestrium, de ejusdem sensu in Puncto tertio expresse tractabitur. Hinc cum vigore citatorum Paragraphorum: Unusquisque Locus, sive sit civitas, oppidum et villa, per Regnum in Puncto liberi Religionis exercitii, idem sponte et libere acceptare volens, sine omni restrictione et limitatione ad loca Templorum (de quibus in Articulo XXVI ageretur) articularis sit. Imo nullus ab eodem exclusus, sed libera omnibus et ubique Religionis suae professio, et liberi Religionis exercitii usus. Ideo ubique Ministrorum intertentio, a tempore conditorum Articulorum Sopron. sive non admissa, sive interturbata, sive prorsus sublata habetur, respectu non admissionis in effectuationem, respectu interturbationis aut sublationis contraventionem Articuli XXV fore comperimus.

Quapropter ut virtute Articuli hujus XXV ac ibidem citatorum, nempe primi Pacificationis Viennensis, an. MDCVIII ante Coronationem editi, ad mentem quoque Articuli Septimi anni MDCXLVII etiam ibi ubi alioquin publica Locorum Templa, seu Ecclesiae cum Parochiis, Scholiis et Proventibus per Dominos Catholicos tempore Diaetae Soproniensis possidebantur, et eodem titulo in possessione quieta persistunt, iisdem prae manibus Dominorum Catholicorum per omnia intacte permanentibus. Idem nihilominus diaetaliter restitutum liberum exercitium, aeque ibidem a tempore Diaetae Soproniensis pro Evangelicis vel non admissum, vel jam post eandem Diaetam interturbatum fuisset, quoniam ejusdem articulare Beneficium omnibus ubique per Regnum Inclytis Statibus et Ordinibus Regni Civitatibus item oppidis et villis sponte et benevole acceptare volentibus competit. Eum in finem Praedicantes si voluerint intertenere, eorumque Ministerio veluti superius declaratum, in domo videlicet, horreo, vel alio loco privato in omnibus pro ritu Confessionis suae et absque impedimento uti integrum sit, perquam demisse censemus.

PUNCTUM SECUNDUM.

De Jure libere adeundi per Evangelicos Loca, quarumvis Religionis suae Accessitatum causa in quibus Ministri pro usu exercitii intertenentur.

Cujus Gravamen:

Gravamen Evang. — Non solum autem Praedicantes intertenere Evangelici non permittuntur, sed in Comitatibus pariter ac Civitatibus nonnullis ad Loca Templorum, sive per usum Possessorum aut Nobilium Castellorum et Residentiarum, ubi denique commoditas exercitii habetur pro cultu Religionis suae exercendo, verbo Dei audiendo, copulis et baptismatibus, et aliis casibus necessitatis ire, ac Ministri sui opera uti vetantur: imo quibusdam in locis Plebei ne libros quidem Evangelicos legere permittuntur.

Ad cujus Gravaminis continentias ex parte Ven. Cleri Replicae loco reiterantur in praecedenti Puncto dicta:

Replica V. Cleri. — Quod Praedicantium intertentio extra loca Articularia seu specifice denominata ac Resolutionibus minus conformia bene arceantur. In locis vero excisis seu articularibus non nisi Salvo Jure Dominorum Terrestrium, quo nec extraneos admittendos venire, nisi persoluta prius Romano-Catholicis stola. Usum vero Templorum non pro usu, sed abusu reputandum venire. In castellis et Residentiis Nobilium, quod non liceret intertenere Ministros, nec pro privato, minus pro publico exercitio et taliter eorsum accedentes rite arceri extraneos, Lectionem autem Librorum Plebeis interdici publicam, si alii confluant, non privatam.

Contra-Replica Evangelicorum. — Quibus aeque sicut ad praecedens Punctum primum cum Replicis et Contra-Replicis Partis utriusque ad invicem combinatis et examinatis adinvenimus: Quod quia

1. Status Quaestionis respectu praeinserti Evangelicorum Gravaminis quoad liberam Praedicantium intertentionem non respectu Articuli XXVI de Templis et locorum excisione sonantis, sed respectu Articuli XXV tanquam de libero exercitio conditi subversatur, per quem omnia loca in Regno, quae acceptare voluerint, articularia fore, in praecedenti Puncto jam remonstratum, ac per hoc si quidem liber esset ex lege exercitii usus, liberaque Praedicantium intertentio (absque quorum Ministerio subsistere minime posset) esse deberet. Ubi enim conceditur principale, ibi accessoria denegari nequirent. Admissoque per articulum libero Religionis exercitio necessaria ejusdem ad usum media impediri non posse.

2. Cui vita conceditur, media quoque vitae admittantur necessum

est. Alias media denegando per hoc vitam adimi, plus quam certum est. Ac per consequens:

3. Si liberum Religionis exercitium esse debet, libertas quoque Religionem exercendi, cur impediretur, non esset?

4. Si Religionem, quam quis profiteretur, ideo non exerceret quia aditus ad Loca, ubi exerceri debet, praepediretur, nomen potius et non legalem exercitii libertatem contra apertam Legis dispositionem teneret.

5. Quod hoc modo exercitium Religionis non omnibus et ubique, sed paucis duntaxat esset concessum. Quod expresse universalitati Legis adversaretur.

6. Quia extraneis pro cultu Religionis suae loca adire in articulo 7mo An. MDCXLVII per expressum sancitum est.

7. Imo et natura Legis libere Religionem Evangelicam profitendi indulgens hoc secum ferret. Alias

8. Quod ex Lege liberum est, tale esse cessare deberet.

9. Et si quidem libera est ex Lege Ministrorum omnibus in Locis intertentio, atque opera, quanto magis liberum esse debet Loca pro cultu Religioni suae exercendae adire et frequentare juxta illud: Cui licet quod majus est, ei etiam licet, quod minus est.

Quantum autem ad Loca Templorum sive Titulo aedificationis, sive excisionis, sive ex capite Possessionis tempore Diaetae Soproniensis habitae articularia dicta, de eorundem distinctione atque legali usu et possessione ex articulo XXVI de Paragrapho in Paragraphum in Punctis undecimo, 12, 13, 16, de stola in 17, de oratoriis in Arcibus, Castellis et Residentiis Magnatum, Nobilium in 18 tractabitur.

Cum praemissorum omnium cognitio, discussio et examen ad eundem Articulum XXVI pertineret, status vero praesentis Gravaminis ex articulo XXVI depromptus fuisset, praecise ad id ne prohibeantur Evangelici domi libero Religionis exercitii usu destituti ad talia Loca ubi cultus Religionis viget, ire, respectu cujus nihil directe a parte Ven. Cleri repositum esse testantur Replicae.

Haud absimiliter Lectionem Librorum Plebeis si alii confluant, omnino interdici simpliciter affirmatur, sed an licite vel legaliter, non probatur. Libros vero sive cultus Divini, sive ardentioris devotionis causa, sive pro se et per se legere, sive alios legendo exaudire, hoc vel alio modo cultum Religionis suae exercere, cum essent accessoria, et actus liberi Religionis exercitii, ideo legaliter interdici non posset.

Evangelicorum vexationes variae. — Hinc dum Sacrorum Religionis suae causa aliorsum ire (prout ex specie factorum ad hoc Punctum circumstantialiter patet) alibi sub poena baculorum centum, alibi sub mulcta florenorum sex, alibi octo, alibi duodecim, alibi viginti quatuor, alibi quadraginta, alibi centum, alibi sub amissione bonorum inhibeantur;

alibi ex via repellebantur, alibi per Satrapas vias obsidendo invadebantur, capiebantur, libris et rebus penes se habitis ac interdum vestibus sine discrimine aetatis, sexus et conditionis privabantur; alibi ad Sedem Dominalem citabantur, alibi stabulo includebantur, alibi carceribus, alibi vinculis alibi verberibus, alibi mulctis pecuniariis affligebantur: alibi ut Ecclesias Catholicas frequentent, et ne loca Sacrorum Religionis suae (contumeliose synagogam appellando) accedere praesumant, poena florenorum duodecim irremissibiliter desumenda dictabatur. His et id genus similibus, apertae Legis dispositioni, satis graviter contraventum fuisse elucescit.

Ideo ubi locorum, ob inopiam et tenuitatem sortis, coetus Evangelicus non est in statu, vigore Puncti primi Ministrum in gremio sui intertenendi, et ii aliorsum pro cultu Religionis in verbo Dei audiendo, usu Sacramentorum, copulis, baptismatibus, introductionibus et aliis casibus ire non prohibeantur, neque impediantur, multo minus sicut hactenus ideo quia Sacra Religionis suae frequentabant, et Ministrorum suorum opera utebantur, mulctis aut aliis verberibus affligantur, aut cum ablatione librorum, vestium et id genus in abitu, vel reditu damnificentur, perquam remisse censemus.

PUNCTUM TERTIUM.

De genuino sensu clausulae: „salvo jure Dominorum Terrestrium", huicce Articulo per Parenthesin insertae.

Exinde autem hoc est Evangelicorum Gravamen:

Gravamen Evangelicorum. — Quod et ad mutandam Religionem variis modis et praetextibus Evangelici coguntur, cum minis et terroribus nec non mulctis et birsagiorum exactionibus, imo verberibus, carceribus, bonorum direptionibus, ab officiis Ceharum et Civitatum, Metallifossorum consortio amotionibus, vel ejusmodi et aliorum communium beneficiorum non concessionibus, et aliis variis directis et indirectis modis oppressionibus, ad amplectendam Religionem Catholicam compelluntur passim. Imo alicubi et nobiles, sive copulandorum uterque Religionis Evangelicae, sive diversa sit non copulantur, nisi mutata vel promissa mutatione Religionis. Puerperae etiam nisi mutent Religionem longo tempore non introducuntur. Prolium alterutro existente Catholico Parente, pro arbitrio

Parentum educatio interturbatur, neque ita terminatur miseria, sed ne mortuis quidem (quos Deus ipse sicut humanae vitae, ita injuriis humanis exemptos esse voluit) parcitur. Dum Incolis suae Patriae Evangelicis alibi in loco consueto sepultura ipsis adimitur, alibi pulsus Campanarum non admittitur, vel pro aegre concesso insolitae solutiones exiguntur, nisi Evangelicam suam dereliquerint Religionem.

Et sane quidem introductam insolitam diversarum vexationum et afflictionum viam, modumque maxima ex parte praecitatae clausulae: Salvo jure Dominorum Terrestrium, per Ven. Clerum sinistre interpretatae tribuunt, exindeque promanare, non modo credunt, sed et passim experiuntur, subditi Catholicorum Evangelici, vigore cujus Domini Terrestres in eosdem eorumque conscientias libere exerceant, exercereque permittant, sed et legale omnibus et ubique adeoque etiam rusticis concessum liberum Religionis suae exercitium turbent ac impediant, imo et Templa per Articulum XXVI in Possessione Evangelicorum relicto praetextu ejusdem clausulae non curata poena legali licentiose occupent, et vel saltem a tempore novissimae Diaetae plus quam centum quadraginta occupata etiamnum retineant. Haec Evangelici tum in praefato Puncto tertio tum et alibi passim fusius.

Ast Ven. Clerus ex parte Dominorum Catholicorum quoad substantialia hujus Gravaminis respondet:

Licite fieri posse et debere adhiberi compulsiva media ad amplectendam unicam Salvificam Fidem, adeoque nullam etiam coactis propterea fieri injuriam, qui et pro lubitu Plebanorum Catholicorum tractari possint, sive denegato pulsu Campanarum, sive ut quocunque sepelliantur tanquam qui Salvificam Fidem amplexi non sunt.

Jus autem Dominorum Terrestrium patere ex Articulo XXXV in salvo esse relictum et id quidem duntaxat pro Catholicis secundum explanationes et Resolutiones Regias, quarum Articulus XXX An. MDCCXV mentionem faceret. Quae ut hic de verbo ad verbum et extractualiter notata sint, copiosius tamen in Replica et alibi ad hoc Punctum allegantur.

Quibus ab utrinque in scriptis et rescriptis per reciprocas rationes et argumentationes sparsim hinc inde sat superque disputatis, ac per nos tum commissionaliter, tum privatim, revisis, examinatis, ac calculatis quae majoris momenti ac alicujus ponderis esse videbantur, easdem sincere excerpere, ac utrasque invicem conferre et confrontare, officii nostri esse duximus, inter quas has praecipuas esse censuimus. Et quidem:

Ex parte Ven. Cleri ante omnia resolutio anni MDCXCI emanata jam superius fuse memorata pro fundamento et basi substrata est, vigore cujus clausulam praecitatam: Salvo Jure Dominorum Terrestrium, ita esse declaratam ac explanatam, ut in conscientias Subditorum

extendi possit et debeat, idque expressis verbis ibidem contineri, allegatum extitit.

Ast Evangelici reposuere:

Eandem Resolutionem reputari non posse inter Explanationes eas, quarum Articul. XXX novissimae Diaetae mentionem faceret, ex rationibus, motivis et argumentis, superius clare et fuse deductis, eandem perimentibus, cum et aliunde eadem Resolutio in Puncto sibimet contradicat, cum expressis verbis vetaret: Ne ullus per totum Regnum ad amplectendam Religionem Romano-Catholicam cogatur, in alio autem paragrapho per clausulam: Salvo jure Dominorum Terrestrium, Jus Dominis in conscientias Subditorum competere admittit. Ideo tanquam in duplicibus his clausulis sibi ipsi contradicens, eo ipso taliter se ipsam irritam reddit.

Regerit Ven. Clerus:

Clausulam illam: Ne ullus per totum Regnum ad amplectendam Fidem Catholicam cogatur, non alio sensu sumi debere quam quod Evangelici in articularibus locis per totum Regnum non cogantur.

Replicatur autem ex parte Evangelicorum:

Clausulam eandem hunc sensum allegatum non admittere, nam licet genuino sensu Legis, universe, civitates, oppida, in Articuli primi An. MDCVIII sunt articulares, quia tamen articularia loca extra liberas Civitates, nonnisi in undecim Comitatibus excisa esse, a parte Ven. Cleri praetenduntur, sequeretur phrasin illam per totum Regnum saltem ad undecim Comitatus et Civitates Regni restringi, quod sine contradictione aperta admitti non potest. Praeterea vero cum praefata resolutio, liberam loca articularia adeundi facultatem Subditis permittat, eosdem qua praetensive extra loca articularia habitantes, ac semel pro liberis hac in parte pronunciatos ad Religionem sibi adversantem amplectendam adigi posse, aeque contradictorium ac fere absonum esset.

Ad haec argumentatur Ven. Clerus ab exemplo:

Quod et Evangelici Domini Terrestres olim authoritate et potentia praepollentes idem jus in suos Subditos Catholicos exercuerint, dum non modo eosdem ad Religionem suam amplectendam aeque violenter adegerint, sed et Templa, Parochias, Scholas et eo pertinentes Proventus ac Beneficia a Catholicis occuparint, ac nunc quoque ex iis multa retineant.

Verum reposuere Evangelici:

Simplicem hanc esse adsertionem, quae proba indigeret, cum in contrarium tam ex Decretis Regni, quam ex Annalibus clare et distincte demonstrarent, nullos hujusmodi violentos actus a Dominis Terrestribus Evangelicis in conscientias Subditorum suorum Romano-Catholicorum fuisse unquam exercitos; non tantum quia Religionis suae Principiis a coactione conscientiarum alienis directe id repugnaret, sed ed quod Religio Evangelica per solam verbi Dei praedicationem in hoc Regno propagata sit.

Postquam enim adhuc ante cladem Mohatsiensem pullulare coepisset, statim eo tum Rex Ludovicus Secundus feralem, (quae in an. MDXXV exstat) contra Lutheranos ac eorum Fautores tulit sententiam, qua perterritos, quempiam vi ad Religionem suam pertrahere, aut Templa Catholicorum adimere ausos fuisse, nec cogitari quidem potest.

Expost vero concertantibus invicem de Regno Joanne Zapolya ac Divo Ferdinando primo Regibus, cum utrosque zelantissimos Religionis Catholicae Patronos fuisse constet, nihil aeque iis temporibus Evangelicos vi quapiam Catholicis extorquere potuisse, inferunt.

Cum praesertim docente Articulo quinto anni MDXLVIII cultum Divinum et Religionem ad pristinam nornam redigendam sancitum indigitetur.

Indubitatum itaque est Religionem Evangelicam in his rerum circumstantiis, nihil per vim tentare potuisse, ut potius de die in diem, magisque per preconium Evangelii incrementum sumpsisse pateat, dum non modo villae et oppida sed et integri Comitatus ac Districtus Regni sponte eandem receperint, ac Templa ante per se, qua catholicos possessa, jam qua Evangelici retinuerint, ac in iis eorundemque beneficiis tanquam in suis propriis, rite legitimeque successerint. Neque (uti ex parte Ven. Cleri objiceretur) eadem vi aut armis occuparint, id quod vel exinde patet, quod a clade Mohatsiensi usque ad annum MDCIV plus quam LXX annorum decursum in se complectente, nulla vel in Decretis Regni, vel Annalibus, sive Patriis sive externis tumultus alicujus tanto minus armorum ob statum et negotium Religionis in Regno excitatorum mentio haberetur. Quin imo a tempore receptae Religionis Evangelicae testantibus Regiis Diplomatibus semper ad Instantiam Evangelicorum Leges de non turbandis Rusticis in sua Religione conditae leguntur credi itaque non potest, ut si Evangelici vi in Subditorum conscientias uti voluissent, voluntati suae contraria Lege securitati Subditorum providere tantopere non studuissent. Unde etiam praetensam Ven. Cleri objectionem, qua simplicem assertionem, ipsique veritati Facti, et tot Legum Publicarum documentis contrariam recipiendam esse concludunt.

Denique infert Ven. Clerus:

Omne id tangere negotium Fidei, quod tangit conscientiam; tale autem est, dum quis adigitur ad deponendum Juramentum, restitutionem rei alienae, atque cohibetur a furtis, homicidiis, et aliis criminibus conscientiam tangentibus, atque adeo dum Magistratus Christianus et Domini Terrestres Jure agunt circa haec in sibi Subjectos pari jure agere possunt cum subditis etiam quoad negotium Fidei in eorum conscientias? Verum enim vero

Negant Evangelici hanc consequentiam eoque fine distinguunt Jus in Jurisdictionem Interiorem et Exteriorem. Quarum illam ad officium Status Ecclesiastici pertinentem de negotio Religionis et Fidei in conscientias interne verbo Dei agere. Hanc ad civilem Magistratum spectantem circa negotium Religionis et Fidei externa cura versari intelligunt. Aeque distinguunt libertatem conscientiae in Actiones imperatas et elicitas, et quidem illas subesse Juri externo, has vero nullum agnoscere communi omnium sapientum sententia contendunt. Quamquam enim Juramenti depositio, et alienae rei restitutio subsit legitimae Potestati, ut actio imperata, non tamen ut elicita, cum cogere interne non possit conscientiam, quum pejeret, si velit, aut interne consentiat in restitutionem si nolit.

Demum Lex naturae dictat ut suum cuique tribuatur, aut si ablatum sit restituatur, eadem aeque docet neminem esse laedendum adeoque nec furandum, nec occidendum, quae sunt apertissima etiam barbaris gentibus, ideoque merito Juri externo subsunt. Aliam tamen Fidei et Conscientiae rationem esse, quae sive vera, sive falsa sectetur, in internis et voluntatis recessibus latitat, et qua interna solius Dei judicio subest. Ast et si quandoque per externa signa se prodat, cum tamen Societatem Civilem per ea non laedat, neque Juri externo, quod finem suum, utpote tranquillitatem publicam prae primis respicit ex aequo obnoxiabitur, alias sequeretur, hoc inconveniens. Quod dum Gentiles quoque a Subditis suis vel Juramentum exposcunt, vel aliena restitui committunt, vel furta et homicidia cohibent et puniunt (quandoquidem haec flagitia juxta inductam a parte Ven. Cleri consequentiam tangunt Religionem et conscientiam) illi quoque Jus in conscientias eorum, non ex Lege naturae et Gentium, verum ex principiis Christianae Religionis sibi vendicent ac exerceant, ac consequenter contra Christianos quoque subditos suos, (quorum in Imperio Turcico, Sinensi ac Indico infinitus numerus est) libere vendicare ac exercere possint, quod vix Ven. Clerus ipse admiserit. Neque porro recte fluere eandem consequentiam censent. Nam respectu praemissorum et signanter coercendorum et puniendorum criminum expressa Dei Omnipotentis extant Praecepta auctoritatem Magistratus

eatenus defendentia respectu vero Dominii in conscientias ne apex quidem Mandati superest, cum ea corporaliter, errores vero in Fide spiritualiter punitioni subjaceant.

Deinde inducit Ven. Clerus:

Per praenotatam clausulam Articulo XXXV insertam, non intelligi Jus Dominorum Terrestrium, quoad corporalia et externam Subditorum servitutem, salvum esse relictum, id enim per se salvum est, esseque debet, sed Jus internum, quoad negotium Fidei et in conscientias Subditorum in eodem articulo esse comprehensum.

Ast huic objectioni et reliquis aliis sequentes rationes opposuere Evangelici. Et quidem

I. Quod ipsa vocula Ly Terrestrium ostendat, non aliud Jus Dominis Terrestribus pro salvo esse relictum, quam Terrenum, quod ipsis ante competiit. Jus autem in conscientias Subditorum non esset Terrenum, sed Spirituale, quod Terreno contra distinguendum esset, de quo Artic. XXXVI cavere voluit, ut nimirum Jura status Terrestris non obstante concessa Religionis libertate, salva permaneant, neque iisdem sive per Parochiarum, earundemque appertinentiarum ita et coemeteriorum liberam dilatationem, sive exstirpatitiorum Agrorum et Fenilium. Vinearumque, Juris Dominalis redemptioni obnoxiorum per Pia Legata fiendam abalienationem Decimarum et Nonarum denegationem, ac reliqua hujusmodi praejudiciosa (quae ab utrinque facile contingere poterant, contigisseque non pauca Evangelici experti sint) damnum quodpiam inferatur. Hinc deducunt:

II. Nullum aliud Jus superesse Dominis Terrestribus, quam quod Leges Regni iisdem tribuerent, juxta Titulum IX et XXIV Part. 1 Oper. Decret. Tripart. et alibi fuse in iisdem descriptum, quodve donationes Regiae iisdem conferre ac impertiri solent. Ast jura haec mere Terrena esse tum ex contectu Legum praecitatarum, tum ex tenoribus Donationalium Instrumentorum evidenter patet, adeoque etiam non aliud Jus quam quod ibidem contineretur per clausulam Articulo insertam pro salvo relictum esse. Namque

III. Aut habebant Domini Terrestres ante vel post stabilitam in Regno Religionis libertatem Jus in conscientias Subditorum suorum, aut non? Si habebant ante, (quod tamen expresse nequaquam ex Legibus Regni elici potest) illud per Artic. I. Pacificationis Viennensis, quae priores hujusmodi Publicas constitutiones pro non obstantibus declaravit, nec non per Artic. I. Anni 1608 ante Coronationem editum, qui liberum Religionis exercitium etiam Subditis concessit, atque in Articulis Sopronensibus confirmatas Leges jam sublatum est. Posterius certum est cum

omnes posteriores in negotio Religionis conditae Leges, ac Sacra Regum Diplomata, nullum quemquam in Religionis suae usu, nec a Regia Majestate, nec a Dominis Terrestribus quoquo modo turbari posse sanxerit, unde etiam consequitur: Jus in conscientias Subditorum, quod ante Domini Terrestres non habebant, vel et si (per inconcessum) habuerint, modo tamen praemisso sublatum erat, non fuisse per clausulam praenotatam salvum relictum, verum Terrenum illud, de quo immediate supra attactum est. Tantoque magis

IV. Quod natura ejusdem clausulae secum fert, ut juxta vim similium clausularum, semper rei de qua agitur contra distinguatur similitudine etiam clausulae „Salvo Jure alieno" Donationibus Regiis inseri solitae, aliarumque similium plurimarum per corpus Decretorum Regni sparsim occurrentium, quae aliorum Jura salva quidem relinquunt, si quaepiam ante profuere, nihil tamen prorsus novi Juris illis de quorum salvo jure, qua alieno, loquuntur unquam attribuunt. Argumento Tit. IX. Part. II. Oper. Decret. Tripart. de natura hujusmodi clausularum sonantis, nunquam etenim extenduntur ad tollenda ea, quae per Legislatorem vel contrahentem in Lege vel contractum expresse conceduntur, sed ad ea duntaxat praecavenda, quae nunquam per Leges concessa habentur alias consequeretur, unam eandemque Legem et contractum sibi ad invicem simul esse adversantes et prorsus contradictoria. Hinc clausulam quoque „Salvo Jure Dominorum Terrestrium" nullum novum Jus iisdem adhibuisse, neque ad sublationem libertatis Religionis eodem ipso articulo concessae extendi posse. Pari ratione consequitur, nisi unum eundemque hunc Articulum quod una manu tribuit, altera id ipsum denuo auferre per apertam contradictionem censeri possit, cum in contrarium Leges et Actus publici hujusmodi elusionem contra bonam fidem non admittant.

V. Et hinc inhaerendum est Legibus et quidem supra citato Articulo I anni 1608 ante Coronationem edito, villis etiam sponte et libere acceptare volentibus, liberum Religionis exercitium concedenti, qui per villas Subditos ibidem degentes, tanquam continens pro contento intelligit, eosdem in libero Religionis suae exercitio ac usu nequaquam turbandos praecipit, adeoque praedicta clausula expresse concessam villanis Religionis Libertatem sustulisse nullo modo dici potest. Tanto magis

VI. Quod idem Articulus eandem Libertatem Religionis in Universorum statuum et ordinum Regni ac signanter Fisci quoque Bonis salvum esse voluerit. Adeoque si Regia Majestas, sibi jus hoc non reservaverit, tanto minus Dominis Terrestribus Catholicis tale jus in conscientias Subditorum attribuerit.

VII. Quod et Sacra Regum Diplomata a Divo Ferdinando Secundo gloriosae memoriae Imperatore et Rege usque ad Divum Leopoldum

inclusive hanc Religionis libertatem etiam Rusticis concessam conditione sexta complexae sint ac expressis verbis a Dominis Terrestribus non esse turbandam caverint. Quae Diplomata per ultimam clausulam Articul. XXVI Soproniens. pro salvis pronunciata ac per Majestatem quoque Regiam modo felicissime regnantem Articulo I novissimae Diaetae confirmata esse constet.

VIII. Clausulae Articuli XXVI in Paragrapho „Post haec vero," (id est post annum 1681) „nullae Templorum, Scholarum, et Parochiarum occupationes, vel exercitii turbationes ab utrinque sub poena Articul. 8 Uladis. Decret. VI expressa, fiant" satis clare evincit quod Jus Dominorum Terrestrium, prout ante conditum Articulum nullum fuit, tanto minus vigore praemissae hujus clausulae vel in conscientias Subditorum quoad exercitii Religionis eorum turbationem vel in occupationes Templorum seu appertinentiarum, absque incursu poenae extendi potuerit, alioquin clausula haec penitus fuisset frustranea. Imo

IX. Praecitati Articul. Soproniens. in favorem Evangelicorum propter tranquillitatem publicam (uti verba sonant) absentibus ipsis conditi prorsus elusorii forent. Namque ut Loca pro aedificatione Templorum nominetenus specificata, quae per Ven. Clerum tantopere in difficultatem non sumuntur, vigore toties dictae clausulae per Dominos Terrestres Catholicos (in quorum territoriis nonnulla ex iis habentur) pari ratione occupari possent, quod prout nec ipsi Domini Catholici admittunt, ita e contra eo admisso apertam subsequi absonam inconvenientiam. Qualis etiam foret

X. Quod nimirum, cum saepius usu veniat, ac ab experientia notum sit Dominos Terrestres in possessione bonorum, saepius tum per legitimam successionem, tum per impignorationem perque alios diversos casus mutari ac nunc Catholicum nunc Evangelicum alterari, meram confusionem enasci debere, si toties quoties vigore ejus clausulae Jus in conscientias Subditorum competeret, aequalis utriusque Domini Terrestris de Lege Regni Praerogativa hactenus nunquam restricta, exindeque formanda ulterior consequentia evincerit. Sed etsi toties

XI. Fata clausula hanc interpretationem admitteret ut libertas Religionis per tot Leges Sacraque Regum Diplomata Rusticis quoque (uti supra demonstratum est) concessa per eam tolli possit ac debeat, praeterquam quod id contra Tit. 2. Part. II. non nisi expressis verbis Legis fieri possit, consequitur etiam clausulam „Salvo Jure Dominorum Terrestrium" Art. XXV insertam cum altera Artic. XXVI ad calcem adjecta: „Salvis semper Legibus Regni Diplomate Regio firmatis." quae libertatem Religionis Rusticorum in Diplomatibus contentam confirmat, ita prorsus ad invicem sibi esse contrariam, ut

una alteram funditus evertat. quod Regem et Regnum intendisse incredibile est. dicere autem piaculum. Praeterea

XII. Quod per Legem concessum est omnibus. id prohibitum dignoscitur nemini. Hinc si quidem vi Art. XXV. an. 1681 exercitium Religionis omnibus et ubique per Regnum. adeoque et Subditis sponte ac libere acceptare volentibus (prout supra comprobatum est) per Leges Regni liberum relictum sit. nullatenus aeque ab eadem sponte et libere semel recepta. Jure Dominorum Terrestrium. sive modo quocunque violento. absque aperta Legis contraventione iidem retrahi ac ad aliam conscientiae eorum repugnantem compelli possint. et quidem tanto minus quod et Ven. Clerus vigore Articul. XXV Sopron. omnibus et ubique praetensum Privatum Religionis internum Exercitium (cui hic denuo contradicit) jam sub Puncto Gravaminum primo, admiserit. Accederet

XIII. Expresse dictare Artic. eundem ad calcem: Ne Evangelici ad cerimonias Religioni suae contrarias compellantur. qua ratione itaque compelli possunt et debeant ad deserenda Dogmata Religionis suae. quae pleno interno conscientiae sensu profitentur. ac absque dispendio salutis animarum abnegare se non posse firmiter credunt.

XIV. Certum est Jura aliorum externa absque incursu poenae violentiae. sed et propriae absque Subditorum laesione justitiae vigore municipalium Regni Legum, Jurisque naturalis invitis adimi non posse. neque relative invitum eadem alteri abalienare obligatum esse. certum aeque est ad celebrandam fassionem. vi metu doloque. juxta Jura Regni et signanter Matthiae Regis Decr. III. Art. XXVI. non esse quenquam adigendum. Quanto magis Religionem invito Imperatore. ac tranquillitatem conscientiae. qua summum animae bonum turbare. nec non ad amplectendam contrariam Religionem. vi metu doloque. liberas hominum mentes adeoque etiam subditos adigere summa foret injuria. Sed et

XV Quid aliud efficiunt violentis his agendi mediis quam hypocritas, dataque prima occasione ad priorem Religionem quam interne fovebant externe deserere cogebantur. iterum redeunt. Ast enim hyprocrisin ex natura sua grande peccatum esse, quae simul mendacium secum trahat, neque autem facienda esse bona ut eveniat mala. receptae sit veritatis, cum porro: qui fit causa causae, causam quoque esse causati negari nequeat. Hinc infallibiliter consequi. vim externam in negotio Fidei et Religionis Jure Dominorum Terrestrium non esse adhibendam. non modo quod nullum violentum sit durabile. sed et quod juxta praemissum mortali hypocriseos peccato ansam. aliisque plurimis malis occasionem praebeat. Namque

XVI. Si libertas receptarum trium Religionum. omnibus et ubique per Regnum sponte et libere acceptare volentibus propter bonum pacis et publicam Regni tranquillitatem

per publicas Leges concessa sit et stabilita ac huic fundamento praecipuo innitatur, quale bonum pacis et quae publica tranquillitas erit, si pace externa jam per Dei gratiam in Regno florente, alteram internam externa illa longe pretiosiorem publica Regum et Regni fide firmatam privatis Dominis Terrestribus per sinistram praerepetitae clausulae interpretationem turbare fas erit. Quod pacis bonum cum miseri Evangelici Subditi vexantur, mulctantur, verberantur, incarcerantur, sicque ad Religionem conscientiae eorum adversantem acceptandam vi trahuntur, et quod miserimum est ex bonis persequentium Dominorum Terrestrium prout abire non permittuntur, ita si abeant ac conscientiae quietem alibi quaerant, denuo qua mancipia ad eandem mille vexationum sortem ipsa morte duriorem retrahantur. Proinde multum interest, ut principium hoc quod libertati Religionis in hoc Regno fundamentum jecit, ulterius quoque in eum finem, qui pro scopo fuit, sartum tectumque conservetur. Sed pluribus vix opus esse censent Evangelici

XVII. Cum et Divus olim felicis reminiscentiae Imperator et Rex Leopoldus (prout jam supra declaratum est) mediante benigno decreto suo anni 1704 die 20 Junii ad Reverendissimum ac Excellentissim. olim Archiepiscopum Colocensem Paulum Szetséni, ad publicandum per totum Regnum directo publice declaraverit, ac clementer appromiserit: Libertati ac securitati trium in Regno receptarum Religionum juxta genuinum Articulorum Sopron. et Poson. sensum se provisurum neque ut Domini Terrestres Jure suo abutantur, vel a quocunque cujuscunque conscientiae vis inferatur permissurum sed Regia manu impediturum, idque Sanctum et inviolabile esse ac permanere debere. Quis dubitabit hanc esse veram, sinceram ac genuino Articulorum sensui convenientissimam praetensae clausulae interpretationem? Quae, prout per complures Dominos Terrestres Catholicos in abusum trahi coepit, ita aeque per explanationem Regiam in suo sensu contra sinistram eorum interpretationem declarari debuit. Unde apparet Resolutionem anni 1691 (uti jam supra ostensum) non tam Regiam, quam Dicasterialem fuisse, cum una alteri e diametro contradicat. Ast per inconcessum etsi pro Regia quoque reputari posset. hanc tamen contra posteriorem priori derogare. Vigore etiam Tit. 2. Part. II. Tripart. manifestum erit, et quidem tanto certius, quod non tantum olim Divus Josephus Rex occasione coeptae novissimae Diaetae Posoniens. eandem Leopoldinam Resolutionem in suis datis ad Status et Ordines Regni Propositionibus et Resolutionibus, iisdem verbis expresserit, sed et expost in continuatione ejusdem Sacrat. quoque Majestas Vestrae per Acta Diaetalia saepius eandem repetierit, simulque clementissima, aeque ac justissima hac declaratione non modo afflictos suos Subditos Evan-

gelicos consolata sit, sed et orbem Christianum eadem impleverit. Impossibile itaque est trinam hanc trium successive regnantium Regiarum Majestatum concatenatam benignam Resolutionem, qua posteriorem, qua publicam, qua diaetalem ac in conventione etiam Szathmariensi occasione sedatorum motuum, ad spem Evangelicorum firmatam per privatam Dominorum Terrestrium sinistram et directe repugnantem interpretationem tolli, nisi nec Legi sua vis, nec Regiae Explanationi sua auctoritas amplius constare debeant. Namque stante praetensa hac interpretatione necesse

XVIII. Esset infinitas absurditates sequi ac omnes utriusque et XXV et XXVI Articulor. Soproniens. clausulas in vanum esse sancitas ac prorsus esse irritas ac elusorias fore. Quod prout jam supra in Puncto primo breviter attactum, ita hic per omnes Paragraphos deducere ac demonstrare operae pretium fuit. Namque dum Artic. XXV Omnibus et ubique per Regnum liberum esse Religionis exercitium dicit, respondet sinistra clausulae interpretatio:

Nullibi et nulli in Bonis Dominorum Terrestrium.

Permittit Articulus:

Liberum proscriptorum Praedicantium in Regnum reditum liberamque Religionis suae professionem et exercitium.

Respondet aeque clausula sensu Ven. Cleri:

Nullorsum ad Bona Catholicorum.

Vetat Articulus:

Evangelicos ad cerimonias Religioni suae contrarias compelli.

Reclamat clausulae sensus inversus:

Libera est compulsio in Bonis Catholicorum.

Dictat Articulus XXVI statim sub initium:

Templa per Evangelicos aedificata et nec dum tunc ritu Catholico reconciliata per Commissarios esse iisdem assignanda.

Regerit itidem clausulae detorta interpretatio:

Non esse assignanda si in bonis Catholicorum aedificata sint.

Demum:

Ejusdem Articuli clausula: In aliis vero Comitatibus etc. relinquit Evangelicos in Comitatibus ibidem specificatis in actuali omnium Templorum An. 1681 apud eos habitorum.

Negabit iterum clausulae solita interpretatio:

Quod ea relicta fuissent, quae in Bonis Dominorum Terrestrium Catholicorum habentur.

Idem loquitur consequens Paragraphus, de Confiniis.

Negat tamen eadem torta clausula.

Deinde concedit:

Liberis Reg. Civitatibus omnibus loca pro Templis et Scholis et Parochiis adsignanda.

Refragabitur hic ea denuo respondendo:

Civitates esse Peculium Regis, qua Catholici Principis et Domini Terrestris, adeoque assignari non posse.

Praeterea generaliter relinquit subsequens Articuli Paragraphus: Evangelicis omnia Templa per eos eo tum possessa una cum Parochiis Scholis et eorum Proventibus, usu Sepulturae et Campanarum aeque pro Catholicis libero relicto.

Reclamat e contrario clausula contradictorie interpretata:

Nec Templa, nec Scholas, nec Parochias, nec Proventus relicta nec Sepulturae nec denique Campanarum usum esse Evangelicis concessum in bonis Catholicorum.

Denique expresse et generaliter cavet idem Articulus:

Nullas expost Templorum, Scholarum et Parochiarum occupationes vel exercitii turbationes sub poena in Articulo Uladislai Regis fieri debere.

Quid hic iterum clausula?

Praecepit ubique turbandum esse Religionis Evangelicae exercitium occupanda Templa in Bonis Catholicorum Dominorum Terrestrium.

Postremo:

Non praecludit ulteriorem viam Evangelicis Instantias suas in futuris Diaetis ratione praetensionum suarum promovendi (non obstantibus Cleri vel aliorum Secularium Catholicorum contradictionibus) ac Leges Regni Diplomate Regio firmatas salvas semper relinqui declarat.

Insurgit e contra hic quoque peregrina toties dictae clausulae torsio ac praemissa evidentissima per totum negabit nec dubitabit dicere:

Et contradictiones obstare et Leges Diplomaticas, quoad Bona Dominorum Terrestrium Catholicorum, irritas esse. Et hae quidem contrariae et peregrinae Artic. XXV et XXVI praemissae interpretationes passim ex Scriptis V. Cleri elucescunt ac ostendi poterunt.

Ast an ex demonstrata hac Clausularum Articularium cum praetensa interpretatione Juris Dominalis repugnante confrontatione genuinus Articulorum Soproniens. sensus coalescere queat, prout nec cogitari quidem potest. Ita aeque clausulam: Salvo Jure Dominorum Terrestrium, sensu Ven. Cleri stare et stabiliri, nihil est aliud quam utrosque Articulos, quoad omnes Periodos tolli, everti, et annihilari certo certius debere.

XIX. Plures adhuc restant magni ponderis rationes, quas Evangelici in Scriptis et Rescriptis suis fuse deducunt et concatenant, ostendentes tum ex natura Fidei, quae imperii humani et coactionis nescia est, donumque Dei esse creditur tum ex doctrina Salvatoris Mundi, tum ex praxi Sanctorum Apostolorum et primitivae Christianae Ecclesiae, tum denique ab auctoritate Sanctorum Patrum Jus Terrenum in conscientias arrogari non posse, quas hic loci non nisi attingere placuit.

Quamquam enim commissionaliter determinatum sit, quaestionem hanc ex clausula Art. XXV enatam ejusdem esse naturae, ut tanquam Politico-Theologica, de necesse mixtim quoque tractari, disputari possit ac debeat, nihilominus intellecta benigna ultimo Decreto suo expressa, altefatae Majestatis Vestrae Sacrat. intentione ex Scriptis utriusque Partis Dogmatica expungi praecipiente, ex debito homagialis obligationis nostrae sponte ultroque a rationibus Theologicis opinioni nostrae inserendis abstinemus. Sufficiet vero adhucdum Politicas nonnullas ab authoritate Sapientum, nec non Principum tum Gentilium tum Christianorum idem sentientium petitas adjungere. Et quidem:

XX. Videre est etiam Gentiles Philosophos ex lumine naturae jam ab antiquo sensisse, frustraneam esse mentis coactionem, quae non nisi rationi cedit, ac bene praeparato pectore vim externam flocci pendit. Sic enim Calanus antiquissimus ad Alexandrum Magnum scripsisse fertur testante Filone: „Amici tibi suadent ut cogas Indorum Philosophos corpora de loco in locum transferri: animis invitis nullam vim inferes," etc. Ita aeque philosophatus est sapientissimus Seneca Lib. III de Beneficiis cap XX: „Errat si quis existimat servitutem in totum hominem descendere: pars ejus melior excepta est. Corpora obnoxia sunt et adscripta Dominis, mens quidem sui Juris, quae adeo libera et vaga est, ut ne ab hoc quidem carcere cui inclusa est teneri queat et in infinitum comes coelestibus exeat." Certe hos et complures reliquos Gentilium Sapientes, jus Terrenum in sensus hominum internos a spiritu rationali dependentes neutiquam competere bene intellexisse ac Dominium corporis a spiritu distinxisse, dubitari nequit. Ast:

XXI. Descendendum est ad Principes terrarum aeque Gentiles ac Barbaros, quibus eadem de non turbandis diversis Religionibus, seu violentandis conscientis fuerit sententia. Jam olim Romanos Imperatores Nervam, nec non Antoninum Pium generali decreto vetuisse: „Ne qua in Religione cujusque fieret inquisitio." refert Pappo in Historia Ecclesiastica.

Id ipsum consideravit et Alexander Severus, cum ipse Gentilis Romae Christianis Templum concesserit. Nec absimiliter idem sentiunt Otthomanni, qui diversa Religionum genera in Imperio suo ferunt, nec vim in conscientias hominum exercent, singulari exemplo Imperatoris

sui Sultanni Solimanni in obsidione Szigetiensi extincti, qui dum a suis admoneretur, ut Christianos Duces et alios diversi ritus incolas Regnis suis ejiceret, vel Muzulmannizare cogeret, loco responsi hortum variis floribus refertum iisdem ostendit ac explicavit varietatem Religionis imperio suo nihil obesse, si enim flosculos varii coloris evelleret, non nisi hortum deformaret. Quanto magis ergo mitiorem sequi sententiam decet Christianos, qui Regnum Dei in homine esse docente Salvatore agnoscunt ac illud in animam et caelestia, terrenum autem non nisi in corpora exerceri posse satis experiuntur.

XXII. Commode ad Christianorum Imperatorum Regum et Principum acta et facta provocatur inter quos Constantinus Magnus Imperatorum Christianorum primus, primum aeque meretur habere locum, qui Gentilibus pariter ac Christianis, ut certa stataque loca haberent, in quibus conventus suos agerent prudenter permisit, neque eos vi aut annis ad Christianismum amplectendum compellendos extra casum seditionis censuit etc. Hanc pariter pressit viam Theodosius Magnus ut ut capitalis Arianorum osor, quos tamen teste Bodino, nullis suppliciis coercere voluit. Eadem moderatione usum fuisse Valentinianum, qui inter Religionum diversitatem medius steterit, nec quenquam causa Religionis inquietaverit, ut Ammianus Lib. XX memorat.

Idem sentiebat olim gloriosissimus Austriaci sanguinis Princeps Carolus Quintus Imperator an. 1532 in Proëmio confirmationis Juris Criminalis Imperii Romano-Germanici continente in haec verba: Nullam aliam Compendiosiorem viam esse, a fide Christi alienos et in avia delapsos in viam reducendi, et ad spontaneum Dei cultum revocandi, quam si verbo et spiritus potentia Haereses convincantur, errantes sanabilesque cum mansuetudine tractentur, minime vero quisquam vi, carcere, tormentis, flagris, ferro, fune, flumine, flamma, ad colendum Deum, cui nonnisi voluntaria mentis nostrae victima probatur, cogatur, ut neminem unquam Pientissimi Imperatores Constantinus Magnus, Valentinianus, Jovianus et alii, quorum exempla Legis vicem praebent, et nos eorum vestigiis insistere laudis opus arbitramur, violenta coactione ad suscipiendam Religionem adigerent. Gentile enim et bestiarum est, ac eorum, qui homicidam spiritum ductorem et doctorem habent, Religionem carnificum taureis et equuleis inculcare malle, quam placidas sententias conferre, quod Decium, Diocletianum, Maxentium, Maximinum, Julianum Parabatem, Paganos, et Valentem Arianum, quos fere omnes tragicus excepit exitus, decet. Quare cum hoc ita multi Episcopi orthodoxi et Ecclesiae verae Catho-

licae Doctores sentiant, eum qui contra sentit, non solum nihil sed et impie sentire credere fas est. Et nos illi in re tanti momenti suffragari ac subscribere quid vetet? Haec Carolus Quintus.

Aeque huic sententiae subscripsit Divino effato suo Maximilianus II ajens: Qui conscientiis dominari cupit, arcem Coeli invadere velle. Nec absimile est dicterium Principis Hungarici sanguinis Stephani Bátorci Regis Poloniae, qui Deum Omnipotentem tria sibi reservasse, ac inter haec dominium in conscientias sapientissime animadvertit, ac ad Magnatem quoque Poloniae Stanislaum Tisszitzium (teste Josepho Castinii) in haec verba scripsisse fertur: Ego nunquam sanguine, nunquam persecutione Religionem propagandam existimo; ac etiam si non jurassem ipsa res et Reipublicae constitutio me id luculenter docent.

Neque multum discrepavit ab his Rex Navarrae in literis ad Nobiles Aquitaniae datis (teste Dinctho): Non gladio sed persuasione ac vi doctrinae in cordibus hominum Religio plantatur et honesto vitae exemplo confirmatur.

His aeque consimilibus consiliis usi sunt Henricus IV in Gallia, nec non Sigismundus Tertius et Uladisl. IV in Polonia, aliique alibi plures, quos commemorare longum foret.

Satis est palam ex his cognosci posse praememoratos gloriosissimos ac pientissimos Monarchas et Principes ne cogitasse quidem ut Jus terrenum in conscientias Subditorum exerceri possit et debeat.

Ast violentum ejusmodi agendi modum compluribus (uti ex scriptis V. Cleri patet) justificare placet praetextu haereseos Evangelicis impactae, ut omnino Dominis Terrestribus Catholicis subditos suos ad Religionem suam adigere quam unice salvificam credunt, de incumbente officio, et munere licitum sit. Verum enimvero

XXIII Reponunt Evangelici (uti jam supra breviter attactum) distinctissimum esse regimen Politicum ab Ecclesiastico. Illud enim gladio corporali, hoc vero spirituali gubernatur. Illud circa corporalia et temporanea, hoc circa spiritualia et aeterna versatur. Illud justitiam civilem et salutem Reipublicae pro fine et scopo habet, hoc vero saluti animarum providet. Unde concludunt Evangelici: Non pertinere ad munus Dominorum, ut se officio Ecclesiastico misceant, cujus curam non aliter, quam modo a Salvatore Mundi praescripto agere competit, et quidem tanto minus sive Dominis Terrestribus, sive Ecclesiasticis adeoque Ven. Clero Jus in conscientias Subditorum exercere fas est, quod Rex et Regnum utpote universi Status et Ordines ac consequenter ipsi Domini Terrestres singuli liberum Religionis exercitium Subditis suis sponte et libere acceptare volentibus Lege publica concesserint, nusquam et nunquam

turbandum. Neque quicquam ponderis adfert praetextus praetensae haereseos ob quam ad amplectendam Religionem suam eosdem vi externa compellunt. Namque non nisi circa petitionem Principii laborant. Cum tamen inter Theologos et diversitates Religionum adhucdum de veritate earum sub judice lis sit, Religionem autem Evangelicam in hoc Regno jam non pullulantem, verum publica fide et Lege receptam, in aliis quoque pluribus Regnis, vix non totius Christianitatis pars media receperit, ac etiamnum conservet, quis Judex controversiae futurus sit, (nisi Deus Opt. Maximus aliam suppeditaverit viam) vix ac ne vix quidem concipi potest. Adeoque vel sola ipsa Politica Ratio suadet ne Jura terrena vices Judicum hac in parte subeant, tanto minus conscientiarum arbitros agant. Alias enim amplius ad persecutiones et rerum involutiones ac confusiones per orbem terrarum aperiretur campus.

Haec sunt Augustissime Imperator! quae in re et quaestione tanti momenti, qua omnium persecutionum scaturigine, et sinistra toties fatae clausulae interpretatione enata, per plures et longiores rationum, argumentorum et motivorum deductiones conglomerare ac limpidissime ostendere operae pretium duxerunt Evangelici, Jus terrenum qua externum in conscientias hominum, qua internum habitum Dominio solius Dei reservatum, exerceri non posse.

Hinc nos quoque tanta mole praemissarum praegnantissimarum rationum persuasi et ferme obruti. Quandoquidem ex praetensa clausula: Salvo jure Dominorum Terrestrium, ipsa nomenclatura Lij Terrestrium ostendat Jura dominorum ad coelestia trahi non posse. Neque porro iisdem aliud Jus pro salvo relictum sit, quam quod ante per Leges Regni obtinuerit. E converso constitutiones publicae Subditos nec a Regia Majestate, nec a Dominis Terrestribus, quoquo modo turbandos indigitent. Imo villis etiam sponte ac libere acceptare volentibus adeoque etiam rusticis ibidem degentibus. Et quidem in Universorum Statuum et Ordinum Regni signanterque Fisci etiam Bonis, liberum Religionis exercitium, generaliter omnibus et ubique permittunt. Demum Sacra quoque Regni Diplomata hanc Religionis libertatem Conditione Sexta expressis verbis firmaverint. Leges vero Regni iisdem Diplomatibus contentae vigore Articulorum Sopronienslum pro salvis relictae sunt. Insuper turbationes exercitii Templorumque occupationes post eandem Diaetam Soproniens. sub poena ibidem declarata vetitae habentur.

Deinde si juxta tenorem Art. XXV ad calcem, Evangelici ad cerimonias suae Religioni contrarias compelli non possint tanto minus ad deserenda ejusdem Dogmata eos adigi posse ex aperta consequentia pateat.

Praeterea cum praefatam clausulam, sensu Vener. Cleri admittere,

ac e contra clausulationes et Paragraphos Artic. Sopron. pro confirmatis habere adeoque stabiliri et subsistere, meram involvat contradictionem, quae nimirum singulas Periodos articulares tollat ac evertat.

Adhaec violentis conscientiarum in negotio Fidei et Religionis turbationibus doctrina Sanctissimi Magistri, Dei et Hominis Salvatoris Jesu e diametro repugnat.

Praxis Sanctorum Apostolorum et primitivae Ecclesiae contradicat.

Imo Gentiles quoque Philosophi ex solo naturae lumine dominium corporis a spiritu distinxerint ac voluntatem interne cogi non posse aut debere animadverterint.

Deinde Principes quoque Ethnici complures eandem de conscientiis haud violentandis sententiam foverint.

Christiani autem Imperatores et Reges (maxima ex parte uti ex praemissis patet) a Persecutionibus conscientiarum abhorruerint et abstinuerint.

Neque porro natura Fidei, quae donum Dei est, Jus terrenum admittat, consequenter Dominis Terrestribus illud arrogare Jus, et vindicare, quod sibi Deus reservavit, absque laesione Juris Divini fas esset.

Sed his denique praemissis sola trium gloriose regnantium Regiarum majestatum de sensu clausulae toties repetitae facta interpretatio Leopoldina, Josephina, et easdem confirmans Majestatis Vestrae Sacratissimae Resolutio, qua nimirum Diaetalis et publica, adeoque reliquis quibusvis Resolutionibus Dicasterialibus longe eminentior ad tollendam peregrinam clausulae interpretationem arcendosque intentatos ac intentandos ac turbandas in negotio Religionis conscientias sufficiat, firmumque sit praesidium.

Hinc nos quoque (uti praemissum est) non possumus non censere ac sentire humilime Jus Dominorum Terrestrium ad conscientias Subditorum in negotio Fidei ac Religionis referri ac extendi non posse.

Qui si et in quantum ubique per Regnum ad amplectendam conscientiis ipsorum adversantem Religionem minis, mulctis, verberibus, carceribus, sive bonorum direptionibus violenter adacti et compulsi sunt (uti signanter in Dominio R. P. Societatis Jesu Bozohiensi et alibi passim accidit) meram et apertam esse Articulorum Soproniensium violationem, contraventionem et abusum, non inmerito judicamus. Atque adeo dum directis et indirectis modis, sive Nobiles et Cives ab officiis et dignitatibus de Lege Regni hactenus unquam sublata absque discrimine Religionis bene meritis continua retroactorum annorum serie concessis arceantur, sive Mechanici et Metallifossores ac Ceharum contubernia non admittuntur, sive Sponsi et Sponsae ad ineundum et confirmandum matrimonium non copulantur, puerperae autem aliae per biennium, triennium imo et septennium non introducuntur, ac tam diu domibus egredi non permittuntur taliterque vix non in perpetua captivitate

detinentur; sepultura porro demortuorum denegatur; ac alii infiniti in Gravaminibus Evangelicorum conscripti, sat superque graves excessus sub conditione mutandae Religionis patrantur, et quaevis atrocia in Evangelicos exercentur; non modo apertam esse persecutionem Religionis de Lege receptae, sed et eam contra expressa Legum Regiis Diplomatibus firmatarum, signanterque Articulorum Sopronien*s*. contenta turbationem exercitii sub poena vetantia fieri, adeoque authoritate Majestatis Vestrae Sacrat. Regiae serio inhibenda, neque admittenda. Templa vero praetenso Jure Dominali violenter adempta Evangelicis restitui, ac consequenter toties dictam clausulam in suum genuinum sensum et statum (per Explanationem Leopoldinam, Josephinam et Carolinam Majestatis Vestrae Sacratissimae confirmatoriam publice et diaetaliter declaratum) reponendam humillime censemus, ac fideles Subditos Evangelicos et signanter miseram Regni plebem, aerario Regio maxime proficuam ineffabili hoc persecutionis genere tanquam malis omnibus occasionem praebente, conservandos ac protegendos demisse existimamus.

PUNCTUM QUARTUM

De Jure sive Jurisdictione Superiorum seu Superintendentium Evangelicorum Ecclesiastica. Vi Articuli primi Anni 1608 ante Coronationem editi, cujus contextus sic se habet: Quin imo ad praecavenda inter Status et Ordines aliqua odia et dissensiones, ut quaelibet Religio suae professionis Superiores aut Superintendentes habeat statutum est.

Gravamen intuitu hujus, ad liberum Religionis exercitium spectantis legalis indulti, Evangelicorum sic sonat:

Merito maxime querulamur restringi libertatem habendi Superintendentes. Et qui pauci habentur omnes et eorumdem et Evangelicae Religionis Ministrorum concursus dum sive de aliis in ordinem redigendis, sive de causis revidendis, sive de excessibus corrigendis agendum esset fieri non permissi. Facultatem causas matrimoniales inter Personas Evangelicas vigentes revidendi adimi, Ecclesiarum visitationem, et in Ministros quoad functiones eorundem Ecclesiasticas examen, et Jurisdictionem judicandique facultatem, ab Episcopis et Sacris Sedibus praetendi et vendicari, et hinc ad Sacras Sedes praetextu imprimis per functiones suas violatae Jurisdictionis Parochialis citari, et nisi velint citati comparere

sub poena excommunicationis literis monitoriis et valvalibus impeti, eaque propter redimendae quietis, et majorum expensarum avertendarum causa ad gravia birsagia solvenda cogi. Imo illos quoque si qui Catholicorum ultronee et sponte acceptarent Religionem Evangelicam, aut si metu poenae vel aliis mediis exterioribus Evangelici ad amplectendam Romano-Catholicam Fidem coacti, denuo ad Religionem Evangelicam redeant, eosdem pariter ad Sacram Sedem citari, imo captivos aresto detineri.

Huic Gravamini in contrarium ex parte Ven. Cleri repositum est:

Admittere quidem Ven. Clerum quod Art. I. an. 1608 mentionem Superintendentium faciat, non tamen sequi numerosiores tollerari debere. Unde restrictis Ministris plures numero intertenere Superintendentes supervacaneum fore.

Concursus item et congregationes Ministorum et Superintendentium, quod Art. XXXI anni 1715 vetaret, Revisionem causarum Matrimonialium ex quo sensu Artic. VII Pacificationis Vienensis auctoritas Sacrae Sedis in suo pristino usu fuisset relicta, per hoc eidem Sacrae Sedi competere.

Et quod Art. XV an. 1647 per quem facultas et usus Evangelicorum circa causas Matrimoniales habitus et confirmatus praetenditur, Artic. XXX an. 1715. Art. XXV. XXVI. an. 1681 et XXI an. 1682 confirmatus non sit, quia mentio ejus in iisdem non habetur, et ideo nullam mereatur considerationem.

Item Articulum quidem primum 1608 de Superintendentibus loqui, non tamen per hoc facultatem causas matrimoniales revidendi iisdem datam haberi.

Usumque eatenus praetensum non usum, sed abusum fuisse.

Visitationes porro Ecclesiarum et reliqua, quae tali occasione per Archidiaconos Visitatores fiunt, penes Mandatum suae Majestatis Sacratissimae fieri et exerceri.

Imo per ea sensu Artic. X an. 1557 Visitationes Ecclesiarum illis Archidiaconis delatas esse, item quod Ministri Evangelici prout Seculares Regnicolae Foro Ecclesiastico Sacrae Sedis Romano-Catholicorum de Lege Regni subjecti sint dictantibus Articulis IX an. 1458 itidem IX an. 1557 nec non XL an. 1559, XXIV an. 1563 et XXV an. 1567.

Deficientibus adhaec a Fide Romano-Catholica tanquam in causa Fidei, censuram et imponendam iisdem poenam ex dictamine Matthiae Regis Decr. I. Art. III. Sacrae Sedis auctoritati subesse. Ex quibus concludit: quod Superintendentes et Ministri Evangelicorum a functionibus exercitiisque in Gravaminibus Evangelicorum expressis recte arceantur et Ministri ad Sacras Sedes citentur, ibidemque ob non convenientiam conveniantur et aggraventur.

Non secus et Seculares Evangelici in casibus in serie Gravaminum Evangelicorum pariter ibidem contentis et his similibus jure conveniri et mulctari potuissent.

Haec ita praevio modo enumerata ac alias in Replica et Duplica adeoque generalibus quoque Ven. Cleri Gravaminibus in Replicis Evangelicorum ad decem membra reductis in quantum ad eas quoque se provocarent partes reperibiles pariter et Leges nec non Protocolorum producta a parte Evangelicorum ad consolidandum tum ipsum Paragraphum Art. I. an. 1608 de Superintendentibus sonantem adductas, tum usu eatenus habitum confirmantes passim in actis pro et contra positas ac hic subnexive in quantum fieri potuit insertas pensitantes comperimus. Et quidem

In ordine et respectu praedeclaratorum concursuum et Revisionis causarum Matrimonialium:

I. Quod praeinsertus Articulus I an. 1608 per XXV an. 1681 per expressum confirmatus irrestrictam libertatem habendi Superintendentes admittit et statuit, qui Articulus sicut et aliae Leges numerum nec Superintendentium nec Ministrorum restringunt, sed tot, quot necessitas exigeret numero intertenere permittunt.

II. Et cum liberum Religionis exercitium de natura sua non solum cultum Divinum ad praescriptum cujusque Religionis Sacrorum verum et circa dogmata, mores, necessariamque disciplinam Ecclesiasticam atque eidem annexarum reliquarum ecclesiasticarum rerum gubernationem administrationemque praerequireret et secum ferret, ideo praecitatus Articulus Superiores seu Superintendentes cum pleno jure habere positive concessit, quem in finem eorundem cum Ministris in contuberniis seu consistoriis Ecclesiasticis congressus seu concursus per Ven. Clerum impediri legitime non possent.

III. Quod si enim hunc in finem servandi boni in Ecclesiasticis ordinis et matrimonialium, ac aliarum causarum et casuum ecclesiasticorum revidendorum gratia Superintendentes cum Ministris in unum convenire congregationesque celebrare debeant atque necessum habeant, per hoc nec in perniciem Regis vel Regni quidpiam moliuntur, et nec factum Lege vetitum exercent. Nam si neglectis congregationibus in Ministros cura et inspectio debita, ac quae secundum Dogmata propria ritusque inde promanantes ordinanda et administranda essent, omitterentur, adeoque inordinate extra regulas et praescriptas Leges Consistoriales ipsi et auditores vivere permitterentur, confusionem meram sequi necesse esset. Igitur talismodi congregationes legaliter minime vetari quirent.

IV. Similes porro ut praemissum est concursus et congregationes sub glorioso August. Domus Austriacae Regimine semper a revolutione semial-

terius seculi practicari solitas fuisse, imo et nunc magna in Regni parte practicari, neminem genuinam status rei cognitionem habentem fugit.

V. Articulum demum XXXV an. 1715 ex ratione Synodi Rosenbergensi sub nefariis motibus Rahotzianis et illegitimo Magistratu celebrati conditum esse, tenor ejus testatur, per quem etsi facta et acta ejusdem Synodi annullata habeantur, attamen inde nullo modo sequitur neque inferri potest, quod videlicet per hoc seu intuitu spiritualis Superintendentium Jurisdictionis, seu tam pro causis Matrimonialibus revidendis quam servando bono ordine nec non corrigendis excessibus instituendorum concursuum jus illud primaevum Evangelicorum ejusmodi inquam ante motus sopitos et semper licitos concursus celebrandi, et causas Matrimoniales revidendi invalidatum sive abolitum, et consequenter jus Sacris Sedibus Romano-Catholicis in Evangelicos fuisse concessum et attributum. Neque ideo Synodus Zolnensis, Varalyensis, Papensis, Jartzaliensis, et aliae consimiles tempore legali pacifico et sub legitimo Magistratu celebrata, constitutionesque in iisdem conditae sublatae exstiterunt. De quibus enim Articulus XXXI an. 1715 sive directe sive per indirectum non sonaret ad ea extendi nequiret. Sicuti enim per Articulum subsequentem XXXII ejusdem ultimae Diaetae per quem universa sub praeteritis motibus publice vel privatim facta et acta cassata fuerunt. Non ea quae ante tumultus Legibus Regni et communi Libertati congrua ac concessa fuerint insimul pro irritis et cassatis sunt declarata. Sic neque prior Articul. XXXI ad ea, quae tempore legali pro exigentia Legum in Spiritualibus observandi ordinis et manutenendae tranquillitatis causa statuta ordinataque apud Evangelicos tollenda detorqueri valerent. Et hinc ordo legalis et jurisdictio Ecclesiastica in suos Evangelicos competens sublata nullatenus dici potest. Quippe de jure Regni Leges non alias, quam mediante nova Lege sive modificari sive tolli assolerent, et sive quidem ejusmodi modificandam aut tollendam Legem positive citando ac per expressum modificando.

VI. In causis Evangelicorum Matrimonialibus, earundemque accessoriis, et quidem virtute Articuli primi an. 1608 more consueto procedendi, Jus dicendi et decidendi Superintendentes et habuisse, et eandem jurisdictionem exercuisse, etiam Art. XV an. 1647 contextus haec formalia habens evinceret, Evangelicis vero de vigore Articul. I an. 1608 ante Coronationem ad primum editi in Matrimonialibus in usu consueto permanentibus. Qui Art. XV sublatus vel invigorosus dici non potest quia is non solum virtute clausulae Artic. XXVI an. 1687: Salvis semper Legibus Regni Diplomate Regio firmatis, in priori suo vigore relictus, sed etiam confirmatus esset, dum videlicet dictus Articulus XV nihil aliud, quam quod Art. I 1608 statuit et exprimit in se contineret, essetque identicus. Hic autem Artic.

an. 1608 omnino in Artic. XXV an. 1681 per expressum renovatus reperiretur.

VII. Nec abs re, nam in usu causas Matrimoniales revidendi et judicandi contubernia et consistoria sive Sedes Spirituales Evangelicorum ante et post Pacificationem Viennensem fuisse et in potiori Regni parte, hodiedumque persistere, tam antiquissima Protocola Ecclesiastica in origine occasione Sessionis diei XX Maji an. 1722 per Agentes Evangelicos Commissioni remonstrata et pluribus ad demonstrandum oblata quam recentissima quoque Matrimonialium Processuum exempla, nec non a parte Ven. Cleri in suis generalibus Gravaminibus Membro sexto posita, hoc in passu praetensiva Gravamina innegabile perhibent testimonium.

VIII. Et profecto recentissime judicium causarum Matrimonialium in Evangelicos Evangelicis contuberniis et consistoriis in publicis Regni Legibus tribuitur, tum propter controversias Evangelicis cum Romano-Catholicis, quoad hujusmodi causas intercedentes atque eo ipso Religionem et conscientiam tangentes, tum propter Evangelicorum constitutiones Ecclesiasticas circa easdem et reliquas causas observatas et longo usu firmatas, tum propterea, quod eo in casu, si in foro Sacrae Sedis Romano-Catholicae Evangelici causas suas agere deberent, tum causam ipsam alterutra partium appellante ad summum Pontificem seu Romanam Curiam devolvi necessum esset, quod tamen veluti Dogmatibus Religionis Evangelicae, ita Legibus jura libertatis in negotio Religionis indulgentibus e diametro repugnaret.

IX. Cum autem Spiritualis Romanae-Catholicae Sedis Jurisdictio quoad Religionem, conscientias aliaque Spiritualia in Personas Evangelicorum per Augustanam et Helveticam Confessiones sit sublata, harum vero Confessionum addictis Regnicolis liberum exercitium ejusdemque usus et Lege et Fide publica admissa haberetur, utique et in causis Matrimonialibus praetensa Ven. Cleri jurisdictio in Evangelicos non subsisteret, quippe in quos nulla jurisdictio Spiritualis in eos Ven. Cleri potestas dioecesana nulla daretur, ea etenim non territorium, sed Tractum Dioecesis (uti civilis potestas) sed unice personas suae Religioni addictas ibidem habitantes, intuitu dictae Spiritualis jurisdictionis concerneret.

X. Praeterea constat Reverendissimos Dominos Vicarios generales ad tale juramentum praestandum teneri, quod in decisionibus Matrimonialibus velint statutis concilii Tridentini inhaerere, atque casus sui Fori ea norma decidere. Teste autem etiam Reverend. P. Martino Szentiványi in Dissertatione Paralipomenica, Evangelicos Decreta Concilii Tridentini, ejusque declarationes, non tantum quoad solemnitatem Matrimonii et Reformationem eorum, sed et quoad Articulos Fidei rejicere. Ergo secundum ejusdem concilii definitiones (cujus decretis et statutis non subjacerent,

imo per quas damnati haberentur Evangelici) in causam attrahi et judicari non possent, plus quam manifestum esset. Interim

XI. Quod aliqui Evangelicorum pro dispensationibus occasione Matrimoniorum recurrant ad Sacras Sedes id non esset Juris sed Facti, quod ipsum contra Leges, contra naturam liberi Religionis exercitii, ac contra libertatem conscientiarum in consequentiam et obligationem trahi non posset. Multo minus facta quarundam Personarum Evangelicarum sive ex ignorantia, sive tot citationum metu etiam innocentissimos affligi solitarum, jurisdictionem Sacrae Sedis stabilirent, sed persecutionis Evangelicorum manifesta documenta darent, imo ne vis nondum sublatarum et nunc remedendarum contraventionum esset. Si quidem hac ratione vis conscientiis inferri soleret, et per hujusmodi praetensas dispensationes ad mutandam Religionem cogerentur, error autem et metus nonnullorum haud solidaret, nec inferret consensum Evangelicorum communem, quorum Religioni adversaretur recurrere ad caput Spirituale quod non agnoscunt. Caeterum quamvis a parte Ven. Cleri

XII. In favorem sui citati ante Pacificationem conditi Articuli, causarum Matrimonialium cognitionem Foro Spirituali Catholico deferunt, dum Praelatorum etiam et Vicariorum mentione faciunt. Enimvero iidem Articuli et Leges contra Evangelicos allegari non possunt, quandoquidem rursus e contrario admissis publica Lege Evangelicorum Superintendentibus, eorumdemque Jurisdictione, ac denique receptione Religionis Evangelicae per Pacificationes, Diplomata, et Constitutiones stabilita, eisdem amplius praejudicare haud valerent. Id quod Articulus primus an. 1606 Pacificationis Viennensis ad oculum demonstrat, dum superius citatos a parte Ven. Cleri Articulos ac alias ejusmodi constitutiones una cum XXII art. an. 1604, qui eas quoque confirmasset, pro sublatis et non obstantibus habendas per expressum declaravit.

XIII. Neque ejusdem Pacificationis Articulus VII Evangelicis officeret, aut contra Evangelicos Ven. Clero suffragaretur, quia ibi praetensae Sacrarum Sedium Romano-Catholicarum in Evangelicos Jurisdictionis et auctoritatis nulla mentio haberetur, secundum autem Regulam Juris 195 Expressa nocere, non expressa non nocere solerent, et prout ante Pacificationem Evangelicos in usu exercitii Religionis, pariter ac Jurisdictionis Ecclesiasticae profuisse Protocolis comprobatur. Ita per eandem Pacificationem Vienensem usum illum non fuisse sublatum sed potius in eodem Articulo VII confirmatum. Exindeque patet quod idem ut Sedes Spirituales maneant, statueret. Hinc eo ipso Evangelicorum quoque, quae tum existebant Spirituales Sedes confirmatas esse, evidens foret. Alias si

XIV. Per eundem Articulum VII Evangelici Sacris Sedibus Romano-Catholicorum subjecti praetendantur, vis Articuli primi ejusdem Paci-

ficationis, qui liberum Religionis usum et exercitium ac jus et jurisdictionem Superintendentium permitteret, effectu suo destitueretur, et tolleretur. Quod de paciscentibus, ne cogitare quidem fas esset, qui Legibus Regni recipiendae Religionis Libertatem stabiliendam voluerunt et sanciverunt.

Respectu autem Visitationum Ecclesiarum Evangelicarum et in Ministros Evangelicos, quoad functiones et praetensos eorundem excessus Illustrissimis et Reverendiss. Dominis Episcopis et Sedibus Romano-Catholicis Jurisdictionem Spiritualem competere non posse remonstratur:

I. Quod Jurisdictio Ecclesiastica non solum circa revisiones causarum Matrimonialium et accessoriorum, sed ordinationem etiam et visitationem Ministrorum ac tam in doctrinam et vitam eorum, quam et Auditorii inspectionem casuum conscientiarum discussionem secum trahat, et libero exercitio Religionis inseparabiliter adhaereat, ac ideo tali Jurisdictione Evangelici stante libero Religionis exercitio ejusdemque usu privari non possint.

II. Quod per Dominos Archidiaconos Catholicos Visitatio Ecclesiarum eo fine fieret, ut videlicet explorarent, an cuncta pro ritu Religionis Romano-Catholicae Ecclesiae administrarentur et an Parochi Ecclesiarum dioecesi suae subjectarum officii et voti sui limites excedant. In Augustana vero et Helvetica Confessionibus secundum praescriptos eorundem Canones in similibus diversus mos et ordo observari soleret. Sed et

III. A quibus Evangelici Ministri nec vocati nec ordinati, neque Ecclesiis praefecti essent, multo minus Leges et Statuta functionum suarum accepissent, ab iis adeoque ab Illustriss. et Reverendiss. Dominis Episcopis et Sacris Sedibus Romano-Catholicis in actionibus sui muneris dependere aut coram iis ad juri standum compelli posse, naturalis ratio ipsa non permitteret.

IV. Nam cum Lex Superiores seu Superintendentes quamlibet receptam Religionem habere statuit, jam eo ipso Minostros Evangelicos suis suo modo subesse voluit.

V. Et ipsa ratio ordinis utpote sine quo nulla societas tanto minus Ecclesiastica subsistere potest id exigit, sed et natura societatum et collegiorum id requireret, ut quisque a suo et non alieno Superiore dependeret, alias odia et dissensiones non praecaverentur, quin potius confusum inde chaos enasceretur.

VI. Itaque cum per toties citatum Articulum primum 1608 anni Superintendentes servandi facultas ad evitanda odia et dissensiones admissa esset, ejusmodi odia et dissensiones tantum abest ut evitari possint, ut potius foveri deberent. Si invitis Evangelicis in Ecclesias et Ministros eorundem alioquin de lege Religionis ac Professionis suae

propriis Superintendentibus subjectos praetitulati Domini Romano-Catholici Episcopi, eorumque Sacrae Sedes Jurisdictionem Superintendentibus competentem et vi muneris eorum propriam sibimet vindicarent, et legali in negotio Religionis libertati dogmatibusque Evangelicorum adversantia placita et statuta praescribere valerent, atque taliter constitutio illa articularis ob bonum etiam pacis confirmata, legitimo suo fine prorsus destitueretur, ac sicut id ipsum inconvenientissimum foret, ut vulnera alicujus illi curanda committantur, qui vulnerati interitum indubie et ardentissime cupit, imo et ipse vulnerat: ita etiam absonum foret, ut Visitationes per praetitulatos Reverendiss. et Illustrissimos Dominos Episcopos vel Archidiaconos, qua in eliminationem Evangelicorum Rituum ac Dogmatum plus quam zelose intentos in Ecclesiis Evangelicorum et Muniis Ecclesiasticis peragerentur. Nec secus (a paritate rationis) Dogmaticorum et Rituum Evangelicorum per Dominos Romano-Catholicos possibilis visitatio, quam utriusque exercitus Partium intra semet belligerantium unius ejusdemque Ducis practicabilis directio statueretur.

VII. Quod attinet ad Mandata seu Patentales Regias quibus fulti praetitulati Domini Episcopi et Archidiaconi procedere in visitationibus Ecclesiarum solerent, eorum contextus expresse ad Jurisdictioni suae subjectos Romano-Catholicos, non vero Evangelicos legaliter extenditur. Respectu quippe Evangelicorum in forma duntaxat Passualium, non vero Dioecesanae Visitationis continentias earumdem sonare palam dignosceretur. His accedit

VIII. Quod si ejusdem Romano-Catholicae Religionis Ecclesiastici pro diversitate Religiosorum ordinum Jurisdictioni Dominorum Episcoporum non subsunt, neque unus ordo alium judicat, quanto magis ad evitandam et ex lege et per se vi dogmatum ad invicem distinctarum Jurisdictionum convulsionem inter receptarum Religionum Superiores quemlibet eorum intra cancellos Jurisdictionum pro diversitate Religionis suae perseverare et interesset et oporteret.

IX. Quo praeviso ipse Ven. Clerus in generalium Gravaminum suorum instantia per Evangelicos ad decem membra reducta, ubi Sacrae Sedis Jurisdictionem et signanter in membro sexto defenderet, admittit Ministros et Superintendentes Evangelicorum circa Dogmata, non subjacere Jurisdictioni Fori Spiritualis. Unde consequitur, quod si circa Fidei articulos a Sacrae Sedis Romano-Catholicae Jurisdictione exempti habeantur, quod circa visitationem etiam, inspectionem item, functionesque suas potestati ejusdem minime subjacere possent, deberentque. Tanto magis

X. Quod si quidem secundum producta sua idem Ven. Clerus Augustanae et Helveticae Confessioni addictos Ministrosque eorundem, omni ritu liberi exercitii privare, imo taliter Regno eliminare niteretur, ac vi contradictionum suarum partem agat, jam de ipsa legaliter naturali

ratione Judicatum et Actorum simul in Verbi Divini Ministros Evangelicos exercere non potest. Semoto enim favore et odio Judicium exercendum esse Tit. IX Praelogomen. suaderet, id quod a parte Ven. Cleri ex ratione postulatae eliminationis praestari haud posset.

XI. Praeterea Media Processus Sacrae Sedis nec communibus Legibus, nec Evangelicorum legali libertati ac conscientiae congrua adhiberent et admitterent, cum et Inquisitiones per solas Personas Ecclesiasticas peragi soleant, et per Seculares peractis locus non detur, Remedia Juris Sacri Fori sequi Religioni Evangelicorum adversaretur. Imo Procuratores Evangelici ad defendendum causas, nisi Religioni suae contrarium Juramentum praestent, rarissime admitterentur. Hisque et aliis modis, legitimis defensionis Mediis contra Jus naturae citati Evangelici privarentur. Inde citra manifestam laesionem et eversionem Religionis Evangelicae, ac simul Juris ejusdem legalis convulsionem, praetensa Sacrarum Sedium Jurisdictio stare non posset. Ad haec

XII. Quia Dogmata, Ritus, Cerimoniae et alia id genus in Ecclesiis apud Evangelicos, cum instituto Vener. Cleri, eorundemque Canonibus plerumque non concordant, quo ipso Jurisdictionum in Evangelicos tanquam in Religione discrepantes, diversitas Dogmatum non admitteret exercendam. Accederet

XIII. Quod si Judaeos, Graecos aliosque Schismaticos in Regno quidem degentes, sed nullatenus indigenas, nihilominus Ven. Clerus ad festivitates celebrandas non cogit, nec cerimonias servandas eisdem praescribit, causas Matrimoniales eorum non judicat, nec sepulturarum usum ad se pertrahit, tanto minus Evangelicos. Lege Regni, fideque publica ac in Sacro Verbo Regio receptos et Superioribus seu Superintendentibus circa Ecclesiastica et dogmatica provisos deterioris conditionis efficere, ac a Tramite Legum publicarum dimovere, adeoque potestatem circa Personas et Jura Sacrorum Religionis Evangelicae antea quoque non habitam, neque exercitium sibimet vindicare valeret. Quin imo

XIV. Si nec Gentiles in eo, quod si quidpiam publico Regni statu eisdem competeret, turbari posset, quanto ergo magis Christiani Evangelici per Pacificationes Diplomata et Articulos recepti in nogotio Religionis a parte Ven. Cleri turbari et ad Fora Sacra citari ibidemque multari non posset et non deberet.

XV. Insuper nec Justitia Evangelicis in Sacris Sedibus Romano-Catholicis administrari potest, dum per Ven. Clerum leges Regni diaetales in negotio Religionis conditae pro talibus non agnoscerentur, sed impugnarentur, et pro nullis reputarentur. Itaque si ea, quae Religionis Evangelicae Spiritualia essent, per Sacram Sedem Romano-Catholicam examinari et judicari deberent, sive consideretur absolutio, sive convictio in causam attracti, neutrum a Sacra Sede praestari posse speraretur, cum si factum

Religioni suae contrarium per absolutionem in causam attracti in favorem ejus judicaret, Leges sequi deberet, quas tamen impugnare modo etiam non cessaret, atque eo minus in Foro Sacro observaret.

Quod si vero contra expressum legis tenorem convinceret, liberum Religionis exercitium turbaret, ac per hoc obligationi et justitiae legali, necessario atque inevitabiliter contraveniret.

XVI. Et quia Ven. Clerus Evangelicos Ministros duntaxat pro Laicis reputat, ideo respectu functionum Ministerii instar Clericorum suorum nec in jus attrahere nec judicare eosdem potest. Unde aeque patet quod Ministri Evangelicorum in Spiritualibus Superintendentium suorum, in profanis autem Magistratus Politici Jurisdictioni subesse debeant. Haud absimiliter

XVII. Quos Venerab. Clerus Canonibus suis damnatos a communione sua Spirituali exclusos nec Ecclesiae suae membra esse profiteretur in eos Jurisdictionem Ecclesiasticam exercere non posset, prouti etenim qui non essent de Republica Hollandorum, illi nec legibus ac jurisdictioni eorundem subessent, recte huc Regula Juris 170 concurrente: F a c t u m a J u d i c e q u o d a d o f f i c i u m e j u s n o n p e r t i n e r e t r a t u m h a u d e s t. Evidens autem est Sacras Sedes Romano-Catholicas nec Jurisdictionem nec judicatum Evangelicos habere, nec ad officium eorundem pertinere Ministros Evangelicos variis sub praetextibus contra Leges citare, dum et alioquin facta contra Leges per se irrita forent.

XVIII. Si quispiam ordinariam Jurisdictionem in aliquem praetendit, Lege et constitutione publica id legitimare deberet. Secus ubi judicatus praetensus Lege vel ratione legali non stabiliretur, sed contra Leges et rationem sumeretur. Processus illegitimus per seque nullus de communi omnium Jurium dictamine redderetur, et per similes illegales Judices Justitiae potius vis inferretur, quam ea promoveretur. Ven. Clerus autem nulla Lege nulla ratione in Evangelicos eorundem Ministros praetensi Judicatus sui competentiam evincere valeret. Sola enim citatio manifeste incompetentis Judicis, praetensam ejusdem incompetentem Jurisdictionem non legitimaret, at hinc citati per Sacras Sedes Romano-Catholicas Evangelici, ibidem non comparentes, nec contumaciae argui, nec poenis obnoxii reddi legitime possent. Processus autem illegitimos virtute Diplomatis Regii tollere et non admittere Regii semper muneris foret.

XIX. Leges per Ven. Clerum citatae utpote Uladisl. Decret. 1. Art. XXXI. et reliqui ante Pacificationem Viennensem de Foro Sacrarum Sedium conditi non obstarent Evangelicis, quia si iidem et respectu Evangelicorum valere deberent in Pacificatione Art. Primo: P r o n o n o b s t a n t i b u s d e c l a r a t i non fuissent. Imo non solum ulli Evangelicorum Religionem sponte ac benevole amplecti liberum fuisset, sed etiam omnes Evangelici, qua contumeliose per Ven. Clerum praetensi

Heretici et Foro Sacrae Sedis et poenis in eosdem Evangelicos destinandis, subjecti obnoxiique reddi debuissent, et semper taliter habiti fuissent. Quod Pacificationis Articulus Primus (Qui neminem Regnicolarum in Confessione et Religione nusquam et nunquam, sive per Regiam Majestatem, sive per alios, adeoque et per Venerabilem Clerum, turbandum aut impediendum permitteret) et aliis eandem Pacificationem Viennensem subsequentibus Legibus, de negotio Religionis conditis adversaretur. Legalis enim in negotio Religionis libertas et praetensa competentia Jurisdictionis Sacrarum Sedium Romano-Catholicarum in Evangelicos ad invicem subsistere nequirent, ac hinc quae inter se natura essent contradictoria ea nec intelligi nec admitti valerent. Ac denique

XX. Quod quia etiam respectu Catholicorum vix aliqua causarum in Art. per Ven. Clerum citatis denotata reperiatur, quae Judicatum competentem Fori Spiritualis recognosceret confirmare, id Artic. XV an. MDCCXV ergo tanto minus veteres illae Leges contra Evangelicos allegari possent.

Hinc quoniam Leges praetensam hujusmodi in Evangelicos Jurisdictionem Sacris Sedibus Romano-Catholicis non tribuunt, usus vero ex Lege eo minus probari potest, quod et nunc potiori in parte Regni Hungariae, Jure et usu Jurisdictionis Ecclesiasticae gaudeant, Superintendentes Evangelici, quin imo unum vel aliud ex errore, ac ut plurimum violentum factum praetensae Jurisdictionis in Evangelicos usum non probaret. Quin potius, quia secundum praecitatam Regulam 170: Factum a Judice, quod ad ejus officium non pertineret ratum haud est. Evidens autem et luculentum esset, quod neque Judicatus in Evangelicis Sacris Sedibus competit, neque ad eorumdem officium pertineret, ut Ministri Evangelicorum variis sub praetextibus contra Leges citentur, incarcerentur, mulctentur ac divexentur, ideirco facta ejusmodi irrita ac ipso jure nulla forent. Quin imo

Nullibi praeterea locorum ubi Religio Evangelica recepta est Evangelicorum Ministros vel eorum Auditores Ven. Cleri Romano-Catholici Foro subjacere atque Jurisdictioni Superiorum alterius Religionis quam suae subesse ipsa testaretur communis experientia.

Finaliter praetensae etiam Apostasiae causam, seu crimen in puncto liberae receptarum Religionum professionis, quod Foro Sacrae Sedis non competat, probatur.

1. Quia cuivis in Regno sponte ac benevole acceptare Religionem Evangelicam liceret, virtute Articuli primi anni 1608 quo ipso neque contumeliosum nomen Apostasiae Evangelicam Religionem sponte ac benevole acceptantibus legaliter objici valeret. Aliunde Art. 3io Matth. Regis Decret. Primi per Pacificationem Viennensem et subsequentes in negotio Religionis conditos Articulos sublato existente. Hinc

2. Ut religionem Evangelicam juxta eundem Articulum primum 1608 per XXV confirmatum sponte acceptare volentibus liberum sit, et e converso sponte acceptantes ut qua praetensi Apostatae Jure in Foro Sacrae Sedis conveniantur ac poenae obnoxii reddantur duo contradictoria forent: unde quia verum prius, per se tollitur posterius.

3. Quod Lex indulget, imo sancit, illud crimen non inducit, ac ideo ubi nulla Legis spontaneam Religionis acceptationem contraventio, ibi nulla culpa ac consequenter poena subsequi valeret. Tantoque minus

4. Quod Evangelici neminem ad Religionem violentis mediis cogerent, nec id profiteretur, ut quis doctrinae causa et ad Religionem Evangelicam acceptandam, vi humana vel brachio Seculari compelleretur. Quamobrem

5. Licet occasione ultimariae Poson. Diaetae, mutationem Religionis, seu spontaneam ac benevolam receptarum in Regno Religionum acceptationem Ven. Clerus poenalem esse voluerit, nihilominus tamen diaetaliter etiam illegale hujusmodi postulatum admissum nequaquam exstitit. Quin potius per Majestatem Vestr. Sacratissimam Articuli Soproniens. et Posoniens. ibidemque citati: Omnibus et ubique liberum Religionis exercitium, satis diserte ac per expressum declarantes ac pronunciantes in genuino suo sensu sunt clementissime confirmati. Et quidem tanto magis

6. Si quidem exosissimum Apostatarum nomen in eos qui Evangelicam, hoc est Christianam Religionem profitendam amplectuntur penitus non caderet, multo minus quadraret, quippe quod iis ipsum insolitum fuerat qui agnitam semel veritatem Christianam abnegantes ad Gentilismum deficiebant. Id quod exemplo Juliani Apostatae palam constat, et ex Historia Ecclesiastica ejusdem cultoribus apprime notum est.

Cum ergo virtute praecitati Articuli primi an. 1608 ante Coronationem ut quaelibet Religio suae Professionis Superiores seu Superintendentes habeat, diaetaliter statutum habeatur, hoc ipso publicae Legis beneficio mediante, Superintendentes Evangelicorum utriusque Confessionis, omnia illa Munia, quae de natura officii et professionis suae pro ritu Religionis Evangelicae in regendis et ordinandis Ecclesiis Evangelicis eorundemque Ministris, ac quibusvis casibus Eccelesiasticis, muneri auctoritati et Jurisdictioni eorundem incumbunt, atque competunt, jam ab aevo unius et medii seculi exercuerunt. Non absimiliter in causis quoque Matrimonialibus non tantum vigore praecitati Articuli primi an. 1608, sed etiam eundem subsequentis et simul stabilientis Articuli XV an. 1647 Jus dicendi Foraque seu Sedes Spirituales celebrandi in gradibus prohibitis dispensandi, Divortia in casibus apud Augustanam et Helveticam Confessiones consistorialiter usu receptis pronunciandi, usum non solum a temporibus receptae in anno 1606 Religionis, verum etiam adhuc ante tempora Pacificationis Viennensis notabili annorum serie habebant. Nec

tamen tali fine prout videlicet occurrentium casuum et causarum qualitas requirebat, Ministrorum cum Superintendentibus, Consistoriales congregationes, seu concursus inducere ac instituere libere semper ac licite potuerint.

Visitationes Ecclesiarum sibi subjectarum peregerint, et tam in personas Ecclesiasticas, quam Seculares de suo ovili, Jurisdictionem vi muneris sibimet propriam usurpaverint, ac denique in praemissis, ac id genus similibus functionibus usum realem in magna Regni parte, hucusque continuant, eademque per Legem publicam concessa facultate exercendi perfruuntur. Hinc ubicunque et quotiescunque Superiores seu Superintendentes Evangelicorum utriusque confessionis in usu Jurisdictionis suae circa Ecclesias suas, Praedicantes Jura et personas Evangelicas pro diversitate casuum, sive in causis Matrimonialibus, sive aliis Ecclesiasticarum causarum occurrentiis, sive a Sacris Sedibus Romano-Catholicis, sive (Titt.) Dominis Praelatis, Vicariis, Archidiaconis et Plebanis, imo etiam Secularibus prout ex specie factorum cuncta circumstantialiter patent. Satis graviter turbari, Ministrorum necessarii in Ecclesiasticis concursus impediti, Ecclesiae Evangelicorum per Superiores Religionis Romano-Catholicae visitatae, Ministri examinati, iisdem leges seu regulae contra Professionem Religionis suae et vocationem muneris ad observandum praescriptae.

Non secus ubi non minus Superintendentes, quam eorundem Ministri, nec non Seculares Evangelici, in causis et negotiis liberam Religionis suae Professionem et conscientiam cum usu ministerialium functionum et exercitii, quoquo modo concernentibus; imo ii quoque qui motu proprio et interno libertatis conscientiae ductu Evangelicam sponte et benevole amplectuntur Religionem, ad Sacras Sedes citati in jus attrahebantur, ibidem aggravabantur, alii mulctis pecuniariis, alii poenis corporalibus afficiebantur, carcerum squalore macerabantur, alii Praedicantium seposito, judiciaria deliberatione mediante, benigno Inhibitorio Declinatorio Mandato in notalibi summa convincebantur. Libri Praedicantium, qua potissima eorum rei domesticae substantia in executionem sumebantur, iis vero insufficientibus Nobilium Evangelicorum qua Patronorum aeque executioni subjiciebantur. Non secus Seculares Evangelici jam ob intertentionem Ministrorum et exercitium Religionis in curiis peractum, jam ob praetensam blasphemiam vi Articuli XLVII an. 1563 revisioni et judicio Seculari subjectam, jam propter librorum Sacrorum pro se vel etiam aliis praesentibus lectionem et continuatam in aedibus propriis devotionem, jam propter demortui cujuspiam per Ludimagistrum Religionis suae institutam sepulturam, et alios id genus spinosos praetextus, sub specie exercendae legalis Jurisdictionis et administrandae Justitiae citati, si vexam amicabili transactione non redemerunt, convincebantur,

et nimium quantum onerosae ejusmodi convictiones judiciariae interdum etiam mille et ultra florenorum judicialiter desumebantur taliterque nonnulli pauperiores ad extremum damnificati fere omnibus privabantur, alii vero per iteratas ejusmodi citationes nunc sumptibus nunc inquietudine defatigabantur. quod haec et similia in specie factorum pro illustratione uberius deducta abusus et contraventiones Articuli XXV et per eum confirmatorum sit legaliter comperimus.

Ac proinde ut vigore supra citatarum legum et signanter Articuli Primi an. 1608 et XXV anni 1647 Superiorum seu Superintendentium circa gubernanda Sacra. Ministros Ecclesiae, eorundemque beneficia. Jura et Personas Evangelicas pro diversitate casuum sive in causis Matrimonialibus in Jure. vi Consistorialium legum et Canonum respectu Evangelicorum Divortia pronunciandi et in gradibus disponendi, sive aliis quibusvis Ecclesiasticarum causarum occurrentiis; iisdem de Lege Religionis et Professionis muneri propria jam ab olim introducta Jurisdictio, disciplina et authoritas, ulterius quoque exercenda a modo imposterum, sive a parte Ven. Cleri, sive per Dominos Seculares Catholicos, non impediatur quin potius restabiliatur. Visitationes Ecclesiarum Evangelicarum per Illustriss. ac Reverendissimos Dominos Praelatos et Archidiaconos in praejudicium Superintendentium potissimum recenter practicari coeptae non admittantur. Concursus pro ordinandis et disponendis rebus Ecclesiasticis et revidendis decidendisque causis per Superiores et Seniores Ministrorum passim usque ad nefariam Revolutionem Rahotzianam imperturbate practicati non prohibeantur, sed usus et cursus ubi et in quantum hactenus impeditus est, reassummendus permittatur. Citationes ad Sacras Sedes Romano-Catholicas. excommunicationes, convictiones pecuniariae. executiones incarcerationes. sive Ecclesiasticarum sive Secularium Personarum Evangelicarum. in iis quae negotium Religionis ejusdemque usum ac professionem in conscientia liberam. nec non Ministerialium functionum munia, earundemque accessoria. praesertim sub praetextu violatae Parochialis Jurisdictionis. aut alio quocunque tandem modo et ex qualicunque causa concernerent. pro exigentia Legum suprema Majestatis Vestrae Sacratissimae authoritate Regia. positive ac per expressum inhibeantur. et commode praepediantur. Per illegales ejusmodi Sacrarum Sedium convictiones damnificati in integrum restituantur. causae improcessuatae ac sententiae nondum executioni datae cassentur. Matrimonia contrahentes et jam semel per Praedicantes copulati Evangelici ea propter non mulctentur. Multo minus post evolutionem unius anni per Dominum Plebanum, prouti non ita pridem factum. noviter copulentur. Religionem Evangelicam sponte ac libere acceptantes. ideo neque per Sacras Sedes, neque Dominos Terrestres aut Magistratus Seculares. sive corporalibus. sive pecuniariis poenis afficiantur; imo ea de causa in captivitate con-

stituti si adhuc detinerentur libere dimittantur, ac jam tandem hoc modo Fidelibus Majestatis Vestr. Sacrat. subditis Evangelicis, diu desiderata animorum quies et conscientiarum tranquillitas reducatur, ac quaevis denique (ut lex loquitur) dissensiones et odia inter Status et Ordines praecaveantur, neque amplius pro diversitate receptarum in Regno Religionum publica Divorum Regum et Regni authoritate introductae Jurisdictiones Ecclesiasticae convellantur, atque confundantur. Sed prout Religiones ad invicem et confessionum dogmatibus et ritu, modo atque forma in Ecclesiasticis diversae et distinctae sint, ita etiam in Juribus suis et consueta longissimi usus jurisdictione clementissime manuteneantur, demisse censemus. Et quidem tanto efficacius, quanto nihil certius, quod nisi hoc in passu circa praemissa omnia legalia Majestas Vestr. Sacratissima seria Regiae authoritatis plenitudine cum animadversione efficaci benignissime obviare dignata fuerit; omnibus quotidianarum afflictionum et oppressionum injuriis afficiendi, vexandi, damnificandi, imo acerbius quam hactenus Evangelicos persequendi, atque hoc modo internam Pacem domesticam perturbandi, longe lateque patens via aperta manebit.

PUNCTUM QUINTUM.

De Jure in quibusvis casuum necessitatibus quovis loco libere profitendi et exercendi per Praedicantes Evangelicos Ministerialia functionum suarum munia. cassatis eatenus etiam ipsorum Reversalibus.

Ex verbis Articuli XXV:

„Praedicantibus quoque et scholarum Magistris, alias vel proscriptis vel propter certas Reversales munia suae Professionis exercere non valentibus liber in Regnum regressus, liberaque suae Religionis Professio et exercitium cassatis etiam eatenus ipsorum Reversalibus conceditur,"

sequitur Gravamen Evangelicorum:

Quod contra mentem Legum expressam, a multis Ecclesiae Evangelicae Ministris et nostro tempore Reversales denuo sunt extortae, et non solum ab Ecclesiis quibus praeerant amoti, sed etiam in nonnullis locis integro territorio prohibiti, alibi etsi nec loco pulsi. nec ministerio re-

nunciare coacti Praedicantes, aegrotos tamen et captivos visitare, eis opera Spirituali adesse, ad supplicia comitari vetantur, in quibusdam civitatibus ne quidem intra moenia ad suae professionis homines morituros solatio et ope eorundem egentes ministerialium munerum peragendorum causa admittuntur. Alibi si vel privatarum rerum suarum causa intraverint civitatem, noctem ibi agere non permittitur. Praeterea proles ex diversae Religionis matrimoniis progenitas pro parentum arbitrio baptizare, personas diversae Religionis, vel etsi unius sint, sed sponsus in Catholicorum degat loco Parochiali, copulare Evangelicos Ministros prohibent, ac si hoc et simili in passu ministerialia munia peregerint, ad Sacram Sedem citant, comparere nequeuntes vel intermittentes, ut supra attactum, poenas destinant. Ita agitur cum Ministris Evangelicis Templorum suorum munia peragentibus, sed longe durius tractantur iidem, ubi extra loca Residentiarum suarum etiam pro nobilibus personis et eorum Familia domestica pro ratione summae necessitatis, ut Puerperii, Matrimonii, Articuli mortis, ac aliorum consimilium casuum eos invitari et ire contingat.

Praeterea in locis etiam in Articulo specifice nominatis praesertim in civitatibus Praedicantes ad certum numerum et alicubi unum, alicubi duos restringuntur, nec plures iisdem interteneri permittuntur.

Ad quae ex parte Ven. Cleri replicabatur:

Quod Loca duntaxat Articularia sint Ministros intertenendi capacia, alia vero nequaquam.

Supponeretur autem in locis Articularibus nullas datas esse Reversales nisi et ibi plures quam numero deberent esse, interteneri attententur, quia id Explanationibus Commissariorum executionibus et benignis 1714 anni Patentibus vetitum esset.

Ac ideo bene poterant reversionari, tanto magis si extra loca articularia exercere praesumpserint, quia Reversalium cassatio illis duntaxat suffragaretur, qui non contraveniunt Articulis et Explanationibus a paritate axiomatis: Juris beneficium non meretur, qui contra Legem committit. Adeoque iis qui a libero exercitio desistere nolunt, aditus Territoriorum Jure Dominii Terrestris, vel auctoritate magistratuali, ipsis praecludi potest.

Quod aegrotos ac captivos visitare, ad supplicia comitari non permittantur Ministri Evangelici. Quoad aegrotos si tales sint in loco articulari et Evangelicae Religionis negat Ven. Clerus suppositum, quod prohibeantur Ministri ipsos accedere, nisi ubi autoritas Regia secus demandasset.

Captivi esto etiam Evangelici, quia tamen ita reputantur ut extranei, id est, tanquam extra loca articularia constituti essent, et quamvis in talibus civitatibus ubi exercitium Evangelicis concessum esset verum

non essent sub Jurisdictione Ministrorum, sed Magistratus qui supponitur habere Plebanum Catholicum.

In Civitatibus autem non articularibus Ministros nec intra nec extra moenia functiones suas peragere posse, in articularibus autem non nisi in suburbiis functiones ministerii sui peragendi facultatem habere, ac ideo etiam ne intra moenia civitatum pernoctent, prohiberi posse, periculum quippe est, ne civitates intrantes Ministri Evangelici munia sua exerceant.

Si Proles ex diversae Religionis Matrimonio progenitae per Plebanos Catholicos baptizarentur, vel personae diversae Religionis Matrimonium contrahentes copulentur id Catholicae Religionis excellentiae tribuendum esse, adeo hic quoque debere operari authoritatem Catholicam.

Vetitum porro esse Explanationibus extra loca articularia etiam in domibus Nobilium Ministris functiones administrare, ac ideo ad domos Nobilium excurrentes durius tractari posse, ac omni quo fieri potest modo arceri debere.

Quibus cum Evangelicorum Gravamine ac utriusque Partis Replicis et Contra-Replicis confrontatis et combinatis accurateque pensitatis, si quidem

I. Superius ad Punctum Primum luculenter patet, quod per Articulum XXV an. 1687 in eodem renovatum Art. 1 an. 1608 ante Coronationem editum, omnibus et ubique per Regnum Civitatibus oppidis et villis Religionem Evangelicam sponte et libere acceptare volentibus est concessum et consequenter totum Regnum et in ea contenta loca Religionem Evangelicam sponte ac libere acceptare volentia, sed respectu liberi exercitii articularia.

II. Nec ulla lex datur quae Ministros intertenendi, aut aliunde inducendi facultatem ademisset. Quin imo

III. Reversales per Artic. XXIV 1681 generaliter cassatae et annullatae haberentur, ac ideo respectu hujus duntaxat vel illius loci particularis cassatae esse, respectu reliquorum vero in Regno locorum vigorem suum retinere non possint.

IV. Quae autem generaliter lege damnatae et cassatae sunt citra labefactationem Legis publicam a nemine invito extorqueri possunt, extortae autem ipso jure dignoscuntur pro nullis, nam vim secus legibus inferri posse inevitabiliter consequeretur, quod et reipsa fieret, dum Ministri Evangelici, ab administratione muniorum, quorum libertatis causa Reversales articulariter cassatae sint prohibentur.

V. Resolutiones 1691 tanquam genuino articulorum Soproniensium sensui difformes pro Explanationibus articularibus censeri non posse in prioribus remonstratum est. Sed et

VI. Articulis revera contra it ille, qui articulariter omnibus et ubique

per Regnum civitatibus Regni, Statibus et Ordinibus, oppidis et villis concessum liberum Religionis exercitium vi Articulorum, nullo modo aut praetextu turbandum aut impediendum, diversis et fere omnibus excogitatis modis et mediis turbare et impedire non dubitat, non vero is, qui juxta concessionem et indultum publicae Legis jure liberi exercitii utitur, ac taliter Juris beneficio fruendo, cum per se Lex justa sit, eo ipso nemini infert, neque stante Lege inferre potest injuriam. Et hinc

VII. Cum pateat ex Artic. XXV an. 1681 veluti liberum exercitium omnibus et ubique per Regnum concessum, ita in eodem Articuli contextu praedicantibus quoque munia Professionis suae exercendi facultatem restitutam haberi. Quod autem lex concessit, id stante Lege, neque vetari, neque pro illicito reputari potest. Nam

VIII. Lex tanquam universaliter liberum exercitium concedens, idem nullis circumscripsit limitibus, quos Ministri Evangelici sive in Privatis negotiis itinerantes, sive ad infirmos Religioni suae addictos vocati, necessaria ministerii munia iisdem impertientes transgredi argui, ac ideo aditu civitatum vel territoriorum adeo contumeliose prohiberi possent.

IX. Cum aliunde probari haud potest vel unquam legibus Regni Dominis Terrestribus et Magistratibus eam concessam fuisse auctoritatem; qua vilissimos etiam hominum itinerantes, priusquam sceleris cujuspiam consueto Juris ordine convincantur aditu territoriorum prohibere liceret, multo minus ergo Evangelicos Ministros, adeo contumeliose arcere fas esset.

X. Sive in locis Templorum sive aliis quibuscunque suae Religionis aegrotos visitare .operaque Spirituali adesse Ministris nulla lege prohibitum haberetur. Nam

XI. Si in locis duntaxat Templorum, et quidem praecise iis, quae Ven. Clerus loca articularia vocat infirmos visitare liberum esset, in multis Regni Comitatibus, ubi bina solummodo Templa possident Evangelici, vix centesima Evangelicorum pars extremae hujus consolationis et in administranda Sacra Domini Coena, necessariae Ministrorum functionis particeps efficeretur. E conversove multa Evangelicorum millia extremam Ministrorum suorum operam extreme anhelantia communi Legis et Libertatis Evangelicorum beneficio frustrarentur.

XII. Quin imo Magnatum quoque extra loca Templorum residentium sors longe infelicior et angustior redderetur quam rusticorum, adeoque propriorum etiam eorundem subditorum in villis Templa habentibus commorantium, si extra loca Templorum aegrotos visitare Ministris vetaretur.

XIII. Articulus XXV an. 1681 statuit: Ut nullus Regnicolarum in libero Religionis suae exercitio, quoquo modo turbetur aut impediatur. Sed maxima fere omnium ea turbatio et impedimentum est, dum aegro-

tis et agonizantibus Evangelicis usus Sacrae Domini Coenae, eorumque in agone opera Ministri Religionis suae adaugendae solummodo afflictionis causa non permittitur.

XIV. Quod ipsum nec ipse Ven. Clerus aut ullus e dominis Catholicis diffiteri quiret, quam peracerbum accidat in extremo mortis articulo constitutis consolatione Spirituali privari, si cuipiam Catholico opera Sacerdotis Romano-Catholici uti non permitteretur. Ac ideo

XV. Cum justitiae et aequitati nihil magis congruum sit, quam ut de lege naturae, quod sibi quis fieri nolit, alteri ne fecerit, tunc in confirmitate ejusdem axiomatis,

XVI. Non abs re Articulus XXVI an. 1681 sancitum est, ut expost nullae liberi exercitii turbationes ab utrinque (scilicet tam per Evangelicos contra Catholicos, quam per Catholicos contra Evangelicos,) sub poena ibidem declarata fiant. Quapropter justum quoque est, ut quemadmodum Evangelici liberum Catholicorum exercitium non turbant, neque Sacerdotes Romano-Catholicos circa impertienda Catholicis ministerii eorundem munia quoquo modo impediunt, ita reciproce Evangelici per Catholicos nullo sub praetextu turbentur aut impediantur. Quod si vero penes expeditiones benignorum Mandatorum in libero exercitii et Functionum Ministerialium usu juxta suppositum Ven. Cleri turbari possent Evangelici, hac ratione Leges de libero Religionis exercitio Evangelicorum et usu contra publicam Pacificationum Fidem et Sacra Regiorum Diplomatum monumenta conditae ac suprema authoritate Regia diaetaliter firmatae, nullam securitatem praestarent Evangelicis. Cum Ven. Clerus virtute expeditionis benignorum Mandatorum, visitationem aegrorum ubique, imo etiam in locis Evangelicorum Templorum impedire posse statuat. Quamvis ipse Ven. Clerus penes benigna Mandata nil in juribus praejudicare et de bonis suis sibi adimi permittat, imo legitimis etiam benignis Mandatis declinatoriis sub poena amissionis officii et beneficiorum et de lege observandis ad instantiam vel maxime Evangelicorum clementer emanatis, vix aliquando Sacrae Sedis Romano-Catholicae obsequi consuevissent.

XVII. Captivi sive iidem qua extranei, sive alias considerentur, nulla attamen justa et legitima ratione necessaria Ministrorum Religionis suae opera frustrari possunt; nulla etinim lex prohibuit Ministris Evangelicis captivis quoque opera sua Spirituali adesse. Et alias quod si quidem Articuli omnibus et ubique per Regnum civitatibus oppidis et villis liberum reliquorum suae Religionis exercitium, ideo quod in Regno loca articularia respectu liberi exercitii non dentur ex praemissis in specie ad Punctum Septimum patet.

XVIII. Et quemadmodum captivos sub jurisdictione Magistratus quoad corporalia duntaxat existere, ita in Spiritualibus vi liberae Professionis,

de vita Religionis suae, eo ipso non alterius verum suorum Pastorum et Ministrorum Jurisdictioni subesse certum est; quorum opera et consolatione eosdem privare incongruum et plane illegale fiet, nulla namque lex hoc praescribit, vel permittit, ut afflictis captivis tanta addatur afflictio, qui non modo corporali poena puniantur, verum Ministrorum quoque suorum extrema opera priventur, et destituantur, secus contra tenorem Articulorum Sopronięnsium non esset libera semper unicuique Religionis suae Professio.

XIX. Quoad civitates vero, quod pro aedificatione Templorum Parochiarumque et Scholarum loca in suburbiis Civitatum per Artic. XXVI fuit nominata et excissa per hoc universalitati omnibus et ubique concessi liberi Religionis exercitii, sive idem intra sive extra moenia pro ratione casuum necessitatis peragatur derogari nequit. Nam etsi intuitu aedificandorum Templorum in nonnullis Comitatibus et Civitatibus certa loca fiunt denominata respectu liberi attamen exercitii et Functionum Ministerialium totum Regnum est articulare, neque omnia Ministerialia munia ad locum Templi seu oratorii sint ita restricta restringibilia ut non possint aut nec debeant pro necessitate intervenientium casuum etiam erga eos, qui intra civitatem degunt exerceri, cum is sit usus et finis liberi Religionis exercitii, ut Praedicantes Ministerii sui functiones, toties quoties necessum fuerit libere exercere possint, sola commoditate aedificandorum Templorum, seu oratoriorum, in quibus pro ritu Religionis Evangelicae commodius solemnia Sacrorum peragantur et administrentur, ad suburbia restricta existente. Priorum vero Commissionum acta ad normam potius legum, et non inverso rerum ordine, leges ad normam Commissionalium Actorum, Commissionis hujus examinis subjacere, neque functiones Ministrorum contra legalem Religionis libertatem, et continuatum plus quam a seculo usum restringi posse evidens est. Ac proinde

XX. Dum Ministri Evangelici Professionis suae Munia tanquam per Art. XXV et in eodem citatos omnibus et ubique Regnum libere peragunt, id ipsum tanquam manifesta articularis et legalis receptae Religionis libertas, pro periculo obverti nequit, nisi omnes legales concessiones et libertates pro periculosis contra omnium Legum principia censeri possint.

XXI. Ad haec plurimi Ministrorum domos proprias etiam intra moenia civitatum possident, quarum commoditatis et inhabitationis beneficio privari non possunt cum ex Regula Juris 103: N e m o d e d o m o s u a i n v i t u s e x t r a h i d e b e t. Quin imo

XXII. Si quidem ab ejusmodi domibus obvenientia onera ferunt, cum in publicam proportionate contribuunt, Jure naturae, juxta itidem Regulam Juris decimam: a e q u u m e s t, u t q u o s s e q u u n t u r p r o p r i a r u m D o m o r u m i n c o m m o d a, e o s d e m c o m m o d a q u o q u e s e q u e r e n t u r.

XXIII. Respectu copularum diversae Religionis Personarum, prouti et baptismatum Prolium ex simili matrimonio susceptarum, si quidem non minus in Regno haereditarii essent Regnicolae et incolae Evangelici ac Romano-Catholici, nec ulla Lex daretur, quae contra liberam voluntatem, et arbitrium similium diversae Religionis Personarum, matrimonium contrahentium copulas et prolium baptismata soli Religioni Romano-Catholicae deferret ac tribueret, aut arbitrium Parentum hoc in passu excluderet. Quin imo

XXIV. Si virtute Articuli primi an. 1608 ante Coronationem editi, etiam Religionem Evangelicam sponte ac libere acceptare volentibus liberum est, multo minus ejusmodi diversae Religionis personis sive in copulando, sive in baptizando ejusdem, cujus sponte voluerint opera et Ministerio uti legitime vetari potest, nam de Regula Juris XXI: Cui quod majus est licet, non debet quod minus est non licere.

XXV. Quod denique Nobilibus tanquam alias etiam sensu Articuli 1 an. 1608 post Coronationem editi, tertium Regni statum constituentibus vi Articulorum 1. an. 1606 et itidem I. an. 1608 concessum sit liberum Religionis exercitium tum in praemisso jam in ordine primo Puncto clare pateret; tum vero inferius decimo octavo Puncto de oratoriis Magnatum et Nobilium sonante, ubi eo deventum fuerit, uberius adhuc elucescet. Quare nec rustici multo minus nobiles in casibus necessitatis opera Ministrorum legitime frustrari possint. Resolutiones 1691 et 1714 Patentes pro Explanationibus genuini Artic. Sopron. sensus, quia eundem non explanant sed eversive perimunt, censeri non possunt, praeliminii loco remonstratum habetur.

XXVI. Demum ut Ministri Evangelici ad certum numerum restringantur, id verbis articularibus, quae irrestrictam redeundi et munia suae professionis peragendi Ministris facultatem generaliter concesserunt, nec quicquam de restringendo Ministrorum numero expresserunt. Quippe hoc ipsum principiis et ipsi naturae libere exercendi ubivis de lege, omnibus et ubique concessi liberi Religionis exercitii ita adversatur. Ut

XXVII. Sive Articularis libertas Religionis liberi exercitii, sive enata inde accessoriorum necessitas consideretur, plurium Ministrorum intertentio impediri non potest, illa enim ad rem jus dat, hoc vero circa jus prouti ratio rei postulat, libere disponit, disponereque potest: Accessorium enim a Principali dependet. Porro

XXVIII. Quod alicui in favorem et commodum concessum, id in aggravium et detrimentum ejusdem trahi non debet. Ac

XXIX. Si virtute Regulae Juris 122: Libertas omnibus rebus favorabilior esset, adeo ut sensu alterius Regulae 22: Quoties dubia etiam interpretatio libertatis est, secundum libertatem respondendum foret, tanto evidentius ubi Ministrorum in exer-

cendis professionis suae muniis libertas ex lege sat clare liqueret, eidem praejudicium quodpiam inferri eandemque constringere, integrum haud esset.

XXX. Aliunde an unius vel duorum aut plurium Praedicantium operam necessitas Sacrorum apud Evangelicos exposcat, nemini melius quam iisdem, quorum privatis mediis et non e fundationibus et Magnorum beneficiorum proventibus Praedicantes sustentantur, constat et constare potest. Quorum privatorum mediorum egestas et penuria si paulo penitius consideretur eo facto deprehenditur, quod non praetendatur ultra et superfluus sed ad necessitatem numerus sufficiens, et hoc modo tam respectu Sacrorum, quam respectu communitatum. Quorum necessitas et legem et numerum ponit.

Hinc quoniam ex specie factorum ad hocce Punctum 5. tum reductorum et applicatorum longe adhuc graviora, quamque in supra scripto generali Gravamine continentur, elucescunt. Nam alibi Superintendentes et Ministri Evangelici in publico Foro incaptivati, alibi integro Comitatu exterminati, et absque Juris ordine quasi proscripti, alii in itinere partim per Plebanos, partim vero alios Romano-Catholicos graviter in via libera verberati. Scholarum vero studiosi et mendicantes apud Patronos suos Evangelicos cum cantu eleemosynam implorantes arestati et ferme lethaliter baculorum plagis concussi. Alibi Ministri Evangelici publicorum malefactorum instar restibus constricti ac penes equum adducti, seu potius raptati. Alibi in Parochia etiam benignis Majestatis Vestrae Sacrat. Protectionalibus munita, violenter comprehensi, et immaniter verberati, imo interdum substantia eorundum per milites ad id ordinatos direpta et in praedam conversa, alii Ministrorum Evangelicorum diris carcerum squaloribus afflicti. Unius Parochia intempesta nocte hostiliter circumdata admotis simul undiquaque ignibus non sine horrendo et detestando apud Christianos exemplo funditus combusta. Alius Ministrorum medio Hajdonum palo alligatus dirissime cruciatus et verberatus. Alibi per numerosos armatos Equites et Pedites comitantes aeque nocturno tempore ejaculatione sclopi, quasi signo insultus dato, in et ad Possessiones nobilitares irruentes non modo Ministri Evangelici ac Ludimagistri, verum Nobiles etiam ejusdem Possessionis Domini Terrestres sclopetorum ictibus petiti, et cum enormi etiam Nobilitatis praerogativae laesione crudeliter colligati ad carceres adducti, ferreis compedibus constricti, ac tribus aut quatuor hebdomadibus detenti, nec secus quam statutis pro se obsidibus datisque mille florenorum Reversalibus dimissi. In nonnullis liberis Regiisque Civitatibus si quidem intra moenia aegrotis opera Ministrorum suorum uti non permittitur, aegroti usum Sacrae Domini Coenae anhelantes, cum extrema salutis jactura semet ad suburbia in lectis vel sellis efferendos curare coguntur, adeo ut quibus plerumque etiam spes recuperandae

salutis esset, hac ratione tamen debilitari, cum nonnulli ad Suburbium de domo sua efferebantur, aut exinde referebantur expirasse non sine sensibili Christianorum compassione cernebantur.

In liberis Regiis ac etiam Montanis Civitatibus per Commissiones Camerales pro Restauratione Magistratuali contra Patrias Leges in manifestum totius Quarti praejudicium et aggravium, imo contra expressum etiam tenorem Articuli XXXVI ultimae Diaetae an. 1715 hactenus expeditas jam praetextu instructionis Regiae jam sub specie benignae voluntatis Vestrae Majestatis Sacratissimae, jam sub titulo Regiae authoritatis, mediantibus decretaliter scripto extradatis Commissionalibus dispositionibus, negotium Religionis ac si neque publicum neque Legibus Regni et diaetalibus conclusionibus firmatum foret, ut semper magis ac magis coarctetur. Vel Praedicantes Evangelici infra XXIV horas prout Carponae factum amoverentur, vel numerus eorundem restringitur, vel functiones de jure et usu liberi Religionis exercitii libere multifariam (sicuti ex specie factorum videre licet et sic brevitatis causa praetermittitur) circumscribuntur, et ne iisdem Sacrorum causa eo ex vicinis et conterminis locis advenientes Religioni suae addictos ad Templum admittant, prohibentur a Promulgationibus, Copulis, Baptismatibus, et Introductionibus erga diversae Religionis Personas, quamvis iisdem sic volentibus peragendis, nihilominus inhibentur sub comminatione citationis ad Sacram Sedem, ut contra dictamen conscientiae et muneris sui contra professionem advenientes ex Pagis a communione Sacrorum et usu Sacrae Coenae repellant. A Dominis Plebanis inpositive praetenditur Xenodochia intrare ibidem et in carceribus publicis existentes Religionis praesertim aegrotos visitare, Sacram Coenam iisdem administrare ad suppliciaque comitari interdicitur.

Ac proinde ne imposterum, sive de non peragendo libero Religionis exercitio, a Ministris aut quibusvis tandem Evangelicis Reversales extorqueantur, extortae vero tanquam aliunde ipso jure nullae, omnino pro nullis ac invigorosis habeantur. Ministri vero sive privatorum causa profecti, sive per Religioni suae addictos vel maxime infirmos, aut alios quosvis necessaria earundem opera ministerii indigentes eum in finem vocati aut invitati, aut ab aditu quorumvis territoriorum, civitatum, oppidorum et villarum aut a commoratione et pernoctatione, aut denique ab impertiendis pro iis qui egent et anhelant necessariis eorundem Ministerialium functionum muniis, ne arceantur impediantur et inhibeantur intra moenia civitatis habitare, ac simul etiam ibidem aegrotos Evangelicos et captivos visitare, nec non ad supplicia comitari permittantur. Praedicantium intertentio, tam alibi quam in liberis Regiis ac etiam in Montanis civitatibus praesertim per Commissiones Camerales, sicuti hactenus occasione restaurationis Magistratualium, factum ad certum numerum en

restringantur, multo minus functiones eorundem tot et tantis exquisitis jam speciosis, jam violentis praetextibus, non nisi ad eversionem liberi Religionis exercitii omnimodo tendentibus per multifaria Decreta Majestatis Vestrae Sacratissimae nomine etiam sub gravibus pecuniariis poenis praecipiendo civitatibus extradata circumscribantur. Denique diversae Religionis Personis matrimonium ineuntibus copula ne denegetur, aut juxta arbritrium vel voluntatem eorundem in administratione copulae Ministri Evangelici vel etiam alii Evangelici ad Sacras Sedes Romano-Catholicas ne citentur, neque puniantur, quin potius hactenus impune attentati et perpetrati hujusmodi abusus seu contraventiones tanquam manifesta liberi Religionis exercitii turbatio et impedimenta per Articulos Soprouienses in genere vetita et prohibita clementissime remittantur demisse censemus.

PUNCTUM SEXTUM.

De Scholis Evangelicorum, eorum Magistris, Studiosis, Libris atque Studiis.

Cujus Gravamen cum priori semet propter conjuncta verba articuli connexive habens, sic sonat:

Non secus Scholarum Magistris facultas erudiendi juventutem praecluditur, et vel ad Grammaticam et Syntaxin, imo ad lecturam duntaxat restringitur. Libri quoque Evangelicorum ut essent Biblia et his similes importari vetantur. Studiosorum vero ab externis oris redeuntium maximo aere interdum comparati, praesertim Dogmatici et Theologici intercipiuntur libri, quo ipso quantum turbetur exercitium Religionis in propatulo esset.

Respectu cujus Gravaminis ex parte Ven. Cleri in Actis ejusdem replicatum:

Quod quamvis Articuli XXV et XXVI an. 1681 Scholarum in suo sensu fecerant mentionem, quia nihilominus in effectuatione eorundem Domini Commissarii procedentes in locis duntaxat articularibus trivialium studiorum usum nec altius permittendum ordinassent, in locis vero extra articularibus penitus exclusissent, et sua Majestas id ipsum quoque ratificasset. Imo et benignis quoque modo gloriosae regnantis suae Majestatis Sacrat. de an. 1714 die XX Mensis Aprilis emanatis Patentibus restrictionem superfluorum Paedagogorum Ludimagistrorum et altiorum Scholarum prohibentibus. Quod altiores Scholae vetitae haberentur evidens esset.

Quibus accederet quod in haereditario hocce Regno Hungariae Academias et Universitates absque speciali indultu seu Privilegio erigere non liceret.

Libros pro privata cujusvis lectione non vetari, sed si inde sequatur in forma publici exercitii aliis confluentibus lectio id bene fieri posse tanquam Explanationibus Regiis vetitum.

Quibus, cum aliis in Actis Commissionalibus ab utrinque deductis replicis rationibusque motivis et argumentis combinatis pensitatis, adinvenimus:

Quandoquidem

I. Diplomata, Articuli, sicuti Praedicantes ita et Scholarum Rectores ad certum numerum vel ad certum studium nullo loco redigunt aut restringunt. Imo potius

II. Libero exercitio restrictio studiorum palam repugnaret quia (prout sors humana fert) Ministris et Scholarum Rectoribus unius aetatis emortuis, alii illorum succedere in locum non possent, nisi doctrina docendique facultate rite instituerentur et erudirentur, id quod absque Magistris Scholarum eorundemque libero professionis suae exercitio fieri nequiret. Nam revera

III. Scholae sunt Seminaria non solum Ecclesiarum sed etiam Regni, unde publico et privato commodo, Sacris et Profanis, quibus quemque divina Mens destinavit idonea subjecta succrescere et prodire debent.

IV. Secus sapientiam et liberalia studia praepedire nihil esset aliud, quam exercitium Religionibus Regni Legibus liberum tollere, viamque ad civilem cultum praecludere. Neque vero est cur libri quoque Evangelici pro usu exercitii inevitabiliter necessarii importari intercipiantur, cum sicut vi legis utriusque Augustanae et Helveticae Confessionis Religio libera est, ita ea quoque, quae Religionis usum concernerent, impediri non deberent, nec possent. Quippe

V. Concesso fine (libero exercitio) media quoque ad id necessaria, qualia sunt scholarum studia, librorum importatio, emptio, venditio, impressio, et usus concessa manifeste dignoscuntur. Quoniam

VI. Ipsa studia non secus ac quidem articuli et nervi in corpore, adeo cum libero exercitio inter se conjunguntur, atque uniuntur, ut sese mutuo excipiant, nec citra perturbationem liberi Religionis exercitii articulariter per absolutum vetitam a se invicem divelli valeant, cum absque studiis Ministri solidae doctrinae exemplarisque Pietatis evadere non possint. Sed et

VII. Nobiles imprimis ut solide erudiantur publici Boni ratio exigit. Quippe qui quanto magis aliis civili conditione praestant tanto magis eosdem doctrinarum studiis antecellere oportet.

VIII. Nec immerito studia ad ea media referuntur, quae rempublicam

plurimum adjuvare solent. Hinc et aerario Regio et publico bono non parum accederet, si in gremio Regni non secus mercatus literarum, quam aliarum mercium haberi posset.

IX. Ad trivialia vero et uti interdum fit ad Lecturam cultum studiorum seu liberalium Artium restringere, ab iisdemque addiscendis filios in Patriae spem et exspectationem natos arcere et impedire, sane non aliud est quam barbariem invehere, quam tamen liberalis animus naturaliter detestatur atque abhorret. Imo

X. Quanto quis ex munificentia Altissimi ingenio praepollet meliore, tanto magis idem liberalibus excolere artibus ex juris naturae dictamine obligatur.

XI. Ea porro studia, quae ad humanitatem homines formant non admittere esset humanitati repugnare. Ac ideo

XII. Interresset potius publici boni ad studia et cultum filios Patriae stimulando Gentium aliarum laudabili exemplo excitare, promovere et adhibere ut tum privatis tum publicis rebus ad Majestatis Vestrae Sacrat. servitia praeparentur.

XIII. Leges adhuc Patriae cumulatissime exstant, quae Evangelicos ab officiis publicis minime excludendos, quin potius absque discrimine Religionis ad eadem adhibendos praecipiunt: imo aequalitatem in Magistratus auctoritate et Senatu liberarum Regiarum ac etiam Montanarum Civitatum observari jubent, ac ideo ut ad talia munia et utiliter tractanda negotia se idoneos praestare possent, Evangelici quoque liberalia ejusmodi studia tanquam necessaria et omnimode ad futura Regis et Patriae servitia deservientia media iisdem vetari non debent.

XIV. Eousque enim felicis sunt veluti Respublicae ita et Civitates, donec iisdem praesunt illi, qui studiis quibusvis debite exculti bonum publicum pro virili promovere valent.

XV. Allegatae vero benignae 1714 an. Patentales, quoniam potissimum eo fine ut negotium Religionis usque ad modernam excelsam Commissionem, in eo, in quo ante proxime sopitos motus fuerat statu reponatur, clementer emanatae fuissent, neque per hoc legalibus Evangelicorum Gravaminibus ad legalem demisse efflagitandam satisfactionem viam praeclusissent. Quin potius teste earundem Patentialium verborum contextu, ad modernam Commissionem relegassent, eoque et non alio fine praesens Commissio instituta fuisset, quod proinde neque pro articularibus explanationibus neque pro norma legis obverti possint, superius ubi de Resolutionibus Titulo Explanationum ex parte Venerab. Cleri insignitis actum, superatum jam est. Quamvis continentiae toties citatarum Patentialium superfluorum Praedicantium ac Ministrorum et informatorum Paedagogorum et Ludimagistrorum mentionem faciant, non autem eum in finem

prout quantitas et qualitas tum locorum tum personarum exigit necessariorum intertentionem et scholarum cursum excludit.

XVI. Priorum autem Commissionum Acta, tanquam legalitati Articulorum contraria evidenter, quod pro norma examinandorum Gravaminum deservire haud possint, quin potius quoniam per et propter ejusmodi illegales Commissionum dispositiones, Querelae et Gravamina Evangelicorum non postreme adaucta fuissent: talium autem Gravaminum intuitu moderna haec Commissio ordinata diaetaliter fuisset, adeoque omnia ea abusuum et contraventionum nomine ad normam legum modernae Commissionis examini subjacerent per se sequitur. Quia Acta Commissionum publicis Regni Legibus earundemque fidei authoritati et firmitati neque derogare possent.

XVII. Quo in passu Evangelici praesidio Legum innixi ejusdem inhaerentes in usu scholarum collegiorum et gymnasiorum, in quorum nonnullis altiora quoque studia profiterentur, acta quoque persistunt, ac per hoc genuinus Legis usus manifestus est.

XVIII. At licet quidem beneficio publicae Legis, et absque indultu specialis Privilegii tum priscis, tum recentibus perinde ac modernis quoque temporibus in Scholis Gymnasiis et Collegiis Evangelicorum studia altiora tradi dubium non sit, attamen non sequitur per hoc jura Universitatis, Academiarum, aut quidpiam novi Evangelicos sibimet vendicare. Quia sicut eosdem non latet absque speciali summi Principis Privilegio, jura Universitatum, Rectores Magnificos et Decanos facultatum eligendi, Doctores et Magistratus creandi, ac id genus aliorum graduum titulos et praemia conferendi nemini competere, ita etiam apud Evangelicos nullibi similia usurpari palam omnibus constat, quamvis non tam sperarent, quam indubie considerant fideles Majestatis Vestrae Sacrat. subditi Evangelici, quod pro innata sua gratia et clementia iisdem Jura Academiarum sit impertitura, atque ita Regnum in florem externis Regnis et incolis Christianis finitimis aequalem vel et majorem adducturam, ut enim opus esset scholis, quo in tempore ea addiscantur, quae vitae commodae et bonae transigendae adjumentum adferre debent, sic et Academiae rite constitutae ad ea media referantur, quae Rempublicam ut plurimum adjuvare solerent et aerario Regio publicoque bono non parum conducerent, praesertim si in gremio Regni idem mercatus literarum qui apud exteros haberi posset, ne ejusdem gratia exteros ditari et pecunias Regno efferri necessum habeatur.

XIX. Praeterea intuitu liberi Religionis exercitii (cujus alioquin inseperabilis comes scholarum usus est) si quidem nullus in Regno locus, idem sponte ac benevole acceptare volens extraarticularis esset, eo ipso neque respectus scholarum quae de natura sua vitam dant libero

Religionis exercitio neque ab invicem separabilia sunt, loca extraarticularia praetendi possunt.

XX. De libera lectione Postillarum, Bibliorum et alia id genus librorum, sive pro se et per se, sive praesentibus aliis, cum sint solummodo accessoria, liberi illius omnibus et ubique concessi exercitii et privata devotio domestica non autem publica in Puncto XXI: Haud absimiliter incipiente dicta sufficient.

XXI. Admissa jam semel per Pacificationes Sacra diplomata et publicas Regni constitutiones in Hungaria Religione Evangelica, eo ipso quoque libros Dogmaticos sine quorum inevitabili et necessario medio ac beneficio negotium Religionis ejusdemque liberi exercitii usus nullo modo subsistere posset, articulariter concessos fore unusquisque admittat necessum est, alioquin sequeretur sufficere, si alicui vita concedatur, etiam si usus Esculentorum et Potulentorum ad sustentationem vitae inevitabiliter necessariorum non concederetur. Tanto magis

XXII. Quod Librorum Dogmaticorum sive ex vicinis Regnis et Provinciis inductiones sive intra Regnum emptionem et venditionem, imo excusionem seu impressionem nulla lege vetitam fuisse, verum semper liberam, notorium sit. Insuper

XXIII. Est etiam hoc consuetudinarii Juris apud omnes Christianas Gentes, ut Religioni semel admissae legibus, usus librorum Dogmaticorum et aliorum pro usu profitendae confessionis suae necessariorum nunquam denegetur, quod ipsum tanto verius, quanto evidentius etiam in ipsis ditionibus et sub jugo infidelium commorantibus Christianis, usum librorum nequaquam impediri experientia ad notitiam publicam loqueretur. Secus neque Ven. Clerum absque adminiculo Missalium Librorum Sacrificia Missae juxta Ritum solitum peragere, multo minus sine usu librorum eo fine necessariorum Gentiles instituere et erudire posse.

XXIV. Hinc quoniam multifariam sicuti in specie factorum videre esset, cursus studiorum in scholis Evangelicorum impeditur, ac cum primis in liberis Regiis et Montanis Civitatibus per Commissiones Camerales restaurationis occasione Magistratualium non tantum Ministri Evangelici, eorundemque functiones, prouti et ex continentiis Puncti immediate praecedentis patet restringuntur, verum etiam numerus Instructorum, Magistrorum, Paedagogorum, Rectorum et Ludimagistrorum, aeque per decreta Commissionalia in verbo Regio, seu nomine Majestatis Vest. Sacrat. restringitur facultas profitendi studia ad futurae sive Politicae sive Ecclesiasticae vitae genus summe necessaria, circumscribitur, classes jam ad Syntaxin, jam ad Grammaticam, jam ad trivialia jam ad solam lecturam limitantur.

Usus nigri vestitus antea etiam ab olim licite ab iis usurpatus

Rectoribus et Correctoribus vetatur, concionari etiam in casu infirmitatis, aut alterius legitimi impedimenti ordinariorum Ministrorum, contra communem ubicunque terrarum apud Evangelicos Praxin prohibentur, concionantes arestantur, scholae etiam tales in quibus pueritiam ingressi infantes utriusque sexus prima literarum elementa cognoscere et legere discant extra moenia Civitatum amandantur, licet misellis quatuor aut quinque annorum infantibus propter frigus et occurentem subinde aëris intemperiem ad loca suburbiorum remota exire vix possibile sit. Alibi instructio juventutis totaliter, imo lectura ediscenda inhibetur. Alibi in Curiis nobilium Praeceptorum privatorum intertentio vetatur. Alibi si adsint amoventur, alibi Cantores et Scholares verberibus, injuriis et contumeliis afficiuntur. Alibi ne filios ad scholas Evangelicorum studiorum causa expediantur varii generis mulctis, quin imo sub poena florenorum centum Evangelicis interdicitur. Libri Evangelicorum pro usu profitendae utriusque Confessionis et excolendis studiis summe necessarii ex oris exteris redeuntibus studiosis eripiuntur. Alibi ne per extraneos in Regnum inferantur sub poena confiscationis prohibentur, alibi venum expositi confiscantur, alibi etiam ex domibus non solum ignobilium, sed et nobilium auferuntur, imo et comburuntur. Alibi prout Biblia Helveticae Confessioni addictorum Cassoviae arestantur nec restituuntur.

Denique ex capite certi cujusdam Privilegii stante et durante moderna Commissione die XXX Martii elapsi anni 1721 emanati, tam alibi, quam vel maxime respectu Typographiae Lenschoviensis contra longissimum usum semper liberum neque aliquando impeditum, tam dogmaticos, quam scholasticos Evangelicorum libros, jus censurandi, modificandi, mutilandi innovandi ac totaliter etiam prohibendi, nec non hoc modo universa profitendae Religionis inevitabiliter necessaria media constringendi, tollendi ac perimendi, a pluribus Rev. Patribus e Societate Jesu, quod non tantum praetendatur sed et exerceri effective, attentatum fuerit. Medio specialis demissae instantiae, una cum reliquis medio durantis Commissionis tempore interventis sat gravem afflictionem Evangelicorum exprimentibus casibus 17ma Decembris 1721 in publica Sessione exhibita repraesentatum habetur. Haec omnia et reliqua in specie factorum comprehensa qua concesso libero Religionis exercitio ejusdemque usui summe praejudiciosa, imo manifestam ejusdem turbationem indigitantia pro abusibus et contraventionibus Articulorum Sopronîensium comperimus.

Ac proinde ne imposterum cursus studiorum in scholis Evangelicorum altioribus et minoribus per quoscunque tandem impediantur, neque per quempiam ac vel maxime in liberis Regiis et etiam Montanis Civitatibus Regio-Camerales Commissiones, dum annuis Magistratualib. restaurationibus intersunt, quicunque Docentium hicce quoad numerum Personarum, sive quoad vestitum sive quoad facultatem a temporibus receptae Reli-

gionis tradi consueta studia profitendi pro suggestu sive in casu necessitatis, sive causa exercitii concionandi restringantur. Neque classes seu studia, jam ad hanc jam ad illam classem, imo trivialia seu lecturam et quidem sub gravioribus mulctis circumscribantur. Docentes et Discentes verberibus et injuriis afficiantur, multo minus per imbecillitatem aetatis communiter privilegiati pueritiam ingressi utriusque sexus infantes ad suburbia et loca remotiora lecturae addiscendae causa relegentur. Sed neque Parentibus Evangelicis sub mulctis sive majoribus sive minoribus Proles ad Scholas aliorsum mittendi, Nobilibus privatos Paedagogos et communitatibus Evangelicos Ludimagistros utpote respectu quorum usus eo plane modo veluti respectu liberi Religionis exercitii omnia loca per Regnum articularia sunt intertenendi facultas interdicatur.

Haud absimiliter Librorum tam Dogmaticorum, quam Scholasticorum pro usu et cultu profitendae Religionis Evangelicae ac excolendis artibus liberalibus in publica Regni commoda redundaturis omnimode necessariorum in Regnum importatio, intra Regnum vero emptio et venditio imo excusio sive impressio nequaquam turbetur et impediatur. Neque libri legitimis eorum possessoribus sive vendentibus sive imprimentibus confiscentur, sive ementibus et usuantibus auferantur; quin potius ut tam studiosorum Evangelicorum utriusque Confessionis, qui hactenus ab externis oris redierunt, quam et aliorum, sive propriae necessitatis ut Debretzinensium Cassoviae detenta Biblia, sive questus gratia importati, hucusque arestati libri restituerentur. Usus Typographiae Lenschoviae et alibi apud Evangelicos utriusque confessionis in priori statu absque revisione atque censura Plurimorum Rev. Patrum Societatis Jesu aut Secularium Romano-Catholicorum conservaretur. Multo minus ex capite praetensi Privilegii recentissime jus censurandi, modificandi innovandi et taliter etiam prohibendi libros Evangelicos cum legali omnibus et ubique admisso per Regnum Religionem Evangelicam libere acceptandi excercendi profitendi Evangelicorum jure incompatibili vendicetur, verum usus scholarum et librorum imperturbate clementissime manuteneatur, demisse tanto magis censemus, quanto certius tum vi dogmatum, tum vi homagialis erga Majestatem Vestr. Sacratiss. qua augustum haereditarium Regem nostrum perpetuo fidelis subjectionis, Libros ejusmodi sicut formalia Privilegii sonant: Infames perniciosos et Divino Numini Superisque injuriosos adeoque scandalosos Evangelici ultronee abominantur et detestantur, et sic talis prout antea praesertim Lenschoviae non imprimebantur, ita neque imposterum impressum iri justus metus superesse possit.

PUNCTUM SEPTIMUM.

De Evangelicis in libero Religionis suae exercitio nullo unquam tempore turbandis.

Ex verbis Articuli XXV:

Et nullus Regnicolarum in libero suae Religionis exercitio a modo imposterum quoquo modo turbetur.

Gravamen Evangelicorum.

Ast post hos etiam conditos Articulos, quo modo Evangelici turbati fuerunt, tam ex praemissis, quam et ad Articulum XXVI luculenter patebit, quae hic pro repetitis haberi cuperent.

Respectu cujus ex parte Ven. Cleri in Actis suis replicatum:

Evangelicos hoc loco priora repetere ad quae sufficiens datum fuisset responsum.

Quibus cum serie reliquorum Partis utriusque Actorum in simul collatis, adinvenimus: Quod quia

Per hanc clausulam universaliter omnis modus, quem mens et ratio concipere posse videtur praeclusus dignoscitur, et sicut sub toto partes et sub genere species comprehenderentur, eo ipso ad omnes omnino Gravaminum species universaliter clausula extenderetur, extendendaque venit.

Quicquid itaque contra Articulos Sopronienses modernae Commissioni pro fundamento et instituto Commissionali diaetaliter positos contraventionum et abusuum repraesentatum habetur, id totum et omne vel ad solam normam et regulam vigore articularis et simul universalis clausulae hujus de praeterito legaliter mederi et de futuro similia condigne et omnimode praecaveri posse humilime censemus.

PUNCTUM OCTAVUM.

De Non compellendis ad peragendas cerimonias Religioni suae contrarias.

Clauditur vero idem Articulus his verbis:

Sed neque Augustanae et Helveticae Confessioni addicti ad cerimonias Religioni suae contrarias compellantur. Quod et Articulus 5 an.

1647 eidemque inserti Divi Ferdinandi Tertii Sacri Diplomatis conditionis secundae tenor sic sonans: Neque ad alias Religioni ipsorum contrarias cerimonias peragendas compellantur, exigeret ut taliter omni ex parte libertati Evangelicae Religionis provisum esset.

Sequitur Gravamen.

Attamen ad ritus et cerimonias Dominorum Romano-Catholicorum Evangelici tum alibi, tum imprimis in liberis Regiis nec non Montanis Civitatibus Mechanici praetextu Privilegiorum Cehalium, ac ex praescripto quoque Commissionum Cameralium, aliisque modis in Processionibus, Festorum suorum celebrationibus et aliis similibus occurrentiis ad ritus et ceremonias eorundem spectantibus, sub variis poenis et mulctis adigi, et semet abinde subtrahentes jam pecunia mulctari, jam ab officiis et communibus beneficiis civilibus, braxationis, educillationis suspendi, nonnulli et aresto puniri, plurimis in locis solent contra evidentem Legis et Diplomaticam Evangelicis factam concessionem.

Respectu cujus ex parte Ven. Cleri in Actis ejusdem hoc potissimum reponeretur:

Articulum 5 an. 1647 tanquam in negotio Religionis per posteriores exmissum adeoque oblivioni traditum esse.

Et quamvis omnino Articulus ad calcem faceret hanc mentionem: Ne ad cerimonias compellantur, in contrarium tamen obverti Resolutiones et Explanationes Regias de anno 1691 ubi expresse formalia continentur. Attamen Ferias et Festivitates Catholicorum quoad publicum et Forum externum observare tenentur, et id tanto magis Opifices seu Mechanici in quorum Privilegiis id ipsum per expressum inseri solet, adeoque si placet in reliquo gaudere ejusmodi Privilegiis praescriptae quoque conditionis onus subire multo minus displicere debet. Unde inferri quod non obstante finali Artic. XXV Paragrapho tanquam sic Explanationibus Regiis declarato, Evangelicos ad observationem Feriarum et Festorum obligari etiam qua Decretalium juxta Caput XVXVIII. Decret. Ladislai Libr. 1.

Quorum beneficium si in Exceptionibus Processualibus observant non deberent in alio etiam denegare.

Neque conveniret haereditariis Catholicis non observatione Festorum derogare et scandalum inferre.

Ad quem Propositi Gravaminis statum aeque Acta partium penitus evolvendo et examinando adinvenimus: Quod quia

1. Ipsis principiis cujusvis Religionis repugnaret cerimonias Religioni suae contrarias sequi.

2. Libera enim esset ex Lege unicuique Religionis suae Professio,

et non coacta et circumscripta. talis vero esset si ad cerimonias Religioni suae contrarias cogere et compellere alicui integrum esset. Quod ne fiat

3. Articulus ad calcem positive et per expressum statuisset et determinasset.

4. Quia per ejusmodi coactionem devotioni Dominorum Romano-Catholicorum nihil accederet, afflictio vero Evangelicorum augeretur. cum tamen Deus liberimam Mentem in cultu sibi praestando exposcat, coactam vero et inanem ostentationem sive hypocrisin aspernetur.

5. Praecitatus autem Articulus 5 an. 1647 quia non esset in Articulis Soproniens. per expressum citatus, ideo oblivioni traditus multo minus sublatus praetendi potest. Est enim una cum reliquis per Articulum XXVI in clausula ad calcem de qua in Puncto 20 ageretur, in salvo relictus et confirmatus. Tanto magis

6. Quod idem Articulus Quintus verbis Articuli XXV. an. 1687 nullatenus contrarius sed per totum identicus, eadem ipsa formalia verba, quae hic in Articulo XXV repetuntur exprimeret et contineret.

7. Quoniam vi Tituli Secundi Oper. Decret. Trip. Part. IIdae L e g e s p r i o r e s p e r p o s t e r i o r e s s i l e n t i o p r a e t e r m i s s a e s u u m r e t i n e r e s o l e r e n t v i g o r e m, tanto magis leges illae quarum aliae in genere aliae in specie Articulis Sopronienisibus insertae et pro salvis pronunciatae pristino suo vigore privari et exui non poterunt.

8. Ex Resolutionibus an. 1691 deprompta clausula, tanquam praemissi articuli clausulae verbis contraria, cum non ad explanationem aut declarationem, sed eversionem genuini sensus Articulorum Soproniens. in quo tamen diaetaliter clementissime confirmati sunt vergat, subsistere tanto minus quanto evidentius id ipsum.

9. Formalia ex parte Ven. Cleri in verbis: S e d c u m A r t i c u l u s X X V f a c e r e t m e n t i o n e m n e a d c e r i m o n i a s s u a e R e l i g i o n i c o n t r a r i a s c o m p e l l e r e n t u r, in contrarium obverti Resolutiones item in verbis: N o n o b s t a n t e c i t a t o A r t i c u l o XXV, exprimerent. Ex quibus omnino ea, quae in praeliminio circa resolutiones 1691 quod leges eversivae essent dicta sunt, non secus se habere opere ipso deprehenderetur.

10. Cum lex aliunde in genere et universaliter loquendo eo ipso nec Nobilem aut Ignobilem, nec Militem aut Mechanicum aut Opificem, neque Civem, Metallifossorem, Rusticum aut quemvis alium ad cerimonias Religioni suae contrarias compellendum, tanto minus e consortio civitatum, oppidorum et Collegiorum arcendum venire, palam publiceque statuit.

11. Privilegia autem Mechanicis extradata juxta Articulum VII Part. IIdae Oper. Decr. Trip. Opifices Evangelicos in eisque negotium Religionis eorundem tangerent, ut videlicet seu quoad solemnia Missarum,

sive Processionum, sive quoad celebrationem Festorum inviti mulctis compellantur, propter publicae Legis expressam in contrarium dispositionem non obligarent, taliterque positivis Regni legibus ac juri Evangelicorum derogare non possent. Utpote quorum jus

12. Per clausulam Privilegiis inseri solitam: salvo jure alieno, aliunde quoque in salvo relictum haberetur. Eo magis quandoquidem

13. Ex specie factorum videre esset similia Privilegia cum insertione ejusmodi clausularum partim per Commissiones Camerales occasione restaurationum Magistratualium partim ipsos Magistratus civitatenses, partim nonnullos opifices Catholicos sub specie vel noviter impetrandorum vel confirmandorum Privilegiorum invitis Evangelicis induci, quibus nihil plus commodi et beneficii, quam ante insertionem ejusmodi clausulae vigore antiquorum Cehalium Privilegiorum gaudebant, accedere. Quin imo

14. Etiamsi in nonnullorum antiquis Privilegiis ejusmodi clausula inserta habeatur, nihilominus tamen quia usus ejusdem ad Evangelicos Opifices legaliter extendi non potuit, ideo superioribus retroactis annis vigore illius ad cerimonias Religioni suae contrarias et Lege et Verbo Regio vetitas non cogebantur, veluti de facto nunc introducere niterentur.

15. Citatus S. Ladisl. Lib. I. Cap. XXXVIII Festa Decretalia quoad publicum et Forum externum, etiam ea, ad quorum videlicet observationem Evangelici vi Religionis suae non obligarentur per eosdem celebrentur. Libertati Religionis Evangelicae hocce in passu nihil obstaret, si quidem Pacificationem Viennensem praecedentia Decreta, Evangelicos ad observationem eorundem, (quae in quantum in negotio Religionis libertati Evangelicae repugnaret, nequaquam obligarent) verum solos Dominos Romano-Catholicos concernerent. Idem enim Pacific. Viennens. Articul. primus priores Leges in negotio Religionis respectu Evangelicorum pro non obstantibus aperte et per expressum declaravit.

16. Praxis vero judiciaria processualis, occasione cujus respectu Festorum Decretalium Exceptio Juris intercedere soleret, esset toto coelo diversa a Religionis negotio et a Dogmatibus ac cerimoniis eorundem distincta. Cursus enim judiciorum cum omnibus Exceptionum et Juris beneficiis sicut Dominis Catholicis ita et Evangelicis est communis. Ast ne ad cerimonias cogantur Lege et Verbo Regio prohibentur.

17. Quia vero Judaei et Graeci, Rutheni, Schismatici alias nec Regni lege recepti, Festa Dominorum Catholicorum non celebrando scandalum Dominis Catholicis non inferunt, multo minus id de Evangelicis adstrui posset, praesertim jam nunc post integrum seculi unius usum, in quo Evangelici hucusque in maxima Regni parte persisterent.

Hinc quoniam multifariis modis et exquisitis sub praetextibus in specie Factorum ad Punctum hoc pro illustratione adductis praesertim

Evangelici cives jam penes Decreta Regia Cameralium Commissionum, jam Magistratuali auctoritate, oppidani vero et villani jam per Dominos eorundem Terrestres, jam Comitatensem Magistratum ut in Strigoniensi, jam per Dominos Plebanos ad Processiones et alias Religioni suae contrarias cerimonias, Festorum item celebrationes sub mulctis sex, duodecim, quadraginta florenorum, per exclusionem a beneficiis civilibus, inhibitionem a professione officii, imo etiam publicis carceribus, et diris verberibus, compelluntur, ea vero omnia contra publicae Legis prohibitionem passim ita licite fieri atque rigide observari verbis et scriptis praeciperetur, non secus ac si articulus ad calcem loco: non cogantur omnimode: cogantur diserte statuisset, ac insuper in non cogendos ut cogi possint, poenas praeattactas, quibus affliguntur dictasset, definivissetque. Quo in passu multifariam articulo contraventum fuisse etiam nobis tacentibus res ipsa loquitur.

Ne proinde amplius et de futuro Evangelici sive iidem Nobiles aut Ignobiles, sive Milites aut Servitores, Mechanici aut Opifices, Cives, Metallifossores, Rustici ac cujuscunque tandem status et conditionis sint ad Processiones frequentanda Sacra, exaudienda Missarum solemnia, aliosque ritus Catholicos, nec non Festivitates ac quasvis cerimonias Religioni suae contrarias ullo sub praetextu per quemcunque adigantur, ne propter ea a beneficiis et incolatu Civitatum, opificiis et id genus aliis sustentandae vitae mediis excludantur, mulctis pecuniariis et poenis corporalibus afficiantur vi finalis clausulae humilime censemus.

PUNCTUM NONUM.

De Officiis tam Majoribus quam Minoribus sine discrimine Religionis conferendis.

Intuitu cujus Gravamen:

Gravatos etiam in eo sentiunt Evangelici, quod non solum in civitatibus cives, sed et Magnates et Nobiles propterea solum, quod Evangelicam Religionem profiteantur, indigenae licet et idonei ad officia majora et minora non promoveantur, quamvis Legibus Regni signanter Articulo XXVII an. 1681 ibidemque citatis provisum esset, quatenus sine discrimine Religionis ad officia quaque adhiberi debeant, quemadmodum superiori seculo notum est, Evangelicos non tantum civilibus officiis praefectos

sed etiam ad Tabulam Regiam admissos, imo et post Regiam Majestatem primarias Dignitates tenuisse et administrasse.

Respectu cujus ex parte Ven. Cleri in Replicis et Duplicis reponeretur:

Exclusionem Evangelicorum ab officiis esse reciprocationem per eosdem dum potentiores essent contra Dominos Catholicos practicatam. Dominos vero Catholicos eminentius et proximius jus habere ad officia, quia et natione et Religione essent indigenae, Evangelici tantum natione, religione vero minime tanquam aliunde adventitia.

Idemque ritu Regni Mariani per Sanctos vi Articuli Septimi Uladislai Regis Decret. 3 jurare recusarent. Articulos XXV et XXVI anni 1681, art. IV an. 1687, nec non I. an. 1606 et 1608 ante Coronationem, promovendi ad officia nullam facere mentionem.

Articulos autem eum in finem per Evangelicos citatos per articulum primum et secundum prout conventum fuerit, ac per XXX an. 1715 fuisse sublatos. Ad haec collationem officiorum Regni et in dicasteriis juxta Articulum V. XII. XV. XXVI. an. 1439. XL. an. 1626 immediate a sua Majestate Sacratissima dependere. propter administrationem officiorum per Catholicos neque suam Majestatem defectum, neque Rempublicam Ecclipsim passam fuisse.

Neque de facto dari vacantiam. quae praetendi posset. paritatem a Principatu Transylvaniae alligatam claudicare, quia ibidem receptae Religiones hic autem tolleratae essent. Equidem Resolutiones de anno 1697 facere mentionem respectu Magistratualium. electionem in civitatibus absque tamen exclusione Catholicorum, quas resolutiones, quia Evangelici impugnarent. earundem beneficio semet indignos reddidissent. et aliunde posse suam Majestatem Sacratissimam in civitatibus, qua Dominum Terrestrem dispensare prout vellet.

Denique Articulum XXXI an. 1715 a conventiculis inhibere Evangelicos, ac proinde publicorum officiorum incapaces fore. Quae omnia modalitate in praeviis Punctis observata. cum Commissionalibus Partis utriusque Actis ad invicem comportando revidendo et examinando adinvenimus.

Responsio Evangelicorum et Commissionis. — 1. Quod quia a tempore Pacification. Viennens. fere in omnibus Regni Comitiis Publicis Regni Legibus sancitum haberetur ut Dignitates et quaevis majora et minora officia indigenis Regni sine respectu et discrimine Religionis conferantur, et signanter de Palatinali Dignitate per Articul. III an. 1608 ante Coronationem, in verbis: Duas ex statu Romano-Catholicae et totidem Evangelicae Confessionis Personas.

De custodibus S. Coronae in Sacris Diplomatibus Ferdinandeo an.

1622 et Leopoldino de an. 1695, utrobique in conditione decima in verbis: Utriusque Confessionis Seculares.

Respectu aliarum Dignitatum et Officiorum Regni similiter in Cancellaria et Consilio Hungarico per Articulum X an. 1608 ante Coronationem in verbis: Ex ordine quoque Nobilium in praesenti adhuc Diaeta collecto, absque Religionis discrimine eadem sua Majestas utetur.

Respectu officiorum et in septemviratu, qui Barones ex officio vocantur, et Tabula Regia in Sacris Diplomatibus, Ferdinandeo de anno 1622 in conditione 5, Leopoldino de anno 1695 itidem in conditione 5 in verbis: Et juxta eundem Articulum tam in Tabula Regia, quam appellationibus sine discrimine Religionis Judices fiant, ac Legibus Regni passim provisum haberetur.

Haud absimiliter Articulo XIII an. 1608 his verbis: Ut in liberis, Regiis nec non Montanis Civitatibus absque respectu Nationum Judices primarii et Senatores deinde eligantur, ac aliae etiam quaevis Dignitates sine ullo Religionis discrimine mixtim et alternatim de caetero tribuantur, sancitum est; idem exprimit Articulus XLIV an. 1609 et XII an. 1649.

2. Quia in conformitate praecitatarum Regni Legum et Sacrorum Regiorum Diplomatum Evangelici ad quasvis Dignitates et officia promovebantur.

3. Neque inutilia eorum in aliqua Dignitate collocatorum fuisse servitia in Patria pariter ac Regum emolumentum, praeterita rerum actarum testantur monumenta.

4. Nec conveniret de omni jure eos, qui sub uno Rege in eadem Patria, eadem libertate gauderent, fideque erga Regem aliis non cederent, a Politicis ejusmodi commodis et Patriae beneficiis, quibus alii gauderent, cum primis arcere.

5. Ut non minus pro utili summi Principis servitio, quam Patriae commodo, sive a natura facti, sive exculti haberi, instrumentaque si applicarentur idonea sese praestare possent, et praestarent Evangelici. Aliunde

6. Publicarum rerum gestoribus notorium hoc est, publici boni ex administratione officiorum promotionem non in eo, quis cujus Religionis, sed qui habilior consistere, nam a minus idoneis cujuscunque Religionis sint, publico nequaquam satis fieri. Ast e converso ab idoneis, cujuscunque Receptarum Religionis sint, subjectis, negotia exactius dirigi, ac eo ipso feliciores rerum florere successus experientia passim per orbem Christianum testatum redderet.

7. Olim per Assirios et Aegyptios, captivos Judaeos, quamvis diversae

Religionis fuerint, nihilominus idoneos ad honores et dignitates evectos fuisse, Historici memoriae prodidere. Unde

8. In vicino Principatu Transylvaniae, tam in Gubernio, quam Tabula judiciaria et reliquis absque discrimine Religionis hodiedum applicari palam omnibus notum est.

9. Quod Evangelici ubi etiam potentiores fuissent Dominos Catholicos ab officiis exclusissent, id neque Annales Patrios, neque praeterita, neque moderna testantur tempora, quin imo semper promiscue pro Subjectorum qualitate, secundum meritorum Legumque exigentiam adhibitos fuisse palam docuit experientia Exclusionis, proinde in Evangelicos exercendae reciprocatio praetendi haud posset. Multo minus

10. Ex parte Dominorum Catholicorum Jus proximius et eminentius ad officia ut promoveantur adstrui non potest, cum non solum altum de eo in Patriis Legibus silentium, verum e diametro contrarium, ut sine discrimine Religionis adhibeantur in tot publicis constitutionibus sancitum haberi, jam adductum est. Quibus mediantibus per inconcessum, quod si etiam decisum haud fuisset sufficere videretur ad non exclusionem Evangelicorum tritam Juris naturae Regulam: Quod tibi non vis fieri alteri non feceris, et communis justitiae aequitatem. Ne eodem solo nati, iisdem legibus stipati, et Privilegiis ornati, earundem publicarum calamitatum et temporis injuriarum socii, in omnibus denique aequalia Regni commembra a publicorum beneficiorum Societate excludantur. Vel maxime

11. Quandoquidem Evangelici, ideo quia Evangelicam sponte acceptarunt Religionem, nihil de indigenatu aut haereditate propria ante habita amisissent, quin potius qua pares Dominis Catholicis et aeque veri indigenae, nec obstante eo quod vi Articuli VII Uladisl. Decret. 3 ad formulam per Sanctos jurassent, nihilominus tamen indiscriminatim ad publica officia admissi fuissent, eademque qua tales antecedenter pari in Regem et Patriam fidelitatis et utilitatis zelo gessissent, Religio vero Catholica quantum ad transplantationem in Regnum Hungariae attinet, perinde ac Evangelica adventitia dici posset.

12. Articulos XXV et XXVI anni 1681, et XXI an. 1687 nec non primum 1606 et 1608 aeque articulum primum, equidem nullum promovendi ad officia, sed neque excludendi facere mentionem, sufficit de officiis conditos et superius jam citatos id positive et per expressum ut sine discrimine Religionis promoveantur pro favore Evangelicorum sanxisse.

13. Quos per Artic. 1 et 2 prout conventum fuerit nullibi sublatos, neque modificatos fuisse probari posset, quia sublatio vel modificatio Articulorum positiva lege per expressum fieri adsolcret vi Tit. 2 Part. II Oper. Decr. Tripart. Sicut enim leges de publicis libertatibus

et immunitatibus, sive in genere respectu Inclytorum Statuum et Ordinum Regni. sive Privatorum Juribus occassione ultimariae Diaetae Posoniensis in Articulis an. 1715 per expressum non citatos, per Artic. 1 et 2 in voculis: prout conventum fuerit pro omissis, immutatis, abolitis atque sublatis legaliter haberi non possent. Ita neque Articuli sive in negotio Religionis sive respectu officiorum non citati, et e converso sicut ideo, quia in genere omnes Leges et Decreta Regni confirmata sunt, etiam talia quae singulatim aut specifice enumerata non fuissent, pro confirmatis reputantur et observantur, ita et Articuli in negotio Religionis etiamsi per inconcessum sigillatim et per expressum in Articulis Soproniensibus citati haud fuissent, nihilominus pro confirmatis habendos, observandosque venire. Similium enim similis habenda ratio, ac ubi eadem Legis ratio, eadem quoque Legis dispositio. Quibus accederet

14. Leges priores respectu officiorum conditas per specialem quoque in specie Gravaminis citatum Articulum XXVII Diaetae Soproniensis per expressum renovatas haberi.

15. Juxta citatos a parte Ven. Cleri Articulos V, XII, XV et XVI anni adhuc 1439 et XL an. 1526 collationem officiorum Regni et Dicasteriorum non ab alio quam sua Majestate Sacratissima dependere neminem latet, sed frustra benignam Sacratiss. Majestatis Vestrae voluntatem ita praecise ut Evangelici excludantur, erga solos Dominos Catholicos propensam obverti fiducialiter confidunt Evangelici; indubium quippe esse Majestatem Vestram Sacratissimam aequanimi benignitate Regia, sicut erga Leges et Fideles Regnicolas suos ferri ut qui eo benignius legum praesidio gubernentur, ideo non tam immediate, quam mediate per Dicasteria sua perquam clementissime collationes officiorum resolvere, ast quia Evangelicorum subjecta in propositionem non assumuntur. Quin imo ac si revera de lege incapacia essent, data opera insinuatur, statuiturque: nihil mirum Evangelicos neque majoribus neque minoribus officiis hactenus consolatos, sed praeteritos fuisse.

16. Quod si sine discrimine Religionis Evangelici aeque ac Domini Catholici, sic prout uniuscujusque vires, qualitates et merita exposcunt, accommodarentur et in publicis applicarentur, an non utilius servitium Majestatis Vestrae Sacrat. et totius Regni commodum promoveretur. Praxis ipsa optimo esset documento, ubi res ad casum devenerit, aliunde nonnullas liberas Regiasque ac in parte Montanas Civitates, in quibus bene meriti Evangelici ab officiis exclusi jam ecclipsi laborare res ipsa loquitur.

17. Non est in Quaestione, an detur vacantia quae praetendi posset necne, sed status Gravaminis in eo legaliter radicaretur, quod per et propter solam Dominorum Catholicorum promotionem ad officia, Evangelici excludi non possent.

18. Paritatem a Principatu Transylvaniae adductam haudquaquam claudicare, publica namque fide, mediante via pacificationis Vienens. adeoque immutabili Gentium jure deinde publicis Statuum et Ordinum Regni constitutionibus, nec non Sacris Divorum Regum Diplomatibus Religionem Evangelicam receptam, non vero toleratam esse decreta Regni vivo sunt documento. Quin imo benignae etiam trium gloriose regnantium Majestatum Decretales, Explanationes, tres in Regno Hungariae receptas esse Religiones, disertis verbis per expressum testarentur.

19. Resolutiones an. 1691 de non turbanda Magistratuum civilium electione, sicut nullum jus Evangelicis, quod iidem antea ex lege non habuissent, attribuissent, ita per impugnationem eorundem Evangelici de jure suo nihil amittere possent, multo minus iisdem inhaerere necessum habent. Etenim

20. Quamvis ex parte Ven. Cleri obvertitur in liberis Regiis ac etiam Montanis Civitatibus Majestatem Vestram Sacratissimam tanquam Dominum Terrestrem in suo peculio disponere posse prout benigne vult. Inde tamen inferri non potest, neque sequitur velle Majestatem Sacratissimam Evangelicorum ab officiis exclusionem, aut publicarum Legum et Privilegiorum civilium labefactationem, dum manifesta et innegabilis sit Majestatis Vestrae Sacratiss. benigna in contrarium positivis Regni Legibus declarata legalis voluntas, qua mediante etiam occasione ultimae Diaetae articulariter clementissime determinare, liberasque et Regias nec non Montanas Civitates plus quam paterne in verbo Regis adsecurare dignata fuisset per articul. XXXVI an. 1715:

Quod omnes omnino in libera magistratuali electione inperturbate relinquet, neque Commissionibus Cameralibus aggravabit aut impediet, confirmando priores Articulos de non impedienda Magistratuali libera sine discrimine Religionis electione in omnibus fere Diaetis in favorem quarti Status liberarum Civitatum publica authoritate conditos.

Denique Articulo XXXI an. 1715 prohiberi conventicula non negaretur. Ast antea quoque indiscriminatim Dominis Catholicis perinde ac Evangelicis legibus vetita, non etiam legalia, consueta et publica publicum Regis et Regni servitium tangentia, a quorum concursu neque Lex, neque Majestas Vestra Sacratissima pro innata erga perpetuam legum sanctimoniam pietate, Evangelicos excluderet, qui potius sub collectivo Statuum et Ordinum nomine Evangelicos quoque convocare non dedignaretur. Nullatenus proinde pro incapacibus declarari posse, hinc quoniam nullus Evangelicorum ad publicas Dignitates, Baronatus Regni, Supremorum Comitum officia, nec non Tabulae Regiae Baronatum, Protonotariatum, Adsessoratum applicaretur. Haud absimiliter in excelsa Hungarico-Aulica Cancellaria, quo instantiae et negotium Religionis expedienda

diriguntur. Pariter et penes inclytas Cameras Hungaricas ad Consiliariatum et Secretariatum imo et minora ut Cancellistarum nulli Evangelici admittuntur. Ac quod majus nec nobilium Evangelicorum filii pro Juratis Tabulae Regiae, seu ut scribas apud Protonotarios agere possint recipiuntur per statutum tabulare, quod tanquam Legi contrarium vi Articuli XVIII an. 1632 ipso jure nullum esset, arcentur. Praeterea in nonnullis Comitatibus in specie factorum enumeratis pro vice Comitibus neque candidantur, imo ad alia tam minora pariter quam majora officia non promoventur.

In civitatibus prout ex specie factorum videre esset, alibi ab omnibus prorsus officiis excluduntur, alibi praesertim per Commissiones Camerales tempore Restaurationis Magistratuum, contra positivas Leges Patriae hactenus exmissas sub specie auctoritatis Regiae bene meriti indigenae et possessionati removentur. Extranei vero et incapaces, imo idiotae reclamantibus, civium communitatibus obtruduntur. Alibi de anno in annum magis ac magis restringuntur, ac denique attentis publicis Regni constitutionibus, aut Sacris Diplomatibus, non curatis Privilegiis et positivis longaevo singulorum usu receptis, salutaribus municipalibus consuetudinibus, ac publicis inter nationes et Religiones mutuo consensu initis transactionibus, tot et tantis Cameralium Commissionum decretis atque ordinationibus pro et contra emanatis nomine Regio coarctantur, circumscribuntur et involvuntur, ut aliud Lex Patriae longo usu roborata, aliud e diametro Commissiones Camerales, et eae rursus ad invicem diversae et sibimet contrariae, quod vel ex annexis ex parte Civitatis Neosoliensis satis elucescit, praecipiant. Per hoc perpetuas lites et mutuas dissensiones augeant, sumptuosas solicitationes causent, ac non nisi ruinam cum gravi jactura et detrimento publici accelerent.

His proinde et aliis speciosis sub praetextibus in subplantationem et totalem oppressionem Evangelicorum tendentibus supra citatis Legibus et Diplomatibus, tempore Diaetae Soproniensis renovatis et confirmatis, haud leviter contraventum fuisse comperimus.

Quapropter ne imposterum Fideles Majestatis Vestrae Sacrat. Regnicolae Evangelici solius Religionis causa ab officiis excludantur, sed pro exigentia Patriarum Regni Legum sine discrimine Religionis, laudabili et proficuo vicini Principatus Transylv. exemplo tam Domini Catholici quam Evangelici, secundum conditionem status ac qualitates et merita Personarum ad publica Regni quorumvis Dicasteriorum servitia. In Tabula item Regia ac nonnullis comitatibus et civitatibus, ubi nimirum hactenus exclusi fuissent, ad majora et minora officia admittantur et legale et aequum et servitio Vestrae Majestatis Sacrat. proficuum, humilime censemus.

PUNCTUM DECIMUM.

De Non cogendis Evangelicis ad Juramenti formulam Religioni suae contrariam.
Ratione cujus Gravamen cum priori semet connexive habet in haec verba:

Opinio Commissionis. — Sed non solum ut praemissum ad ceremonias sibi contrarias Evangelici compelluntur, verum et plurimis in locis, si ad aliqua exilia officia, ad quae tamen contra publicarum Legum dictamen praecluderetur aditus, quipiam Evangelicorum adjurentur, dum non permittente ipsorum hac in parte Religione verba suae confessioni contraria recitare nolint, Juramentum ab iisdem non acceptatur. Imo plerumque Testes etiam Evangelici taliter ut praemissum est jurare renuentes poena non attestationis terrentur.

Respectu cujus ex parte Ven. Cleri in Replicis et Duplicis replicatur:

Articulum III Uladisl. Decret 7. praescribere Jurisjurandi formulam, neque aliam absque exmissione Sanctorum dari hinc si adigantur Evangelici non ad aliud quam praescriptum Legis adigi.

Clausulam vero: Ne ad ceremonias Religioni suae contrarias adigantur, non posse applicari ad Juramentum, patere tum ex Resolutionibus an. 1691, tum quia non esset ceremonia, sed essentiale requisitum.

Et si non dedignantur nomina Sanctorum in baptismo adsumere, cur difficultant in Nominibus ipsorum jurare?

Quibus modo praevio ex Actis Commissionalibus utriusque partis revisis, combinatis et examinatis adinvenimus: Quod quia

1. Si vigore praeinsertae finalis Articuli XXV clausulae, nemo ad cerimonias adigi debet, tanto minus ad talia verba proferenda, et recitanda, quae in se dogma Religionis involvunt, haud compellendus est.

2. Cum vis conscientiis inferenda non esset, sequeretur etiam ad verba suae Religioni contraria in praestando Juramento neminem cogi posse, siquidem aliud corde sentiens et aliud ore dicens, manifeste vim propriae conscientiae inferret.

3. Quia formalitas Jurandi per Sanctos, neque constituit essentiam Juramenti, multo minus si absit vitiat, eo plane modo ut exmissa per

Sanctos Jurandi formalitate praestitum ab Evangelicis per Sacrosanctam Trinitatem Juramentum solenne sufficiens validumque esse, neque V. Clerus in dubium vocare potuisset, possetque. Prout est

4. A temporibus receptae Religonis Evangelicae eandem profitentes absque formalitate per Sanctos ad Juramentum admissi, et absque clausula eadem praestitum, ita pro valido solenni et legali acceptatum, recognitumque fuit, ut communi omnium Statuum consensu alii in Palatinos electi, alii in Septemviratu, in Curia ac Tabula Regia Dignitatum honoribus et officiis laudabiliter profuerint, et non attenta clausulae illius per Sanctos formalitate capaces officiorum fuerint. Unde

5. Non immerito dum occasione ultimariae Diaetae Posoniens. inclyti Status ex parte Dominorum Catholicorum Juramentalis illius formulae per Sanctos formalitatem in Evangelicorum Personas mediante novo Articulo extendendam admisissent, Majestas Vestra Sacratissima benignum suum haud praebendo assensum illegalem ejusmodi conatum prorsus irritum reddidisset. Quibus accedit

6. Quod usitatus quoque Mandatorum compulsoriorum stilus, vim Legis redoleat ad fidem Deo debitam, fidelitatemque Regiae Majestati, et Sacro ejusdem Diademati observandam, Testibus jurandum innueret. Quin imo

7. Si occasione Homagiorum Fidelitatis Majestatis Vestrae Sacratissimae praestari solitum, (quod alias inter omnia Juramenta proxime solenne atque praecipuum est) Evangelici etiam si verba Religioni suae contraria non recitaverint attamen Sacratissimi Principes idem Juramentum benigne acceptare, et pro sufficienti agnoscere non dedignabantur, quanto magis Juramenta circa officia vel adtestationes occurentia, tanquam homagio fidelitatis minora acceptari, ac nequaquam difficultari deberent. Idque a fortiori

8. Quod dum in peculiarem Judaeorum Christum et Beatissimam Virginem blasphemantium formulam Judaismo conformem, positiva lege Status et Ordines Regni jam pridem consensere, neque ad Juramentum Judaeis contrarium eosdem adigere voluerunt, quanto aequius et eminentius Evangelicis Christianae fidei suae conformis et quidem quoad fundamentum Juramenti cum Dominis Catholicis communis libere relinquenda venit. Secus

9. Si Evangelici ad Juramentum Religioni suae contrarium stringi permitterentur, cuivis pro suo arbitrio per similia Juramenta eosdem divexandi, mulctarumque et birsagiorum aggravationibus onerandi via adaperiretur. Nam quoties verba Religioni suae contraria recitare renuerent, toties poenis obnoxii redderentur ac per consequens nulli Evangelicam Religionem profitenti de legali securitate constare posset. Hinc

10. Nec in Sacro Romano Imperio, nec in aliis Majestatis Vestrae

Provinciis Evangelicos ad formulam Juramenti Religioni suae contrariam compelli experientia docet.

11. Citatus autem Uladisl. Regis Decret. III. Art. 7 quia Pacificationem Viennensem praecessit, ideo in quantum formalitas Jurandi per Sanctos ad Evangelicos extendenda praetenderetur, in tantum in genere aliarum Regni Legum Religioni Evangelicae praejudiciosarum pro non obstante per Artic. I. ejusdem Pacificationis Viennensis declaratus haberetur. Imo

12. Dum Evangelici ad formulam jurandi per Sanctos adigerentur, non ad aliud quam praescriptum Legis adigi dici non potest, quoniam per hoc contra apertam Regni Legem ad ea quae Religioni eorum contraria sunt adigerentur. Vel maxime

13. Cum genuinus finalis hujus Articuli clausulae (Ne Evangelici ad ceremonias Religioni suae contrarias adigantur) sensus omne id complectitur, quod propriae Evangelicorum Religioni ex vi Professionis eorum contrarium est. Formalitatem autem per Sanctos Jurandi Dogmatibus Evangelicae Religionis contrariari evidens esset, eo ipso clausulam hanc Articuli ad formalitatem quoque Juramenti per Sanctos pro parte Evangelicorum legaliter extendi negari non posset. Hinc

14. Licet Juramentum non sit cerimonia, sed essentiale Religionis requisitum, inde tamen non sequeretur formalitatem per Sanctos jurare esse essentiale requisitum Juramenti. Quin potius

15. Si non diffitente V. Clero, Evangelici ad cerimonias Religioni suae contrarias cogi non possent, tanto minus ad id quod majus est, nempe Dogmati Religionis Evangelicae contrarium Juramentum.

16. Neque sequeretur non dedignari Evangelicos Nomina Sanctorum in Baptismo adsumere, ergo per Nomina Sanctorum jurare difficultare non deberent, quia Juramentum est cultus religiosae Divini Numinis in Testimonium auxilium et vindictam invocationis. In Baptismo vero Nominis Sanctorum assumptio praeter lavacrum Sacramentalis Regenerationis esset Actus, ad proprietatem denominationis Personae tendens, ita quoad delectum recipiendi Nominis in libertate Christiana constitutus, ut nec Domini Catholici semper Sanctorum insigniantur Nominibus, aut super eorum quorum Nominibus promiscue utuntur jurare necessario vi Religionis suae obligentur. Hinc quoniam Evangelici sicut ex specie factorum ad Punctum hocce videre esset, ad formulam Juramenti Religioni suae contrariam jam poenis, jam minis compelluntur, jam ea de causa ab officiis sive majoribus sive minoribus, aut aliis beneficiis civilibus excluduntur. Eo ipso supra citato Articulo XXV ad calcem palam contraventum fuisse comperimus.

Idcirco ne imposterum Evangelici cujuscunque status et conditionis sint, qualicunque tandem occasione et per quemcunque ad praestandam

formalitatem Juramenti Religioni suae contrariam compellantur, ea vero formalitate jurare renuentes ideo nullis poenis subjiciantur multo minus ab iis officiis aut beneficiis excludantur vi Legis humillime censemus.

Jam Sequitur ejusdem Diaetae de anno 1681 praecedenti connexive et contigue cohaerens Articulus XXVI in quo fundantur residua generalium Evangelicorum Gravaminum Puncta, itidem numero Decem, et quidem de Paragrapho in Paragraphum secundum verba Articuli procedendo.

CUJUS RUBRICA

De Templorum et Locorum pro iisdem aedificandis adsignatione.

Sequuntur Verba Articuli:

Ad haec Templa quoque per Augustanae et Helveticae Confessioni addictos aedificata et ritu Catholico nondum reconciliata per certos Commissarios adsignanda.

Est autem respectu hujus paragraphi Generalis Evangelicorum Gravaminis

PUNCTUM

in ordine et numero UNDECIMUM

De Templis per Evangelicos aedificatis et ritu Catholico non reconciliatis, Evangelicis adsignandis.

Unde apparet per incipientem voculam Ad haec aliquid Libertati in praecedenti Articulo XXV in genere omnibus et ubique ignobilibus non minus quam nobilibus concessa additum haberi. Non autem libertatem in Articulo XXV absolute concessam, ubi tamen etiam absque Templis, in aliqua Domo privata, vel sub Dio id peragi possit. Cum autem pro exercitii Religionis commoditate in Templis, Oratoriis Sacellis Capellis et Scholis consistente ad Articulum praecedentem XXV in articulo XXVI additum sit, ejusmodi additio haud in detrimentum prioris, sed in augmentum referri valeret, et Diplomaticam quoque satisfactionem intuitu Templorum concedit. Cui Articulo XXVI demisse insistendo tantisper dum futuris temporibus vel in Diaeta vel extra eam clementia suae Majestatis ex toto diplomaticam consequentur satisfactionem. Exordium

Articuli quamquam pronunciaret Evangelicis suis sumptibus aedificata, rituque Catholico eo tum nec dum reconciliata Templa cedenda et adsignanda venire. Verum tamen talia Templa et Capellas per Evangelicos aedificata, rituque Catholico ante conditum Articulum necdum reconciliata in nonnullis Comitatibus et locis occupata, usque ad praesens Articuli praescriptum et justitiae communis dictamen, unicuique suam tribuentis et restitui debere praecipientis.

Respectu cujus ex parte Ven. Cleri replicatum:

Si Articulus XXV sensu Evangelicorum omnibus et ubique absolutum et illimitatum exercitium admitteret, tunc esset incapax additamenti in Articulo XXVI expressi, quod si quidem reciperet, limitationem quoque recipere evidens erit.

Nam alias aut eadem esset exercitii libertas in Articulo XXV quae est in Articulo XXVI aut non? Si eadem evitari non posse, quod in praecitato Articulo XXV concessa libertas perfecta non sit, natura enim perfectorum nullum additamentum reciperet. Si non, eandem sequi debere distinctionem Publici et Privati, seu ut aliud sit liberum Publicum, aliud liberum Privatum Exercitium. Quia Templa non alio fine essent, quam liberi exercitii ergo. Et sicut ratio distincta est Templorum a locis Templis carentibus, ita etiam distincta ratio dari deberet Libertatis exercitii in Templis a libertate extra Templa.

Voculam Ad haec ad majorem limitationem intelligendam esse. Tandem quod praeterea Templa duntaxat per Evangelicos aedificata et ritu Catholico non reconciliata adsignanda essent. Alia vero, quae esto per ipsos aedificata ritu tamen Catholico reconciliata forent, manere debeant pro Catholicis.

Productum ex parte Evangelicorum sub literis E. et F. anno 1646 ita et Articulus 1647 cum in negotio Religionis confirmati non essent, quidpiam operari non valere.

Jus quoque Dominorum Terrestrium non solum ad corporalia sed et ad conscientias extendere, adeoque praetensam Evangelicorum libertatem sufferre posse.

Et paragraphum Articuli XXV: Ut nullus Regnicolarum in libero Religionis suae exercitio turbetur, item: alterum Articuli XXVI Paragraphum: Posthac vero nullae Templorum occupationes vel exercitii turbationes fiant, jurisdictioni Dominorum Terrestrium subesse.

Quibus cum Evangelicorum Gravamine ac partis utriusque pro et contra Replicis ad invicem confrontando et penitius examinando adinvenimus: Quod quia

Opinio Commissariorum. — 1. Articulus XXV de quo hactenus in praecedentibus Punctis numero decem actum est, teste claro ejusdem

contextu de libero Religionis exercitio, et quidem tali, quod a temporibus receptae Religionis Evangelicae semper Ministrorum intertentionem, et quarumvis functionum usum secum trahit, et per huncce ipsum Articulum XXV in ea quoque parte in qua videt medio tempore interturbatum fuit. Omnibus et ubique per Regnum illimitate et irrestrictim restitutum ac denique respectu cujus omnium in Regno Hungariae Evangelicorum, par et aequalis de jure est ratio, conditus sit.

Articulus vero XXVI praeter et ultra Universale liberum Religionis exercitium, ejusdemque usum adhuc pro ampliori Legis beneficio commoditatemque Templorum cum Parochiis, Scholis et Ecclesiarum proventibus, et quidem vel ex capite aedificationis quae nondum reconciliata fuere restituendorum, vel ex capite excisionis Locorum pro erectione vel fundamento tempore Diaetae Soproniensis habiti usus et possessionis articulariter stabiliti superaddidisset.

2. Hi duo Articuli sicut ab invicem separati et distincti ita etiam Universale liberum vi Articuli XXV Religionis exercitium, quod alias extra Possessionem et usum Publicorum Templorum seu Ecclesiarum ab aevo et quod excedit, peragi solet, a commoditate vi Articuli XXVI possessionis et usus publicorum Templorum, seu Ecclesiarum ad invicem distincta sint.

3. Ac licet in Puncto liberi Religionis exercitii, quantum ad jus et ipsum actum liberi exercendi Religionis exercitii, eadem et libertas exercitii in Articulo XXV quae in XXVI et utrobique idem finis, nihilominus tamen per hoc non est unum idemque utriusque Articuli legale beneficium respectu rei, quia vitute Articuli XXV liberum Religionis exercitium, non in publicis Templis, sive Ecclesiis, sed domo etiam aut alio loco privato exercetur. Virtute Articuli vero XXVI cum adaucto beneficio Possessionis et usus Publicorum Templorum, seu Ecclesiarum cum earundem Proventibus commodius peragitur, peragique potest.

4. Et hoc modo cum aliud sit articulare beneficium, et commoditas possidendorum et usuandorum Templorum, aliud in loco privato extra tale beneficium et publicam Templorum commoditatem libere exercere, hinc omnino distinctum esse intuitu commoditatis Templorum rationem a locis articulari possessione Templorum distinctis per se sequitur.

5. Ut sic libertas exercitii Artic. XXV. qua absoluta et irrestricta non respectu actus, sed respectu rei, id est intuitu solius Templorum commoditatis, recipit additamentum, quod comparabile esse ostendit distinctio inter libertatem et libertatis commoditatem. Missis proinde circa perfectum et imperfectum et absolutum, qua tale ratiocinationibus Philosophicis Legum Patriarum vestigiis insistendo.

6. Virtute earundem pro dilucidatione promissorum ex superabundanti examplificative adduceretur et remonstraretur quod videlicet Nobi-

litaris quoque praerogativae libertas, quamvis absque bonis etiam cuipiam perfecta sit ad mentem Tit. II. Part. II. attamen cum Nobili cuipiam bona quoque conferuntur, eadem ultra Nobilitatem quantumvis perfectam pro commodiori et magis conspicua subsistentia eidem penes superadduntur. Hujusmodi nihilominus bonorum additio uberiorem Nobilitaris Libertatis perfectionem nec limitaret nec tolleret. Adeoque par est liberi quoque exercitii ratio, quod licet in Articulo XXV omnibus Baronibus, Magnatibus et Nobilibus, civitatibus item oppidis et villis absolute concessum sit, attamen per Articulum XXVI modalitate ibidem contenta, superaddita Templorum commoditas et usus, universalem exercitii libertatem in priori Articulo concessam, nullo modo limitaret, restringeret aut imminueret, nisi additamenta loco diminutionis et favores legum pro aggravio censeri deberent, cum tamen neque naturalis ratio admitteret, ut ea quae in favorem alicujus adduntur, non augmenti, sed detrimenti vices obtineant.

7. Neque ex praemissis necessario inferri potest, aliud liberum Publicum aut liberum Privatum exercitium, quia distinctio haec ignota Patriis Regni Legibus imo iisdem et legali a seculo usui in magna Regni parte in hodiernum usque diem continuata, contraria est. Utpote respectu cujus in eo sicut in Actis Commissionalibus ex parte Ven. Cleri glossatum haberetur, illegali sensu ac genuina tam praetensa ejusdem distinctionis, quam horum binorum Articulorum proprietate indole et naturali distinctione, de quo jam in Puncto primo, respectu praetensi vero in conscientias Juris Dominorum Terrestrium in Puncto tertio. Item quod Articuli an. 1647 sicut in aliis ita in negotio quoque Religionis, ad instar reliquarum Legum confirmati sint in Puncto octavo ubertim tractatum fuisset hic rursus reiterare haudquaquam necessum existimavimus, verum eodem nosmet demisse provocamus. Tanto magis

8 Quod ex parte Ven. Cleri hunc in finem adducta neque ad materiam Puncto huic praefixi ex Articuli Paragrapho neque ad statum exinde deducti Gravaminis pertinere, verum ad restringendum liberi Religionis exercitii usum tendere, palam dignoscerentur.

Quippe quod hic Paragraphus satis diserte Templa illa quae per Evangelicos aedificata tempore Diaetae Soproniensis per Dominos Catholicos possessa, et nondum (adusque annum 1681) ritu Catholico reconciliata fuere, Evangelicis per Commissarios adsignanda sanciverit, et status Gravaminis hoc Puncto comprehensus praecise ad restitutionem Templorum per Evangelicos aedificatorum, et nondum tempore Diaetae Soproniensis reconciliatorum, vergeret, in dubium trahi nullo modo potest, quin imo hoc ipsum Ven. quoque Clerus diffiteri non valens formalibus his quod praeterea Templa per Evangelicos aedificata et ritu Catholico nondum reconciliata ipsis adsig-

nanda essent, alia vero, quae esto per ipsos aedificata ritu tamen Catholico reconciliata essent manere debere pro Catholicis recognovissent.

Hinc quoniam in specie factorum Evangelicorum Agentes hujusmodi ordinis, Templa Oratoria et Capellas seu Sacella, cum suis accessoriis circumstantialiter, vel quod a tempore Diaetae Soproniensis restituta non fuissent, vel jam a tempore illo occupata deduxissent.

Eorundem itaque succinctam seriem subnectere obligationis nostrae esse duximus ordine sequenti: Et quidem.

In Comitatu Thurotziensi: in Possessione Felsö-Zaturcsa Pribotz et Bella, Capellae in Also et Felsö Stubnya vero Templa.

In Comitatu Castriferrei: in libera Regiaque civitate Köszeg Templum Parochiale Hungaricum, et oratorium nationis Germaniae.

In Comitatu Posoniensi: in liberis Regiisque Civitatibus Posoniensi Templum Germanicum, in Foro Civitatis alias ad S. Salvatorem dictum, cum Gymnasio eidem immediate annexo, pariter et Hungaricum nunc Monialium Ursalitarum cum Bibliothecis et certa Domo, Szent Györgyense Templum Forense, Baziniense itidem Templum Forense cum sacello. In Modor Templum Germanicum, Tyrnaivae duo Templa alterum Aug. Confessioni addictorum S. Sanctae Trinitati dicatum pro nunc per Patres ordinis Trinitariorum possessum, alterum Helveticae Confessioni addictorum.

Oppidis item, in Samaria Templum Augustanae Confessioni addictorum cum uno oratorio per eosdem, altero per Helveticae Confessioni addictos, aedificatis. Nagy Levard Templum magna ex parte demolitum, et oratorium in locum ejus per Evangelicos exstructum.

Possessionibus: Felsö Szeli, Egyházfalva, Jóka, Sigárd Deaki, Szerdahely, Takson, Nemet, Jurab, Tsataj Templa.

In Comitatu Scepusiensi, in Possessionibus Abrahámfalva, Bethlehem-falva, Petrotz, Topusz, Gergo, Batizfalva, Templa quae etiam per inclitam Commissionem Tsahianam, prout et in possessione Ganotz Domus Parochialis cum terris, pratis et hortis Evangelicis restituta fuere.

In Civitate Leutschoviensi Parochia duplex cum Scholis.

In Comitatu Abaujvariensi, in civitate Cassoviensi Templum Helveticae Confessioni addictorum per Moniales ordinis S. Ursulae possessum, Schola et Parochia in allodium conversa cum appertinentiis. In oppido Sepsi Templum cum Parochia.

In Comitatu Sarosiensi, in civitate Eperjes Templum Hungaricum et Sclavonicum.

In Comitatu Gömöriensi in oppido Rosnyóbánya Templum Forense.

In Comitatu Trinchiniensi in oppidis Puchov, Kasza, Betzkó, in Possessionibus Kis Ujditza. Marikova, Lednitze. Koskotz, Kohanotz, Halusitz, Melsitz, Morva, Letzkó, et Sacellum Hatztzlihfalvense vacuum

In Comitatu Jaurinensi, in oppido ejusdem nominis interior Oratorium in profanos usus conversum et divenditum.

In Comaromiensi in oppido Rev Komárom Templum.

In Comitatu Mosoniensi in oppidis Ovar Templa, tam Aug. quam Helveticae Confessioni addictorum, Rajka nunc quoque utrobique desolata, Köptseny vacuum, Mosony Gallos, in Possessionibus Tzyndorf, Level, Nemet, Levél, Jágendorf, Liben, Szent Miklos et aliis.

In Comitatu Nitriensi in oppidis Vágujhely. Galgotz, Forense Sclavorum. Xenodochiale Hungaricum, desolatumque Germanicum. Item in Possessionibus ó Tura, Vagyotz, Hradek, aeque Templa et Sacellum.

In Comitatu Barsiensi Templum in Possessione Vitrye.

In Comitatu Liptoviensi Capellae in Possessionibus Okolitsna, Botrounik. Andrasfalva. Benekfalva, Nemet Poruba, Kokava.

In Soliensi in Civitate Karpona Templum, Oratorium Domus cum certo fundo Rotzkoviano.

In Comitatu Sopronensi in civitate Rust. vigore Divi Ferdinandi olim Imperatoris Privilegii aedificatum Templum cum accessoriis.

Et haec omnia et singula praevio modo enumerata per Evangelicos aedificata Templa et Capellae, cum universis Parochiis. Scholis, terris. item arabilibus, vineis et quibuscunque appertinentiis eorundemque accessoriis per eosdem Legatos collatis et comparatis intelligenda venirent.

Respectu quorum etsi in particularibus Replicis et Duplicis suis Ven. Clerus jam ritu Catholico potissimum propter administrata ibidem Sacra reconciliata fore partim non per solos Evangelicos, sed concurrentibus quoque Catholicis aedificata, partim nonnullis ex Dominis Terrestribus, compossessoribus Religionem Romano-Catholicam amplexos fuisse adseruissent, quia in possessione eorundem tempore Diaetae Soproniensis Catholici fuissent, ideo nec quicquam restituenda fore praetenderent.

Verum enimvero, siquidem tam concursus in aedificiis per Dominos Catholicos, quam reconciliatio quae intercessit simpliciter adserebatur, probataque non fuit. Sola autem Sacrorum celebratio et aliarum devotionum exercitium exemplo Arcium, Castellorum, Domorum, Tentoriorum, solennem illam ritualem Episcopalem reconciliationem non induceret,

quae etiam, si ne fors quod videlicet a temporibus Diaetae Soproniensis intercessit probari posset, nihilominus, quia naturalis proprietas voculae „Nondum" tempus praeteritum nempe ante annum 1681 et non futurum denotaret et exprimeret ac res in statu eo, in quo tempore conditi Articuli fuit, jure consideranda veniret, eo ipso successiva etiam solennis et ritualis reconciliatio, legalitatem restitutionis contra Evangelicos remorari et impedire nequiret.

Ad haec id quoque quod nonnulli ex Dominis Terrestribus et compossessoribus Nobilium medio tempore Religionem Romano-Catholicam amplexi fuissent, reliquorum compossessorum, et legali Evangelicorum Juri contra expressam publicae Legis Dispositionem nihil obstaret. Multominus possessio tempore Diaetae Soproniensis habita V. Clero suffragaretur, quia ideo quoniam prae manibus Dominorum Catholicorum ejusmodi per Evangelicos aedificata et nondum reconciliata Templa tempore Diaetae Soproniensis fuerant, ut per Commissarios adsignetur articulariter statutum fuerat, alias si prae manibus Evangelicorum Possessio eorundem Templorum fuisset, non fuisset opus sancienda restitutione, semper Commissarios adsignatione, quae proinde quia restituta non fuissent, eatenus ineffectuationem in quantum a tempore eo occupata sint, in tantum contraventionem Art. XXVI hujus respectu paragraphi fore comperimus.

Quapropter in praevia serie specificata Templa ex capite aedificationis et non reconciliationis vi Articuli hujus paragraphi Evangelicis, quorum Agentes probam partim mediantibus inquisitionibus, partim aliis liberalibus documentis per annexum produxerunt, restituenda, seu adsignanda humilime censemus.

PUNCTUM DUODECIMUM.

DE EXCISIONE LOCORUM PRO ERIGENDIS TEMPLIS, SCHOLIS ET PAROCHIIS.

Paragraphus secundus Articuli XXVI sonat in haec verba:

In aliis vero Locis juxta benignam Majestatis Vestrae Sacratissimae Resolutionem Loca pro aedificandis Templis Scholis et Parochiis erigendis pro commoditate eorundem Aug. et Helveticae Confessioni addictorum per eosdem Commissarios adsignanda ordine infra scripto decernuntur. Quemadmodum etiam in omnibus Regni Comitatibus et quidem signanter in Comitatu Castriferrei pro illis, qui Augustanam Confessionem sequuntur

in Demök et Nemes Tsö, pro Helveticae Confessionis vero incolis in Felsö Ör. In Comitatu Sopronionsi in Vadosfalva et Nemes Kér. in Posoniensi in Réte et Puszta Tedemes. In Comitatu Nitriensi in Nitra, Szeredahelly et Strasa penes Vagum. In Barsiensi in Simon et Szeletzen. In Soliensi in Osztraluka et Garamszég. In Turotziensi in Netzpali et Ivanykafalva, in Liptoviensi in Hibe et Nagy Palugya, in Arvensi Comitatu in Felsö Kubin et Isztebne. In Trinchiniensi in Szulov et Zai. Ugrótz. in Scepusiensi in Görgö et Toportz vel Batisfalva, non obstante quorumvis contradictione sunt permissa.

Sequitur Generale Gravamen.

Sed nec huic per omnia satisfactum esset. nam alibi nulla Loca excisa essent. alibi vero incommoda vel remota minusque sufficientia; alibi utcunque duntaxat demonstrata. ac ex eo quod circumstantialiter distincteque non excisa, consequenter quoad circumferentiam localitatis nec cognita essent in aliqua Possessione. licet articulariter denominata, propter defectum tamen Auditorum Evangelicorum remotius degentium. tam Praedicantibus et Magistris Scholarum subsistere. quam Auditoribus ex remotioribus locis eorsum accedere non modo nimis difficile, ac incommodum. verum plerumque vix possibile foret. Alibi in loco exciso Templi aedificatio impedita, imo etiam alibi in loco exciso Templi aedificatio impedita, imo etiam alibi loco articulariter denominatae commodioris Possessionis. in alia minus commoda fundus excisus haberetur. ac ex eo secundum hanc constitutionem pro necessitate et commoditate exscindenda et accommodata venirent.

Respectu cujus ex parte Ven. Cleri in Actis suis replicatum:

In antelatis XI Comitatibus eo quod loca denominata essent, eadem vel essent designata. vel non? Si designata non habere Evangelicos cur querulentur, si non pendere a gratia Regia an designentur?

Quod praeter similia denominata Loca velut in Nitriensi plura extra articularia tenerent Evangelici. quae Catholici restituenda peterent, idemque esse in aliis Comitatibus.

In Comitatu Barsiensi duo loca haberi articulariter designata, sed quia in Possessione Simonyi desiisset esse articularis ex eo quod Jus Dominorum Terrestrium idem sustulisset amplius in eodem Comitatu non possent praetendere alium locum. quia esset inanis clausula Juris Dominorum Terrestrium. Quod si propter sublationem ejusdem alibi deberet alter locus articularis exscindi potissimum cum ubique Dominorum Terrestrium Jus idem admittere vetaret.

Neque publicae Fidei ullum derogamen propterea fieri si similia loca

denominata et excisa Jure Dominorum Terrestrium pariter evanescant, quia id ex Articulo XXV salvum est.

Quibus cum verbis Articuli et Partis utriusque Rationibus et motivis ad invicem combinatis perpensisque et examinatis adinvenimus: Quod

Opinio Commissariorum Evangel. — 1. In specificatis XI Comitatibus ante an. 1681 plurima Templa Evangelicorum cum Parochiis Scholis et proventibus et beneficiis non contemnendis in tantum adempta et occupata fuisse, ut in quibusdam de numero XI Comitatuum pauca, in nonnullis vero paucissima per Evangelicos amplius possiderentur, usuarenturque, nemo est temporis illius superstes, quem lateat, latereque possit.

Quorum omnium legalem restitutionem dum Evangelici occasione Diaetae Soproniens. indefesse adursissent eorundem vero resolvenda restitutio contra positivas Leges ac praesertim Sacra Regia Diplomata denegari haud potuisset. Hinc articulariter relicta in salvo pro Parte Evangelicorum Diplomaticae Satisfactionis praetensione in futuris Diaetis prosequenda praeter et ultra actualiter tempore Diaetae Sopronieusis ab Evangelicis in his quoque Comitatibus possessa, quin in locum multorum ademptorum occupatorum et restitui petitorum certa loca pro erigendis Templis designentur et exscindantur, articulariter sancitum est.

2. Quae si pro necessitate et commoditate Templorum Parochiarum, Scholarum et accessoriorum. commoda et sufficientia competenter excisa fuissent, nullus amplius huic Gravamini superfuisset locus prout neque de designatis sufficientibus atque commodis quidpiam in continentiis Gravaminis contineri verum articulariter effectuationem effectuandorum efflagitari perspicuum est.

3. Respectu non designatorum autem an designari debeant? Non esse necessum ut Legis effectus praetextu gratiae Regiae in dubium vocetur. Aequanimis namque et plus quam paterna erga aeque fideles Regnicolas et Incolas Evangelicos Majestatis Vestr. Sacratissimae gratia et clementia in eo vel maxime iisdem affulsisset, quod non alio fine excelsam hancce Commissionem benigne ordinare dignata fuerit, quam ut Articuli in quantum necdum effectuati fuissent, effectuentur.

4. Et sicut gratia summorum Imperantium non tollit Legem, ita Lex non excludit gratiam. Ubi quippe gratia locum occupat, ibi sedem posuit Legum Justitia.

5. Ratione Templorum in Comitatu Nitriensi et aliis, quae Ven. Clerus qua extra se non articularia Evangelicos tenere et ideo restituenda praetendit, quod eadem non secus ac haec per Dominos Commissarios assignata omnino articularia sint. Neque legaliter nisi via facti ab Evangelicis adimi possint in puncto sequenti numero et ordine decimo sexto ad cujus Classem pertinet ex verbis Legis sufficienter dilucidabitur.

6. Respectu clausulae: Salvo Jure Dominorum Terrestrium satis ubertim actum est superius in Puncto tertio et quae ibidem de praetensa illegali clausulae hujus interpretatione dicta sunt, hoc quoque in Puncto ex parte Ven. Cleri confirmantur, dum in Comitatu Barsiensi locum in Simonyi articulariter denominatum Jus Dominorum Terrestrium sustulisse, alium autem pro eo adsignari non posse asserit, addendo pro ratione, cum ubique Jus Dominorum Terrestrium idem admittere vetaret, alias inanis esset juris Dominorum Terrestrium clausula, virtute cujus quod Jus Dominorum Terrestrium ad negotium Religionis et conscientias de Lege extendi non possit, modo dicta ex parte Ven. Cleri sufficienti sunt documento. Si enim Jus Dominorum Terrestrium loca articulariter denominata sufferre et liberum exercitium ubique vetare potest, eo ipso in negotio Religionis publicam fidem nullam, Pacificationes inanes. Sacra Divorum Regum Diplomata vana, et tot publicas Regni Leges ac ipsos denique Sopron. Diaetae articulos, quos Majestas Vestra Sacrat. tempore gloriosae inaugurationis Diaetaliter in Sacro verbo Regio clementissime confirmavit, et effectuandos constantissime decrevit, contra expressam Legum mentem, et positivam clementiss. Majestatis Vestrae Sacr. voluntatem (quod in perpetuum absit elusorias fore) ac prorsus a corpore Juris exulare oporteret. Quin imo

7. Si quidem in Regno nullus locus esset, qui respective in conformitate Patriarum Legum peculiarem quempiam sive Ecclesiasticum sive Secularem cujuscunque status et conditionis sit, imo prout liberae Regiae ac etiam Montanae Civitates bonaque Coronae ac etiam Fisci Regii Majestatem Vertr. Sacratissimam Dominum Terrestrem non habere. Hoc ipso praetenso V. Cleri sensu infallibiliter sequi deberet, quod omnes articuli in negotio Religionis frustra conditi fuissent.

Et quidem frustra Artic. XXV de libero Religionis omnibus et ubique per Regnum concesso exercitio ejusdemque usu, frustra XXVI de Templis, frustra ut aedificata per Evangelicos restituantur, frustra ut designata et denominata exscindantur, frustra ut tempore Diaetae Sopron. per Evangelicos possessa prae manibus Possessorum maneant. Neque amplius occupentur aut Evangelici turbentur, eo plane modo ut Articuli non solum elusorii, sed nulli ac contra omnium Legum apud quasvis Gentes principia, de non ente, quod cogitare nefas, conditi fuissent. Et profecto

8. Etsi clausula illa juxta suppositum Ven. Cleri, ideo expressae dispositioni Legis derogare deberet, ne elusoria sit, quanto magis publici pro Rege et Regno interest, ne Leges, Pacificationes, et Sacra Diplomata, quae omnia publicae fidei et auctoritatis sunt, vel maxime in negotio Religionis elusoriae reddentur, quarum finis teste earumdem claro contextu salus et tranquillitas perennis non autem eversio Articulorum. Cum sic

9. Vel exinde manifeste et immutabiliter videre est quosvis Dominos Terrestres sicut in aliis omnibus Regni Legibus Patriis ita et articulis in negotio Religionis naturaliter aeque et non alio fine conditis immediate subjectos esse et ad eorundem adimplementum atque observationem de omni jure obligari.

Hinc quoniam praeinsertus paragraphus loca pro commoditate erigendorum Templorum, Scholarum et accessoriorum idonea et sufficientia designanda determinasset: interea vero Agentes Evangelicorum in specie factorum seu particularium Gravaminum ad hoc Punctum humilime, quamvis magis circumstantialiter, attamen hic in compendium reducta repraesentassent. Et quidem

In Comitatu Soliensi in possessione Garamszeg exili et incolis fere destituta, Locus obscurus et incommodus in ripa fluvii Garam excisus habetur, ubi etiam aedificato oratorio ligneo, idem fluvius rapiditate sua ripas demoliendo in dies ruinam minatur. In Possessione Osztroluka Templum in an. 1681 per Evangelicos possessum, ante septem circiter annos per Plebanum eo tum Veterosoliensem clavi ablata occlusum, ac ob id ad hoc usque tempus in castello Familiae Osztrolutzki exercitium peragi debet.

In Comitatu Scepusiensi in civitate Kesmark Locus commissionaliter designatus per Reverendos Patres Paulinos restringi et limitari intenditur.

In Comitatu Posoniensi in Possessione Puszta Földemes nullus locus excisus, quin imo Evangelici pecunia emere fundum pro aedificando oratorio et accessoriorum coacti sunt.

In Comitatu Nitriensi in Strasa penes Vagum nondum loco exciso in Tornotz vel Sook.

In Comitatu Barsiensi in Szeletzen aeque locus nondum excisus et Templum 1681 per Evangelicos possessum ademptum, in Simony nondum exciso loco in Nemes Kosztolány commodus designandus demisse efflagitatur.

Haec itaque omnia respectu non admissae impeditae aut insufficientis excisionis Articulorum ineffectuationem a tempore vero designationis respectu subsecutae quocunque tandem ex capite sive occupationis, sive interturbationis contraventionem et abusum Legis esse comperimus.

Ac proinde ut in praemissis de subsecuta congrua et adaequata articulariter effectuandorum effectuatione et abusuum sublatione, praeinserto Articuli paragrapho, de congruo et condigno satis fiat, humilime censemus.

PUNCTUM DECIMUM TERTIUM.

De Jure Templorum in Comitatibus hocce paragrapho nominetenus Specificatis habitorum, ac ex capite tempore Diaetae Soproniensis actualis fere omnium possessionis et usus per Evangelicos articulariter possidendorum.

Ex sequenti tertio Articuli XXVI paragrapho, qui sic sonat:

In aliis vero Comitatibus, veluti in Szalaiensi, Veszpremiensi, Jaurinensi, Komaromiensi, Abaujvariensi, Sarosiensi, Zempleniensi, Ugotsiensi, Beregiensi, Tornensi, Gömöriensi, Borsodiensi, Hontiensi, Nográdiensi, Szolnok et Heves, nec non Pest Pilis et Sold Unitis, item Zaboltsiensi, Ung et Szathmariensi, si quidem de praesenti essent in actuali usu omnium fere Templorum ibidem habitorum, ideo, eadem pro actualibus eorundem Possessoribus usuanda relicta sunt.

Sequitur generale Evangelicorum Gravamen.

Quantopere tamen violata sit ab an. 1687 praescripta Lex, remonstrat facile numerosorum in memoratis Comitatibus a tempore ejusdem Diaetae Sopronieus. interventa Templorum nostrorum occupatio et ademptio, quae omnia pro nobis eo tum actualibus Possessoribus relicta esse evidens ac extra omne dubium foret: ac cum ejusdem Articuli modo citata constitutio omnium Templorum possessionem penes Evangelicos tanquam actuales in anno 1681 eorundem Possessores reliquisset, nullo modo aut aliquo sub praetextu, sive Jure praetenso Dominali, sive quod loca nominetenus non specificarentur, eadem occupari potuissent. Sufficeret namque integros Comitatus in genere nominari et exprimi, qui omnes et singulas partes in ambitu suo quaquaversum comprehenderent, ut omnino quaevis loca, oppida, villae in individuo beneficio Possessionis Templorum, in quorum actuali Dominio in saepius dicto anno 1681 perstiterint ulterius, quoque iisdem uti fruique possint ac debeant.

Respectu cujus Evangelicorum Gravaminis ex parte Ven. Cleri in suis commissionalibus Actis et Scriptis repositum reperitur:

Quod clausula praenotata non tam late patenter et simpliciter, verum in conformitate praecedentium et subsequentium aliarum quoque ejusdem Articuli clausularum ostendentium Particulis connexivis, quemadmodum in omnibus Regni Comitatibus item modo praevio sit intelligenda, nimi-

rum de Templis per Evangelicos aedificatis, aut etiam ritu Catholico non reconciliatis in quorum usu Evangelici fuere.

Et quod hoc ita debeat intelligi deducitur ex Articuli primi Pacificationis Vienens. an. 1606 Paragrapho ultimo: Absque tamen praejudicio Romanae Catholicae Religionis et ut Clerus, Templa et Ecclesiae Romano-Catholicorum (id est per eos aedificata, vel ritu Catholico reconciliata) intacta et libera permaneant. Hinc omnia alia ab usu Evangelicorum esse exempta, quia Explanationes Regiae hoc Puncto denotatae, Templa ad commissionis exitum usuanda reliquissent, adeoque usus ille tantum ad tempus restrictus fuisset. Praeterea

Quod neque Evangelici de aliorum Templorum occupatione querulari possint, nisi si qua post Diaetam Soproniens. absque Mandato Regio, vel Jure Dominorum Terrestrium Catholicorum sive confiniorum ratione cessante, aut aliis legitimis ex rationibus in generalium Gravaminum Ven. Cleri Instantia contentis, ad quos scil. Ven. Clerus in hoc Puncto provocasset, occupata fuissent.

Cum primis autem Ven. Clerus objicit, quod Evangelici tempore Diaetae Soproniens. extra Possessionem praetensorum Templorum fuissent, hocque ex Actis ejusdem Diaetae patere, in quibus multa Templa essent apposita, quae eo tum Catholici possedissent, jam vero propria Acta facta, et oris fassio mille testes repraesentarent.

Insuper quantum se Evangelici provocarent ad Testium etiam Catholicorum fassiones, id Juri naturali repugnare etiam contra expressa Sopronensia Acta, Evangelicorum vero fassiones in causa propria simpliciter nihil valere.

Circa quae Praemissa Partium passim in Commissionalibus Actis, ab utrinque allegatis, Legibus, motivis, et rationibus in trutinam sumptis, examinatisque adinvenimus: Quod si quidem

1. Secundum clara supra citata Articuli XXVI verba in supra adducto Paragrapho, de nomine specificati Comitatus, et ex ea ipsa ratione quod videlicet Evangelici tempore hujus conditi Articuli, actuali usu circa omnium fere Templorum et accessoriorum fuissent, ideo etiam ex capite tunc possessionis in reali possessione et pacifico usu eorundem relicti, ac taliter ut imperturbate maneant articulariter conclusum et decretum est. Hinc

2. Clausula haec articularis secus intelligi non potest, quam prout clara verba sonarent, quae si quidem absque omni exceptione atque modificatione, et per consequens indiscriminatim Templa eo tum per Evangelicos possessa prae manibus Possessorum relinquenda sanxisset, frustra secus ex parte Ven. Cleri glossaretur, quasi vero ea duntaxat

Templa intelligi deberent, quae per Evangelicos aedificata, et ritu Rom.-Catholico nec dum reconciliata fuissent nam ex fundamento aedificationis et non reconciliationis juxta clausulam in praemisso Puncto XI per expressum contentam de distincta ad invicem Templorum classe, et quidem tempore Diaetae Soproniens. non per Evangelicos, verum Rom.-Catholicos possessorum aperte loquitur, nam illa tanquam per Evangelicos aedificata et per Dominos Romano-Catholicos occupata, sed ritu Catholico nondum reconciliata, Evangelicis restituenda, haec vero tanquam videlicet aliunde publica fide mediante, vi Pacificationum, Sacrorumque Regiorum Diplomatum, ac per tot et tantas Regni constitutiones jure optimo jam ab olim per Evangelicos possessa, ex fundamento tum quoque habitae possessionis pro iisdem relinquenda, neque ullo aedificationis discrimine aut reflexione habita amplius ab ipsis ullo pacto adimenda, articulariter declaratum est. Ita

3. Clausulae: Quemadmodum etiam in omnibus Regni Comitatibus, cum praecedentibus et consequentibus recte combinata ad solam vel locorum pro aedificatione Templorum excisionem, vel Templorum ex capite aedificationis et non reconciliationis restitutionem restringi haudquaquam potest, verum ad universas ejusdem Articuli subsequentes inter se distinctas speciales clausulas pertinet. Respicit namque non tantum pro

(1 Comitatus illos in quibus loca pro aedificandis Templis exscindenda. Sed etiam

(2 Comitatus in Paragrapho Puncti praesentis Specificatos, ac per

(3 Comitatus sive specificatos sive specificari omissos indifferenter ut sic per voculas: In omnibus Regni Comitatibus, nullus sive nominatus sive non nominatus a beneficio praesentis Articuli excludatur.

Item Clausula: modo praevio, secundum expressum verborum contextum, semet ad clausulam Paragraphi praesentis: In aliis vero Comitatibus etc. refert, quia tam hujus, quam eundem subsequentis: Templa demum, incipientis Paragraphi, unum idemque est; nempe actualis tempore Diaetae Soproniensis habita Possessio, legale Principium et fundamentum, ac per consequens neque prior clausula: modo praevio, neque posterior: In aliis vero Comitatibus, tanquam de jam possessis per Evangelicos sonantes ad Templa per Evangelicos aedificata et ritu Catholico non reconciliata, quae tanquam per Evangelicos nondum possessa eisdem adsignanda veniebant referri aut restringi. Quoniam illa unica clausula: Ad haec Templa quoque per Aug. et Helveticae Confessioni addictos aedificata assignata et ritu Catholico nondum reconciliata per certos Commissarios eisdem adsignanda, non constituit Art. XXVI, verum idem Articulus, qui eodem in Paragrapho: Ad haec Templa, incipit, sed in verbis: sal-

vis semper eatenus Legibus Regni Diplomate Regio firmatis, desinit, sicut contra vim vocis et Articulorum verba infertur clausula, sed distinctis ab invicem et suo modo atque ordine connexive cohaerentibus decem clausulis in totidem Generalium Gravaminum Evangelicorum Puncta ad praesentem Artic. XXVI. seorsive et sigillatim reassumptis in simul contextus et compactus habetur non obstante enim eo, quod omnes Articuli hujus clausulae, de una eademque materia sonant. Nihilominus tamen diversae rationis respectu ad unum eundemque tendunt et vergunt scopum, quippe distincta conditione et sorte possessionis Templorum, quoad comitatus et civitates sancitas fore membratim Articulo insertus earundem contextus, ita clare ostendit, ut necessario ad invicem distinctorum distincta sit ratio, neque contra expressam dispositionem Legis insimul confundi possint.

4. Cum itaque hoc Puncto praeinsertus Articuli XXVI Paragraphus pro fundamento manutentionis Templorum actualitatem Juris possessionarii in an. 1681 habiti, ita per expressum statuit: Ne posthaec ullae Templorum Scholarum occupationes sub poena in contravenientes statuta fiant, adeoque non pro tempore solum, sed in perpetuum Possessoribus usuanda Evangelicis, ut permaneant, sola Particula: Post haec, tanquam indefinitum tempus denotans exprimeret, et sine clausula: In aliis vero comitatibus etc., a praecedenti de undecim Comitatibus sonante diversum statuens. nullamque ab eadem dependentiam habens, non dependenter sed suo distincto ordine connexive ad eam se habet, sed nec paritas ab undecim Comitatibus ad omnes Regni Comitatus respectu Templorum induci valeret cum non omnium Comitatuum par, sed ex fundamento Possessionis tempore Diaetae Soproniensis habitae, quoad numerum et actualitatem possessionis Templorum distincta foret ratio et conditio, contra expressam vero Legis dispositionem, in similibus similis ratio locum non habet, neque procedit ibi paritas, ubi disparitatem lex statuit, et determinavit: Ideo etiam praecise ad XI Comitatus exmissi commissarii profecti sunt. quoniam in his duntaxat, in quibus Templa paucis exceptis ut plurimum occupata fuerunt, loca exscindenda veniebant, non vero ad Comitatus in hocce Paragrapho specifice denominatos, quoniam in his Evangelici in Possessione Templorum jam habita articulariter relicti fuerant, ut si quidem Dominium seu Possessionem vi Legis publicae habebant amplius neque iisdem dari, neque adimi potuit: nihilominus effectuatione Articuli egebant.

5. Quare vero praenotata clausula Pacificationis: absque tamen praejudicio etc., sit adjecta, ipsa eatenus assecuratio et declaratio Diplomatica Divi Matthiae Archiducis Imperatoris deinde et Regis XXV Septembris 1606 Viennae emanata docet: Quod sicut omnia in ejusdem Pacificationis Vienensis Tractatu, bona fide acta,

ita etiam dicta clausula non mala fide adjecta esset, sed ut utraque Pars in sua Religione et exercitio et Templis, quae eo tum possedit, non turbetur.

6. Manifestum hunc sensum clausulae redderet Diaetalis an. 1608 Articulus 1, qui non obstante eo quod confessio Religionis Evangelicae tanquam vi dogmatum a Religione Romano-Catholica distincta, eidem praejudiciosa censebatur. Nihilominus liberum Religionis exercitium sponte et benevole acceptare volentibus Comitatibus, oppidis et villis concessit. Unde nunquam eandem clausulam intellectam esse, prout Ven. Clerus vellet, pateret. Nam

7. Si sensu Ven. Cleri eadem clausula intelligi deberet, non solum ille Pacificationis Articulus, sed et omnes Leges in negotio Religionis conditae inanes esse contra fidem et pacta publica deberent, nec liberum Religionis exercitium, sed nullum, multo minus templorum possessio et restitutio admissa fuisset. Cum tamen

8. Ipse Pacificationis Viennensis Articulus in verbis ad calcem: Ea quae hoc disturbiorum tempore utrinque occupata fuere rursus restituantur, sanxisset, non tantum Catholicorum sed et Evangelicorum Templa, sub iisdem disturbiis occupata restituenda. Sed et

9. Ipsos Dominos Romano-Catholicos Episcopos, qua Diplomatis Regii et Articulorum executores occupata per Romano-Catholicos Templa Evangelicis qua legitimis proprietariis restituisse, Acta Annorum 1646 et 1647 scriptis Evangelicorum copialiter producta ac commissioni exhibita testarentur. Quin imo non Evangelicos Dominorum Catholicorum, sed Dominos Catholicos Evangelicorum Templa occupasse et possedisse, occupataque et possessa restituere debuisse, tam ex Articulis, quam aliis eorundem annorum Actis plus quam manifestum evaderet.

10. Ubi vero Ven. Clerus legitimas rationes propter quas hoc Puncto specificata Templa occupata fuissent in generali suorum Gravaminum et respective suae Replicae instantia se dedisse affirmaret et eatenus ad eandem Instantiam semper provocaret, a Parte quoque Evangelicorum e contrario ad ibidem membro octavo datas Replicas facta est provocatio. Si quidem occasione Actorum Cleri, utriusque Partis recensebuntur et combinabuntur rationes, tam respectu Mandatorum, quam Neoacquisticorum, imo respectu praetensi juris Dominorum Terrestrium in puncto supra tertio, respectu autem rationis confinii Puncto subsequente XIV id factum dignosceretur: hicce repetere easdem supervacaneum foret, et alias in eversionem Legis tendens ratio, stante Lege, pro legitima obverti et censeri nequiret.

11. Quantum ad consignationem seu ad seriem ademptorum et occupatorum Templorum tempore Diaetae Soproniensis per Evangelicos

exhibitum attineret, eandem nec V. Clero deservire nec Evangelicis obficere posse remonstratum est sequentibus.

I. Si ea tempora, quae Gravaminibus per Evangelicos occasione Diaetae Soproniens. repraesentandis ansam praebuere, revolvantur, in comperto erit, propter injuriam variorum bellorum ac intestinorum motuum, diversas passim et primum quidem per Dominos Catholicos ab Evangelicis, dein vero ab utrinque intervenisse Templorum cum suis accessoriis occupationes, quarum causa dum Evangelici partim propter varias intermedii temporis illegales transactiones et illegitimas Reversales (sicut idem Ven. Clerus sub finem Memorialis sui Actorum Diaetae Soproniensis in verbis: Nonnuli recenter contra expressa et benevola suae transactionis Puncta Ecclesias violenter occupare nihil pensi duxerunt, meminit), partim propter metum subsequendae ne fors occupationis non obstante possessione. Nihilominus de ulteriori ejusdem jure et imperturbata futura permansione, haud securi fuissent, ideo facta etsi minus accurata in statu nondum pacati Regni occupationum commemoratione, restitutionem eorundem non tam ad factum possessionis jam aliunde habitae, quam Diplomatici Juris publica quoque lege, ut non amplius turbarentur stabiliendam, solidandamque urgebant, et solicitabant. Quod ipsum

II. Articulus quoque XXVI an. 1681 evidentissime comprobaret, inter alia exemplo Comitatuum Sarosiensis-Tornensis, Zemplenensis Aba-Ujvariensis et aliorum, in quibus partim omnia partim potissima in serie Actorum, quamvis inter occupata Templa connumerabantur, attamen idem Articulus quod Evangelici in iisdem et reliquis ibidem connumeratis Comitatibus in omnium fere Templorum usu et possessione actu eo tum exstiterint, manifeste recognovit et confirmavit. Jam autem

III. Cum in omni proba Leges publicae tanti essent vigoris et invincibilis firmitatis ut secundum verba Tit. XV. Prolog. Tripart. contra eandem probatio minime admittatur, hinc quia Acta Soproniensia, uti in praemissis exemplo Comitatuum Saros, Torna, Zemplin et aliorum remonstratum, partim omnia, partim potissima inter occupata enumerant. E converso vero Articulus Evangelicos in antelatis Comitatibus in omnium fere Templorum usu, Possessione tempore Diaetae fuisse clare asseveraret: Ideo evidentissimum foret, contra publicae Legis manifestum testimonium ex iisdem actis depromptam probam praetensam, nullo modo subsistere posse. Ulterius

IV. Ex iisdem Actis Evangelicorum argumentum Ven. Clerus idcirco quoque inducere nequit, quod sub eadem Diaeta aeque in facto possessionis Ecclesiarum mediante Memoriali suo modernae suae intentioni e diametro contrarium egerit, sicut inter alia videre esset ex propriis ejusdem V. Cleri actis. Nimirum

Ex parte Evangelicorum in serie occupatorum enumerabantur.	Ex parte Ven. Cleri his contrarium asserebatur obvertendo. Et quidem.

In Comitatu Liptoviensi.

Ecclesiae circiter. XLIV.	E contra non nisi duas Catholicorum, Evangelicorum XLVI reperiri Ecclesias.

In Comitatu Szathmáriensi.

Templa in Arce Szathmár, et oppido Etsed, Gyarmat Tarpa, Gyenge.	Praeter Fortalitia Szathmár et Etsed, ne nomen quidem Sacerdotis audiri, Templum nullum per Catholicos possideri.
In Comitatu Zemplenien.: Ecclesiae circiter CXV ac inter eas Hanusfalva, quae nunquam ad eundem Comitatum Zemplen verum Sáros pertinebat. In Comitatu Ungvariensi: Ecclesiae circiter XXXVIII. In Comitatu Beregiensi: Ecclesiae circiter XII. In Comitatu Abaujvariensi: Ecclesiae circiter LXV.	In iisdem Comitatibus: Zempleniensi. Ungvariensi. Beregiensi. Abaujvariensi. Sacerdotes vix aliquos, Praedicantes multos esse.
In Comitatu Scepusiensi: Ecclesiae circiter XIX. In Comitatu Tornensi: Ecclesiae circiter XXVII. In Comitatu Gömöriensi: Ecclesiae circiter XLIV.	In iisdem Comitatibus, utpote Scepusiensi. Tornensi, Gömöriensi. Praeter Civitates Liberas et pauca oppida Parochos raros, eosque in dumetis, occultis latebris delitescere, et cum periculo vitae curam Fidelium habere posse, Praedicantes vero clam et palam stante etiam Diaeta introductos.

Qua ex ratione praetensum probandi modum ex eadem enumeratione, cui ipse Ven. Clerus in contrarium agebat, obvertere non posse, proprium ejusdem enumerationi contrarium factum evinceret. Nam de Regula Juris 153 fere, quibuscunque modis obligamur, iisdem in contrarium actis liberamur, cum quibus modis acquirimus, iisdem in con-

trarium actis amittimus; imo juxta Regulam Juris 188: ubi pugnantia inter se inveniuntur, neutrum ratum est. Hinc accederet

V. Quorum ipse etiam Ven. Clerus in modernis Actis et praetensis Gravaminibus suis Templa prae manibus Catholicorum existentia per Evangelicos possideri affirmaret sibique restitui praetenderet, uti esset inter alia.

In Comitatu Szathmariensi Templum in possessione Tsinálos.

In Comitatu Castriferrei in Felsö Mesteri, Káld, Egyházas, Hollos.

In Comitatu Sarosiensi in Kakasfalva, Veresvágás, Jakabfalva. Ac praeterea in eodem Sarosiensi, Garlatots, Medrántz, Popie, Lobitztratz nominat, quorum ibidem nec fama exstat.

In Comitatu Abaujváriensi, in civitate Cassoviensi, in possessione Bártza et oppido Szepsi.

In Comitatu Borsodiensi in Harsány.

In Comitatu Zempleniensi in oppido Tokai et Patak, Possessionibusque Mogyoroska et Király Helmetz.

Nihil mirum itaque si per Evangelicos quoque tempore Diaetae Soproniensis, ubi propter praeviam Partium in possessione Templorum mutationem, potissimum causa futurae securitatis in serie occupatorum enumerabantur Templa. Quae tamen eo tum per Evangelicos possessa fuisse ex Lege publica, contra quam uti praemissum est probatio non admittitur constat. Imo ipsa quoque possessio vi Articuli longo usu roborata id ipsum manifestum et innegabile redderet.

VI. Non tam de necesse, cum Lex per se clara ulterioris probae adminiculo non indigeret, quam ex superabundanti, ea in parte, illorum, quibus res et circumstantiae temporis apprime constant, constareque possunt, et debent, et quidem in quantum fieri poterat etiam Catholicorum juratis Fassionibus et Testimoniis in Inquisitionibus commissionaliter productis contentisque remonstratum est, quod talia Templa, quae in serie Actorum Soproniensium inter occupata enumerabantur Evangelici eo tum possederint. Accederet haec pro

VIImo. Quod nec ipsa Acta, quae sunt praemissa, ut quampiam authenticam scripturam, sed ut seriem querelarum et simplicem annotationem pro ratione tumultuosorum illorum temporum exhiberent, ideoque prout nunc edoctioni obnoxia erant, ita aeque tunc a proba dependebant.

VIII. Quia adducta series occupatorum et ablatorum per Evangelicos, coram Commissariis pro restitutione restituendorum deputandis uberius et clarius specificari appromissa erat, quod ipsum ejusdem seriei adjecta clausula testatur. Accederet quod

IX. De omni in publicis Actis recepta consuetudine confessio in similibus instantiis facta potest declarari ac praetextu erroris corrigi et emendari.

X. Aliud quippe esset aliquid enunciative aliud dispositive confiteri, aliud in vigore et solemnitate judicii parte altera confessionem alterius acceptante, aliud in Actis publicis, et quidem parte altera negante; ac hinc proprium foret negotiorum publicorum, ibidem rei gestae veritas potius quam desuper narratio spectetur. Ea propter

XI. Quoties Instantiae quaedam querelas in se continentes in publico proponerentur, pro comperienda rei veritate, et taliter administratione justitiae, si stante Diaeta non complanatur et effectuatur, vel ad ordinariam, vel ad Commissionalem viam remitti solere, plurimarum Diaetarum copiosissimi Articuli ostendunt.

XII. Nec eadem series per recenter sub Lit: B. in annexo, in generalium Gravaminum instantiae productionem ratificata dici potest, cum ex tenore praemissae memoratae Instantiae novissimae Evangelicorum apponeret: eandem fuisse annexam continuam querelarum remonstrationem simul et cum cautela addenda addendi, corrigenda corrigendi, saepius in Memorialibus Evangelicorum repetita. Cui accedit

XIII. Quod et literalia Documenta super usu et possessione licet solemniter et rite emanata, ut tamen penes ea usus doceretur, requirunt sensu Tit. 82, 86 Part. 1, Oper. Decret. Tripart. tanto magis simplex specificatio, sive possessionem, sive violentam ejectionem referens, in quantum virtutem et efficaciam ea habere debeat, edoceri deberet.

XIV. Quia igitur de possessione quae non excedit memoriam humanam, in qualibus negotiis ad mentem Tit. 39. 47 et 82 Part. 1. Oper. Decr. Trip. Kitonitsianae Directionis Cap. 6. Quaest. 2 testes admitti solerent, cum circa ea, quae essent facti, nulla melior proba fieri posset, quam per testes, quorum vocibus certiores efficimur quam scripturis erroneis et simplicibus.

XV. Nec obstat Ven. Cleri objectio, quasi vero in negotio Religionis nec Catholici nec Evangelici, qua interassati attestari possent. Quia nullibi in Lege ex discrimine Religionis attestari regnicolae prohibentur, neque enim de Religione seu fide intra se, sed de facto circa Religionem prohibenda veritate adjurarentur. Nam

XVI. Si haec praetensa per Ven. Clerum allegata interessentia a prohibendo in negotio Religionis, quoad possessionem Templorum veritatis testimonio, alterutri, vel utrique Religioni addictos excludere posset inconvenienter jam consequeretur: quod omni testimonio et probae adminiculo contra ipsius aequitatis principia, in quacunque Religionis causa Evangelici frustrari deberent. Cum palam constet in tota

Hungaria ejusmodi testes reperiri non posse, qui alterutri non essent addicti Religioni.

XVII. Sed et ipse Ven. Clerus testaretur contrarium, dum in modernis Commissionalibus Actis semet ad testimonia provocaret, adeoque objectam praetensae interessentiae difficultatem facto proprio tolleret. Quod enim V. Clero licet, cur id ipsum non liceat Evangelicis? aequalis instantiae ratio non permitteret.

XVIII. Denique quanto certius est, juratas quascunque fassiones esse validiores simplicibus assertionibus vel connotationibus, adhuc a proba et examine dependentibus, tanto evidentius, quod Romano-Catholicorum vel et Evangelicorum, quibus optime veritas possessionis constat juratas Fassiones contra se majus, quam simplex Evangelicorum consignatio contra eosdem in omni jure robur et pondus obtinere deberet.

XIX. Et profecto innegabile est: veritatem melius constare potuisse iis, qui certam scientiam habebant et oculis cernebant possesionem Evangelicorum, quam qui absentes ex auditu forsan et nudis relationibus quapiam connotarunt.

Hinc quoniam in specie factorum Puncto hoc per Agentes Evangelicorum intuitu Templorum partim ab an. 1681. post Diaetam Soproniens. partim ab an. 1715 occupatorum series prolixior repraesentata fuisset. Ejusdem succinctam Specificationem subjungimus. Et quidem

In Comitatu Szaladiensi post an. 1715. in oppido SzentGrot duo Templa in alio vero Szegvár oratorium, in Possessionibus item Szent György Völgye, Nemes Nép, Millei.

In Comitatu Veszpremiensi itidem post an. 1715 in oppido Veszprem Templum Parochia et Schola, in alteroque oppido Papa, quanquam Templum ab Helveticae Confessioni addictis possideatur ab exercitio tamen in eodem peragendo sunt prohibiti; in Possessionibus Fok, Teszer, Ösi, Vanyola.

In Comitatu Jaurinensi in Possessionibus Sokoru, Kajár Gömörö, Raba sz. Mihály, Nagy et Kis Barati Moritzhida, Szentivány, Pér, Mezö örs, Tápi sz. Miklos, Tap, Pázmand Nyalka.

In Comitatu Komáromiensi in Possessionibus Motsa, Aszar, Baj Templa; oratorium autem in Kis Béer et nonnullis aliis in locis.

In Comitatu Abaujvariensi, in oppidis Szepsi, Göntz in Possessionibus Somodi, Horvati Nagy Bodolo, Kis Bodolo, Beszter, Makrantz, Enyitzhe, Barka, Szátsa, Hejtze, Mislye, Arka, Bodohö, Ujfalu, Rozgony.

In Comitatu Sarosiensi in oppido Nagy Sáros, in Possessionibus Medje, Orkuta, Nyárs-Ardo, Görgö, Luka, Uszfalva, Szent György, Felsö Sebes, Siróka, Kis Sáros,Váralya,

Boroszlyó, Bordamér, Delete, Pétsi-Ujfalu, Plavintza, Nagy-Vitez, Tarkö, Hrabkö, Ternye, Szene, Szent Mihály, Kajáta, Litsérd, Lapis-Patak, Sebfalva, Mohniya, Sárpataka, Rokito, Ternye, Kis-Vitez, Berzevitze, Kosztolány, Ketzer, Pekliny cum filialibus Lipotz, Mudrotz, Bunyita, Ratatskö, Tiszite, Felsö Volya, Szedlitze, Kovatsány Szokolya, Kis-Falu, Jakoris, o falu, SzenyeUjfalu, Arany Pataka, Rihváld, Herváltö et Tiba, Finta, Szedekerte, Nagy Szilva, Veres Alma.

Post annum autem 1715 in oppido Hanosfalva, Possessionibus Peter Vágás, Kapi et Ketzer, Pálvágás, Bisztra, Hermany, Kaprontza, Orszöts, Varjufalva, Kohány, Karatsva Mozö, Valpataka, Luthe, Lofalva, Lipotz, Maltzö, Lenartö, Osztro Pataka, Bogdány, Senyik, Radáts, Dobo, Tot Selmetz, Berki, Berzenke; Szutsa, Dolina, Szentimre, Veresvágás, Thuhrina, Buhár, Izletjo, Hankotz, Bétsallya, Jakabfalva, Tartsa, Viszoha, Somos, Szent Peter, Kahasfalva.

In Comitatu Zempleniensi Templum, oppidi Talya, Parochia et Schola cum beneficiis, Mád, Erdó Benye, Tartzal, Tokaj, Bodrog Keresztur, Liszka, Toltsva, Vamos Ujfalu, Olaszi, Sátor-allya Ujhely, Varano, duo Templa, Nagy Mihályensia, Topolány, Sztára, Parochia in Tsep, Imreg, Bosany, Zeteny, Király Helmetz Rád, in Vehe pro Parochiali Residentia fundus propriis sumptibus per Helveticae Confessioni addictos comparatus, ademptus Szeg, in Szeredahely Templum extat desertum, Parochia occupata et haec quidem ex parte Helveticae Confessionis sunt adempta. Ex parte Augustanae Confessioni addictorum Templum oppidi Varano, Bottyan, Göröginye Tarnya, Leszkótz, Jankotz, Koles, Hosszumezö, Henkotz, Matyasotz, Salubinya, Jzbunya, Kutsinj, Körtvelyes, Tsaklyó, Komorotz, Sókut cum Thoa, Jesztre, cum filiali Agyagos, Lehasz, Tot Isep, Mihálykö, Dobráhvahoz, Nagy Dobota, Kis Dobota, Kosarotzinte manet occlusum, Tothajna, Benkotz, Szedlitzske, Mernyeh.

In Comitatu Ugotsiensi: in oppido Nagy-Szölös Templum cum domo Parochiali.

In Comitatu Beregiensi in oppido Munkáts unum, Beregszász duo Templa cum Schola et Beneficiis.

In Comitatu Tornensi in Almás, Köttvélyes, Görgö, Hidvég, Ardó, Vendég, Bartza, Lutzka, Aj Torna, Ujfalu, Udvarnok, Szilas, Szegliget, Jablontza, Tarna Kö, una cum Scholis et proventibus occupata.

In Comitatu Gömöriensi in oppido Rosnyo, duo Templa

Bethler, Nagi et Kis Verés cum filialibus Hentzkö, Turtzok, Domus Parochialis, Felediensis, Rekenye, Ujfalu.

In Comitatu Borsodiensi in Possessione Harsány et Sajo Sziget.

In Comitatu Hontensi in libera Regiaque Civitate montana Baka Bánya, in oppidis Báth et Börsöny, nec non in Possessionibus Sipik, Bel Szóh, Maros, Tsal, Keszihoz, Ziprits, Stefolro, Belnya Lihudha, Also Rakontza, Szakálos, Füzes Gyarmat, Hellenba, Felsö Sember, Méznevelö, Ilia, Antal Prentzfalva, Kormoso, Divitse ac alia nonnulla.

In Comitatu Neogradiensi in oppido Fülek oratoria, in Possessionibus Nagy Oroszi, Balassa Gyarmat.

In Comitatu Hevesiensi Templum Gyöngyosiense per Helveticae Confessioni addictos aedificatum ac per Dominos Terrestres tam Evangelicos quam Romano-Catholicos dotatum, cum omnibus beneficiis occupatum, item oppidi Jaszbereny dirutum.

In Comitatibus Pest, Pilis, et Solt in possessione Szent Marton Kata, Felsö et Also Nemeti, Mogyorod, Szada, Veresegyháza, Kis sz. Miklos, Hartyán.

In Comitatu Szaboltsiensi in Kersenye post an. 1715.

In Comitatu Ungvariensi Templum Ungvariense, vulgo Also Templum vocatum, in oppidis Kis Kapos, Nagy Kapos, Palotz cum filialibus Vintariensia duo occapata.

Post annum autem 1715 in Ör, Darno, Homok Tsaplotz Gejötz, Szörse, Kis-Rát, Dobo Ruszka, Matyotz, Szenna.

In Comitatu Szathmariensi in libera Regiaque civitate Nagy Bánya duo Templa, in oppido Felsö Bánya unum, in Possessionibus Girot Totfalu, Dobravitza et Magyar Kekes.

Itidem in Comitatu Neogradiensi in Kosd, Verötze, et Notintz, ubi Plebanus Catholicus sub ipsa Commissione introductus, in Tsesztve a frequentatione Templi sunt Evangelici exclusi.

Contra expressam autem Gravamini huic praeinsertae articularis clausulae determinationem, et positivam ejusdem dispositionem in ibidem nominatis Comitatibus, non obstante eo quod velut partes in toto, et species in genere, Evangelicorum prae manibus perpetuo usu relicta fuissent, et vigore alterius clausulae: Post haec vero nullae Templorum Scholarumque et Parochiarum occupationes fiant, sub poena decretali ne occupentur prohibitum esset. Eadem Evangelici tempore Diaetae Sopron. possedissent, ac insuper ad possessionem hujusmodi comprobandam Evangelicorum Agentes ex superabundanti etiam inquisitiones produxissent. Attamen in serie specificata Templa, cum Parochiis, Scholis et accessoriis, quae sive per saepe dictas Commissiones, aut earundem subdelegatos, Mandatarios, sive per

Camerae Hungaricae aut Dominorum Terrestrium officiales, sive per venerabilem Clerum, aut alios quoscunque vel quocunque modo et praetextu e potestate Evangelicorum a tempore Diaetae Soproniensis post an. 1681 et quidem tam ante quam post ultimam an. 1715 Diaetam in praesentiarum usque adempta et occupata fuisse, ac per hoc expresso Articuli XXVI tenori palam contraventum esse comperuimus.

Ac proinde praespecificata Templa cum Parochiis, Scholis, ac quibusvis appertinentiis et beneficiis intuitu hujus articularis Paragraphi ex capite tempore Diaetae Soproniensis, per Evangelicos habiti, usus et possessionis iisdem legitimis Possessoribus Evangelicis restituenda et assignanda de justo et aequo humilime censemus.

PUNCTUM DECIMUM QUARTUM.

De Confiniis Respectu quorum sonat paragraphus Articuli XXVI in ordine quartus in haec verba:

Praeterea in confiniis Regni et quidem in Generalatu contra Canisam in Szent Grot in Generalatu Jaurinensi, in Tikány, Vasony, Papa, Veszprem, Jaurini, Komaromii, in Generalatu ante montano. Leva, Carponae, Fülekini, in Generalatu Superioris Hungariae in Putnok, Onad, Szendrö, Tokaj, Kálló, Szathmár, ex quo Templa in locis ibidem specificatis pro Evangelicis relicta haberi eluccesceret.

Sequitur generale Evangelicorum Gravamen tenoris sequentis:

Quod per occupationem et ademptionem quam plurimorum locis praemissis Templorum, Scholarum et Parochiarum exercitiique turbationem, tam legi quam libertati communi, et vel maxime eorundem locorum, admodum sit contraventum.

Intuitu cujus ex parte Ven. Cleri reponitur:

Paragraphum hunc Articuli pro ratione temporis confiniorum resolutum haberi, quod quia jam desiissent esse confinia, et Militia Hungarica confiniaria, cujus Articul. 1 an. 1606 Pacificationis Viennensis et 1. an. 1608 ante coronationem mentionem facerent, itidem evanuisset, adeoque causa causae cessasset, ideo etiam causatum Evangelicorum

utpote, liberum exercitium cessare debere: rationemque articularem in hoc passu etiam vigore resolutionum an. 1691 ex praedicta ratione pariter evanuisse, consequenter redierunt ad jus Dominorum Terrestrium, quod in locis ibidem specificatis libere operari poterat, et posset ad occupationem non tantum Templorum, Scholarum et Parochiarum, verum etiam ad sublationem totalis Evangelicorum exercitii.

Quae cum Contra-Replicis Evangelicorum, ac reliquis Partis utriusque Actis, adductisque legalibus rationibus atque responsis ad invicem combinando provolvendo, et examinando adinvenimus: Quod quia

Opinio Commissariorum Evangelicorum. — 1. Tam in verbis Paragraphi specificatis, quam et reliquis confiniariis locis, etiam antequam confinia esse coepissent ex lege publica universale beneficium liberi Religionis exercitii competebat. Imo

2. Virtute ejusdem non tantum antecedenter et antequam confinia esse coepissent, sed etiam jam a tempore Diaetae Soproniensis, pleraque in usu aut Templorum aut liberi exercitii fuissent.

3. In iisdem confiniariis locis degentes, non intuitu solius confinii, sed velut Magnatibus, Nobilibus, aliisque oppidis et villis, non attenta conditionis qualitate, indiscriminatim virtute universalis concessionis liberum Religionis exercitium ejusdemque usus permissus sit, verba Articuli: omnibus et ubique per Regnum comitatibus, oppidis, et villis clare evincerent.

4. Ac licet in Articulo 1 an. 1608 ante coronationem expressa sit mentio Hungarorum, id tamen non ex alia, quam universali liberi exercitii ratione factum fuisse ibidem expressa vocula quoque aparte remonstraret, quod velut omnibus ita Militibus quoque, et quemadmodum ubique ita in confiniis quoque eundem liberum exercitii usum tribueret, neque ut causa libertatis, sed ut declaratio loci, in quibus praeter alia, quae jam nominata praecesserant, et nominanda sequebantur, erigeretur Templum, et hoc quidem ut utrique populo, et militari et civili seu oppidano aequaliter deserviat. Praeterea pro

5to. Quod particula seu Praepositio in (videlicet in confinio) contra naturalem sensum et significationem ac etiam constructionem sui, non denotaret causalitatem, ac si praetensive particula in summeretur pro qua velut (np. ut confinio, vel qua confinio solum concessum extitisset, liberum Religionis exercitium) quin potius localitatem, seu demonstrationem loci, ubi et in quo loco ad instar reliquorum Articul. XXVI Paragraphorum et locorum, similis pro aedificando Templo Evangelicis exscindenda commoditas concessa foret, indigitaret, significaretque, diserte patet. Namque pro

6to. Si veluti per Ven. Clerum obvertitur sola et unica sine qua

non confiniorum et Militiae ratio intercessisset, propter quam Universis Statibus et Ordinibus Regni, liberis quoque civitatibus, nec non oppidis et villis, idem liberum Religionis exercitium sponte et benevole acceptare volentibus legaliter concessum haberetur, sed quia praeter universalem publicae Legis sanctionem, alia dari non potest; ideo itaque veluti in toto Regno inque solis confiniis a solis Militibus Hungaris liberum exercitium et quidem ad tempus duntaxat durantis confinii concessum fuisse, neutiquam ex lege demonstrari poterit, ita cessantibus confiniis cessare debere liberum Religionis exercitium legaliter ex parte Ven. Cleri evinci nequit. Quippe pro

7mo Per id quod loca quaedam confinia esse desiissent, per hoc tamen civitates, oppida et villae, quibus universaliter liberum Religionis exercitium concessum est, esse permanereque nequaquam desierunt. Quin imo pro

8vo Leges de libero Religionis exercitio non ex privato erga hunc vel alium locum respectu, sed propter bonum Pacis et publicam tranquillitatem et per consequens publici causa conditas esse, Articuli per expressum testarentur. Hinc loca quoque eo tum confiniaria ex ratione Legis universali eodem gaudere deberent vel maxime. Quandoquidem

9. De tollendo in locis antehac confiniariis ob rationem cessantis confinii libero Religionis exercitio vel occupandis Templis nulla Lex sancita haberetur. Quin imo

10. Cum antepenultima Articuli XXVI clausula, mediante Paragrapho (Posthac vero nullae Templorum Scholarum et Parochiarum occupationes vel exercitii turbationes ab utrinque sub poena in Artic. VIII Ulad. Decret VI expressa fiant) omnes occupationes Templorum claris et disertis verbis prohibitae haberentur, ideo si in genere nullae praescriptae occupationes vel turbationes fieri possunt, qua ratione in specie aliquae admitti valeant, vera et genuina tam clarae Legis et prohibitivae clausulae Articuli ratio nullo modo admitteret.

11. Si semel concessa libertas citra expressum Legis statutum et dispositionem tolli deberet, nullus in Jure suo tutus et securus esse et permanere posset. Quibus accedit

12. Si ex sola ea ratione, quod confinia exstiterunt et esse desierunt, ex supposito Ven. Cleri Templa occupari vel liberum Religionis exercitium tolli deberet, manifestae est sequelae complura confiniaria loca, et eorundem inhabitatores, eo tum pro Rege et Patria vitam et fortunas discrimini objicientes, quod longe deterioris conditionis redderentur, quam ea, quae extra similium periculorum jactum constituta tantas vicissitudines et discrimina non subiissent. Nihilominus actualitate legalis possessionis gauderent, cum tamen confinia et successores eorum in

gravissimis periculis per copiosam sanguinis effusionem pro meritorum premiorum loco, turbationis et ademptionis Templorum poena manere deberet.

13. Sed veluti clementissimis Regibus de se et Republica Christiana bene meritos eorundemque successores premiis decorare potius, taliterque ad majora quaeque excitare maxime consentaneum, justissimum usuque receptum esset, ita post exantlata confiniorum et effusi sanguinis discrimina, universali lege vetitam sicut exercitii turbationem, ita Templorum occupationem inibi attentari munificentia Regia, supremaque justitiae ratio non permitteret.

14. Caeterum de Resolutionibus an. 1691 in praeliminio Gravaminum et de praetenso Jure Dominorum Terrestrium in Punctis signanter superius tertio et proxime praecedenti duodecimo ad diluendas ex parte Ven. Cleri reiteratas rationes repraesentata quin sufficiant, nulli ambigimus.

Hinc quoniam in specie factorum Puncto hoc per Agentes Evangelicorum intuitu confiniorum hic in compendium missa Templorum et Oratoriorum ab an. 1681 post Diaetam Soproniens. occupatio repraesentata haberetur taliaque essent:

In oppido Szent Grot: Oratoria August. et Helveticae Confessioni addictorum propriis sumptibus aedificata ac a memoria hominum per eosdem possessa, via facti adempta.

In oppido Tihany: Oratorium Helveticae Confessioni addictorum, a memoria hominum adeoque ipso etiam an. 1681, per eosdem possessum cum Parochia schola aliisque accessoriis per Rever. Dn. Amadaeum eo tum Abbatem Tihanyiensem non curato etiam contractu eatenus inter ipsum et oppidanos inito, via facti ante proxime sopitos motus ademptum.

In oppido Privilegiato Papa: Oratorium Parochiamque et scholam, quarum fundi a duobus fere seculis in possessione Evangelicorum exstiterunt, actu quidem possident Helv. Confessioni addicti, clarisque oratorii prae manibus eorundem habetur; tamen cultum divinum non in oratorio, verum in certa alia curiali Domo peragere coguntur.

Augustanae vero Confessioni addicti, quamvis proprio aere certam Domum Curialem pro commoditate cultus Divini comparassent; attamen numerosorum Militum cum adsistentia via facti Domus Curialis occupata Iudaeis exarendata et jam per eosdem in stabulum conversa.

In oppido Veszprem: Oratorium Helveticae Confessini addictorum una cum Parochia et schola non pridem occupatum Augustanae vero Confessioni addictus nullus adhuc locus pro Templo Parochia et schola excisus.

In Privilegiato oppido simul et Praesidio Jaurinensi:

Quanquam adhuc in an. 1647 vigore Articuli IX per expressum determinatum haberetur, ut ibidem Jaurini Ministri Evangelicorum intra

moenia habitare et in Domo concionari possint; tamen id ipsis non permittitur, licet aegrotorum inque repentinis casibus constitutorum summa efflagitaret necessitas, quin imo extra Dominium Domus comparatae propriis sumptibus ibidem habitae et via facti ademptae hodiedum existerent Evangelici.

In Privilegiato oppido Rev Komarom: Licet praeterea quae in Puncto II. vigore Articuli IX an. 1647 concessa Evangelicis sunt. uberius expositae essent. In alio quoque fundo Helveticae Confessioni addicti oratorium aedificassent ac usque an. 1683 possedissent; August. vero Confessioni addicti loco oratorii, certae Domus commoditate pro cultu Divino usi fuissent, verum contra Articulum supra scriptum pulsis utriusque Confessionis Ministris ab eodem tempore reaedificatio oratorii ususque ipsis non admittitur.

In oppido Leva: quamvis tam Templum quam Parochiam in qua nunc ipsorum Minister resideret actu etiam possiderent Helveticae confessioni addicti, verum circa an. 1719 ab usu ejusdem Templi inhibiti sunt.

In Libera Regiaque civitate Carponensi: 3500 circiter floren. per Evangelicos aedificatum Templum, Parochia et schola post Diaetam Sproniensem occupata, ac expost aedificatum aliud oratorium Domusque et fundus cum rebus argenteis et aliis mobilibus in Puncto XVIII fusius specificatis.

In oppido Tokaj: Templum, Parochia et schola propriis sumptibus Helv. confessioni addictorum aedificata et vineae tredecim, post an. 1681 circiter quatuor annis cum universis beneficiis comparatis, in Puncto XIII uberius declaratis militari assistentia mediante sunt occupata contra intentionem tam acquisitorum quam Testantium, nondum restituta.

In oppido Fülek: oratoria tam August. quam Helv. Confessioni addictorum per eosdem usuata, una cum campanis per ipsos comparatis aliisque beneficiis adempta sunt.

Quae praemissa quia contra tenorem Paragraphi occupata ademptaque fuissent, contraventionem Legis esse comperimus ac proinde ut modo praevio adempta et occupata Templa et oratoria, Domusque cum quibusvis accessoriis prioribus suis Aug. et Helvet. Confessioni addictis Possessoribus restituerentur. nec non Papensibus, Levensibus, Helvet. confessionis, cultus Divinus in Oratorii propriis (quae quidem possident, sed sub praetextu resolutionis in statu quo usuare non permittuntur) libere exercendus permittatur. reliqua vero confiniorum loca veluti Jaurini Szendrö et alibi, ubi Evangelici utriusque confessionis de praesenti quoque in usu persistunt, imperturbate permaneant, ac denique taliter Paragrapho huic, ex innata Majestatis Vestrae Sacrat. gratia et clementia satis fiat, demisse censemus.

PUNCTUM DECIMUM QUINTUM.

De Excisione locorum pro aedificandis Templis Parochiis et Scholis in Liberis Regiis, pariter ac Montanis Civitatibus.

Ex Paragrapho in ordine quinto cujus formalia haec sunt:

In Liberis vero civitatibus, utpote: Posoniensi August. Confessioni addictis liceat aedificare suis sumptibus Templum unum in Suburbio in loco per eosdem commissarios designando Civitas vero Soproniens. maneat in possessione seu exercitio Suae Religionis, quam modo profitetur, neque in hoc turbetur. Ac tandem in liberis ac Montanis civitatibus utpote Trintseniens, Modiens, Kremnitz, Novisoliens. ac in superiori Hung. omnibus itidem comitatibus, similiter loca pro aedificandis Templis Scholis et Parochiis assignanda concluduntur.

Sequitur generale Evangelicorum Gravamen.

Quod hae etiam denominatae Civitates saepe turbantur, dum ut plurimum Commissionibus Cameralibus in negotio Religionis contra positivas Patriae Leges variis modis impediuntur verum ne his quidem locis pro Templis, Parochiis et Scholis, ubique commodi et sufficientes fundi excisi, ac dantur etiam excisi in quibus aedificare Templa Evangelici praepediuntur, imo in aliis nonnullis civitatibus specifice in articulis non denotatis plane adhuc nulla essent assignata pro erectione Templorum et accessoriorum loca.

Ad quae ex parte Ven. Cleri summarie reponebatur:

In Rubrica Articuli quadrimembrali contentas Civitates Poson. nimirum et Soproniens habere contentum articulare prout et in aliis nominetenus specificatis excisa loca esse, imo supponi et in partibus superioribus civitatibus eo tum existentibus (exceptis neoliberatis quae Articulum non ingrederentur) factam fuisse excisionem.

Quod si autem vel vetarentur in excisis locis aedificare aut quoquo modo regulari viderentur per Commissarios Regios, id licere suae Majestati absque ulla Articulorum laesione libere exercere qua Principi et qua Domino Terrestri in peculiis suis.

Ubi autem nulla essent assignata loca in civitatibus in Articulo non denominatis, ratio esset, quia non omnes essent articulares; ideo nec loca exscindi debebant, sed nec exscindenda praetendi possent vel ex eo

quia attenta Articuli clausula: ac in omni superiori Hungaria omnibus itidem civitatibus, terminus „Ly" omnibus praecise ad superiorem Hungariam restrictus esset.

Igitur in aliis partibus Regni Civitates ex Articulo exmissae publicum exercitium praetendere non possent, sed privato duntaxat, idque etiam sine praejudicio Romano-Catholicae Religionis, quod beneplacitum adhuc Regium concesso Religionis suae exercitio contentae esse deberent.

Quae praemissa cum statu propositi Gravaminis eidemque subnexis et in aliis Commissionalibus partium Actis adductis legibus et rationibus perpensis, consideratis, examinatis, adinvenimus: Quod quia

Opinio Commissariorum. — 1. Etiam eae Civitates, quae nominetenus oppositae non sunt cum ibidem nominatis Civitatibus, iisdem Juribus Privilegiis ac immunitatibus gaudent; ideo neque a beneficio habendorum Templorum liberique Religionis exercitii usu excludi posse. Namque

2. Pares in conditione et statu paresque in Fide et fidelitate erga Regiam Majestatem, Sacramque Regni Hungariae Coronam, pari quoque clementia et beneficio vi benigni Diplomatis Regii frui et gaudere deberent valerentque. Quod ipsum

3. Et publici boni ratio exigeret, quippe omnibus per Regnum communiter Notorium, qualiter liberae Regiaeque ac etiam Montanae Civitates, alias Regiarum Majestatum Peculia per et propter liberi Religionis exercitii usum et Templorum concessionem, omne incrementum et permansionem, imo ad invidiam usque florebant et locupletabantur. E converso vero eatenus turbatae et impeditae cum evidenti publici totius Regni ac cum primis Majestatis Vestrae Sacratissimae aerarii detrimento, deficerent et decrescerent, quin imo pessum irent, prout exempla conplurima ad notitiam publicam viva perhiberent testimonia. Quibus accederet

4. Quod et neolibertatae aut libertandae civitates superioris Hungariae, si quae ne fors Templa aut oratoria non possiderent beneficio Articulari civitatibus competenti frustrari nullo modo possent, cum veluti Nobilium, ita Civitatum quoque una eademque censeretur libertas, quae si uni prius alteri vero serius conferatur inaequalis aut minor alterutra dici nequit. Hinc

5. Ubi contra manifestum articulorum tenorem, imo contra expressa verba legis, et positivam Majestatis Vestrae Sacrat. declaratam mentem per Camerales pro restauratione Magistratuali expeditas Commissiones, et vel maxime non attento eo quod negotium Religionis Juris publici sit. Nihilominus in aedificatione Templorum Scholarum et Parochiarum aliisque accessoriis turbantur Evangelici, id Majestati Vestrae Sacrat. (cujus in observandis legibus innatam sanctimoniam ac plus quam paternam clementiam Christianus admiratur et veneratur orbis) quoquo modo imputari

non posse Sanctum et immutabile credunt, statuuntque Evangelici, Sancta si quidem Regum fides, quicquid loquuntur oraculum est, et quodvis eorum verbum pondus habet. Eo magis quod

6. Majestas Vestra Sacratiss. ea quae articulariter et diaetaliter sancta haberentur, sancte non solum semet observaturum, sed et quod per omnes alios observari faciet clementissime adpromittere dedignata haud fuisset. Ut sic dubium nullum sit, cuncta ea quae contra Leges publicas per quoscunque et sub qualicunque tandem praetextu attentarent, omnimode citra Legum Regumque mentem immutabilem fieri. Etenim vel solo naturalis rationis lumine

7. Nihil quicquam absque Articulorum laesione fieri potest, quod esset contra Articulos. Unde

8. Cum virtute Pacificationis Vienens. nunquam et nusquam turbandos voluerint Sacratissimi Reges Evangelicos, non subesse legalem causam, cur eosdem ex parte Ven. Cleri replicantes Reverendissimi Plenipotentiarii tam facile ac si nulla lex pro Evangelicis, ac eorundem publica perpetuaque in Regno permansione sancita foret et nullis amplius Pacificationum et Diplomatum praesidiis muniti atque provisi haberentur, ad beneplacitum quasi momentaneum restringi ac per hoc eliminari posse contra innatam prae caeteris August. Domus Austriacae clementiam aequanimitatem, justitiam, imo positivam benignam voluntatem publicis Regni Legibus ad notitiam omnium declaratam, confirmatamque inducere, et persuadere niterentur. Nam si nusquam et nunquam turbandi sunt, multo minus eliminandi. Ad haec

9. Clausula: Ac in Superiori Hungaria, omnibus ibidem civitatibus etc. reliquarum Partium civitates nequaquam excluderet. Nam

10. Si voculae: omnibus itidem civitatibus, in suo naturali sensu considerentur, manifestum est superioris Hungariae Civitates reliquis nequaquam opponi sed conjungi.

11. Vi vocabuli itidem proprie aequalitatem semper et paritatem significantis, quicquid superioris Hungariae Civitatibus tribuitur, id reliquis quoque tribuatur, paritatis et aequalitatis ratio efflagitaret. Cum et alias vel ideo, quod civitates in genere Articulo insertae habentur, operae pretium haud erat universas et singulas enumerare, seu de nomine specificare. Hinc quoniam ex parte Evangelicorum contra praeinsertum Articuli paragraphum, secundum seriem in specie factorum deductam, et hic succincte subnexam demisse repraesentata essent, respectu civitatum sequentia. Et quidem

In Comitatu Castriferrei in civitate Guntziensi.

In Comitatu Sopronionsi in civitate Rust.

In Comitatu Posoniensi in civitatibus, Szent György, Bazin et Tyrnavia.

In Comitatu Zoliensi in civitate Carponiensi.

In Comitatu Gömöriensi in oppidis Rosnyo Banya et Josva.

Quamvis ad menten Puncti numero undecimi vigore Articularis Paragraphi primi, ex capite aedificationis Templa Evangelicis ibidem specificata, qua per Evangelicos aedificata cum suis accessoriis, sicut nunc praetenditur restitui debuissent, nihilominus neque pro erigendis Templis Parochiis et scholis loca assignata et excisa, vel potius Templa illa per Evangelicos aedificata restituenda humilime expetuntur.

In Comitatibus vero Barsiensi et Hontensi, in liberis Regiis ac Montanis Civitatibus in Belo Bánya, Baka Bánya et Uj Bánya. Nec non

In Comitatu Zoliensi in Civitatibus liberis Regiisque Veteresoliensi, et Briznensi, ac Montana Libet Bánya.

Loca sufficientia pro erigendis Templis et accessoriis exscindenda demisse efflagitantur.

In Comitatu Trentsiniensi, in civitate ejusdem nominis, posteaquam in loco articulariter exciso, oratorium Parochia et schola per Evangelicos aedificata, sub praeteritis motibus in cineres redacta et solo aequata fuissent, aliud in eodem fundo oratorium ex meris duntaxat materialibus ligneis facile dum et quando disjicibile aedificari coeptum, per loci commendantem impeditum, materialiaque pro eodem aedificando convecta in Arcem ablata, rursusque obtento Domini attunc Loci commendantis consensu, postquam memoratum oratorium erigere coepissent per Judicem Civitatis inhibiti fuerunt, taliterque legali hoc beneficio destituti in privatae cujuspiam erga gravem annuum pensum, conductae Domus area propter intemperiem aëris obtecta, non sine incommoditate, brumali praesertim tempore exercitium suum aliunde (ut ex praemissis patet) satis constrictum adhucdum continuare coguntur Evangelici. Non secus

In Comitatu Sarosiensi: Eperjesini in loco commissionaliter assignato, hactenus erecti angusti oratorii vel extensio et pro sufficienti commoditate fienda ampliatio non permittitur, desunt Ministris quoque aedes. Quorum aedificia libere prosequenda et ad perfectionem perducenda atque amplianda humilime iidem Eperjesienses Evangelici supplicant.

In Comitatu Abaujvariensi in civitate Cassoviensi Evangelici utriusque Confessionis oratoria sua procul a civitate aedificare coacti propter longinquitatem et importunitatem itineris in frequentandis iisdem variis obnoxii sunt incommoditatibus imo interea exorto intra moenia incendio non parum damnificatos fuisse tristis experientia docuit, et sub retroactis nefariis tumultibus saepius quoque vitae discrimini expositos fuisse palam constat. Pluvioso vero tempore tam propter aquarum exundationem, quam et nimium lutosam viam nisi equis et curribus vehantur secus cultui Divino vacare non possunt. Hinc August. Confessioni addicti

locum intra moenia pro aedificando Templo exscindendum, Helveticae vero Confessioni addicti Templum propriis sumptibus aedificatum restituendum supplicant.

Circa quae praemissa respectu praeinsertarum liberarum Regiarum ac etiam Montanarum civitatum, quoad nondum subsecutam excisionem Articularis Paragraphi hujus in effectuationem; quoad interturbatam vero in locis commissionaliter jam excisis aedificiorum prosequendam continuationem et amplificationem, manifestam Legis Contraventionem et abusum esse comperiimus.

Ac proinde ut in civitatibus pro specificatis aut templa per Evangelicos aedificata et non reconciliata ad mentem Puncti XI iisdem restituenda, vel si eorum legalis restitutio praeter omnem spem implorari non posset, loca pro erectione Templorum, Parochiarum et Scholarum sufficientia exscindenda.

In civitatibus vero ubi loca commissionaliter jam excisa sunt, aedificia libere prosequenda clementissime disponere Majestas Vestra Sacratissima non dedignetur, demisse censemus.

PUNCTUM DECIMUM SEXTUM.

De Jure Templorum in genere una cum Parochiis Scholis Proventibusque eorundem in quorum actuali possessione tempore Diaetae Soproniens. fuerunt Evangelici. Ita et usu sepulturae et Campanarum.

Ex eodem Articulo XXVI in quo super omnia et id statueretur in Paragrapho sexto formalibus.

Templa demum in quorum actuali possessione sunt iidem August. et Helveticae Confessioni addicti de facto, modo praevio prae manibus eorundem, una cum Parochiis Scholis Proventibusque eorundem propter bonum Pacis, ut nimirum quiete et pacifice vivant, relinquuntur. Usu Sepulturae et Campanarum pro Catholicis ibidem degentibus aeque ac ipsis libero relicto.

Sequitur generale Evangelicorum Gravamen.

Quod licet satis clare hocce Articulo mediante statutum fuisset, ut quae et qualia Templa, una cum Parochiis Scholis et eorum Proventibus occasione celebratae Diaetae Soproniens. non solum in quoquo modo

nominatis sed et nominari omissis Comitatibus etiam Clementia Divina et victricibus suae Majestatis armis acquisitis imo et civitatibus quam plurima fuissent in quorum nimirum actuali et pacifico usu Evangelicos eo tum perstitisse et nunc quoque in parte persistere est in comperto. Nihilominus tamen, quam aperte eidem contraventum sit Documentum esset plurimorum Templorum, Parochiarum, Scholarum beneficiorum et Proventuum post eandem Diaetam Soproniens. impune hactenus facta ademptio et occupatio in locis autem plurimis Sepulturae et Campanarum usus pro Evangelicis vel absoluta denegatio vel vero non secus, quam ad libitum Dominorum Plebanorum solitam taxam excedentis exactio.

Intuitu cujus Evangelicorum Gravaminis ex parte Ven. Cleri in Replicis ac Duplicis reponeretur:

Quod clausula illa potius de Comitatibus loquitur, sed etsi de Comitatibus Articulo tamen exmissis intelligenda esset, et hoc cum ea consideratione, si per ipsos aedificata et ritu Catholico nondum reconciliata fuerint.

Comitatuum Neo-acquisticorum (in quibus Jus Patronatus supremum sua Majestas sibi reservasset,) in Articulo qua talium nulla esset mentio, adeoque nec eo trahi, vel quidpiam in iis praetendere possent Evangelici.

Praeterea contra possessionem tempore Diaetae Sopronensis habitam per Evangelicos allegata Diaetae Sopronensis Acta, eoque tempore factam consignationem occupatorum et ademptorum Templorum obverti, usum denique Sepulturae et Campanarum pro locis duntaxat articularibus permissum haberi, hinc in locis aliis, aut omnino denegari, aut erga majorem solutionem concedi posse.

Imo et in locis articularibus pulsum Campanarum non nisi cum praescitu Plebani Catholici competere.

Quibus inter se collatis ac utriusque partis quoad praemissum Gravamen Commissionalibus scriptis et Actis examinatis et ponderatis adinvenimus: Et quidem

Respectu possessionis et usus Templorum. Quod

Opinio Commissariorum Evangelic. — 1 Praeinsertus Articuli XXVI paragraphus in ordine Sextus Titulo Possessionis et usus Templorum tempore Diaetae Sopron. habitum pro fundamento articularis Juris posuit et decrevit. Et hoc quidem pro

2. Per absolutum universaliter et in genere, ut sic Lex generalis, generaliter etiam accipienda veniat, cujus generalitas tanto limpidius patet, quanto expressius clausula haec ab aliis distincta, non obstante eo, quod videlicet jam in Paragrapho primo ex capite aedificationis et non reconciliationis restituendorum.

Paragrapho secundo ex capite denominationis in XI Comitatibus exscindendorum pro erigendis Templis locorum, Paragrapho tertio ex

capite Possessionis in Comitatibus per expressum specificatis, seu denominatis tempore Diaetae Sopron. habitae, Paragrapho quarto de confiniis, Paragrapho quinto de excisione locorum in Comitatibus satis diserte sancitum fuisset. Nihilominns hic praescindendo ab ulteriori per classes specifica enumeratione in verbis: Templa demum absque ulla distinctione et exceptione, in genere concluderet: Ut Templa in quorum actuali possessione Evangelici tempore Diaetae Soproniensis erant prae manibus eorundem maneant. Quamobrem indiscriminatim de Templis per Regnum in Comitatibus, sive specifice denominatis, sive non nominatis sive Neo-acquisticis per Evangelicos usuatis et possessis, loqui ex verbis Legis evidens et innegabile est.

3. Et sicuti in Puncto XIII praeinsertus Paragraphus: Quemadmodum etc. quoad Templa eorum Comitatuum, qui Comitatus ibidem nominantur, ita hic Paragraphus: Templa demum etc. tanquam aliis eundem praecedentibus generalior, sive in nominatis, sive non nominatis et Neo-acquisticis, Regni Comitatibus oppidisque et villis non rationem aedificationis Templorum sed praecise solius sub Diaetae Soproniens. habitae possessionis usum pro recensione et revindicatione Templorum substratum haberet. Hinc

4. Si juxta suppositum Ven. Cleri haec quoque Clausula de Templis per Evangelicos aedificatis et ritu Catholico non reconciliatis per Commissarios assignandis etc. intellecta fuisset, vel nunc intelligi deberet, tunc contra evidentiam et Juris et Facti, totus hicce Articulus XXVI ex solo Paragrapho primo, de quo in Puncto secundo actum est, et non eundem adhuc subsequentibus, ab eodem distinctis residuis Paragraphis IX constaret utpote quibus hoc modo nec opus fuisset, sed verba Articuli XXVI jam in terminis assignanda desiissent. Ast quia totus Articulus ex Paragraphis seu clausulis X constat, et finaliter in verbis: Salvis semper Regibus et Articulis Diplomate Regio firmatis, desinit, diversorum vero diversa esset natura et ratio, ideo expressa Legis dispositio neque negari, neque in alium quam verba sonant sensum transfundi potest. Vel maxime

5. Quoniam clausula haec: Nulla habita aedificationis reflexione, de Templis per Evangelicos usuatis et possessis prae manibus possessorum relinquendis statuta fuisset, non vero de Templis per Evangelicos aedificatis et non reconciliatis loqueretur, quia ejusmodi aedificata Evangelicis ideo per Commissarios assignanda erant. Quia tempore Diaetae Soproniensis prae manibus Dominorum Catholicorum fuerant. Quibus accedit pro

6. Si secundum Regulam 136: Bona Fides tantumdem possidenti praestat, quantum veritas, quoties Lex impedimento non est. Quanto magis ubi nulla penitus Lex Evangelicos in usu et possessione Templorum tempore Diaetae Soproniensis habitae impediret,

vel impediendos concederet, quin potius aperte in possessione ejusmodi stabiliret, pro illegitima et minus Articulari possessione censeri posset.

7. Quod Loca pro aedificatione Templorum in XI Comitatibus sint denominata. id ipsum reliquis per Evangelicos ante et tempore Diaetae Soproniensis possessis haud derogaret. multo minus per hoc Templa haec legitimi Juris Evangelicorum esse desierunt. quin sicut in undecim Comitatibus designata aeque articularia non sint, contrarium hac ipsa articulari clausulae sanctione positione ac per expressum distante et praecipiente in eo quod nimirum virtute ejusdem Templa et Parochiae prae manibus Evangelicorum tempore Diaetae existentes optimo et quidem publico Jure iisdem competant. Ut sic ex capite Possessionis Universalis per Regnum quilibet locus in cujus usu et possessione Evangelici tempore Diaetae Soproniensis perstiterunt et re et nomine articularis sit eo plane modo veluti Loca denominata exscisa. inter quae videl. et haec, nulla alia differentia, quam quod haec ex fundamento possessionis. pro Evangelicis articulariter ubique relicta, illa vero in XI Comitatibus praeterea ipsa tempore Diaetae jam possessa loco ademptorum per excisionum denominationem superaddita sunt. Ac tandem

8. Quandoquidem vigore Articularis Paragraphi primi Templa per Evangelicos aedificata et ritu Catholico non reconciliata licet Diaetae Soproniens. tempore prae manibus Dominorum Catholicorum habebantur, nihilominus Evangelicis ut per Commissarios assignentur sancitum est, quanto minus ergo Templa haec inter quae talia etiam, quae Evangelici aedificarunt. tempore Diaetae Soproniens. possederunt, neque pro reconciliatis praetendi possunt, reperirentur, adimi occuparique poterunt.

9. Praetensam Juris Neo-acquistici (respectu quorum Majestatem Vestram Sacratiss. Jus Patronatus sibi soli reservasse adstruitur) rationem, quod eadem in negotio Religionis in praejudicium Evangelicorum quidpiam operari posset, nulla Lex allegaretur, neque ex Lege doceri potest, quin imo dum occasione ultimae Posoniens. Diaetae, ut ad Neo-acquistica, universale Articulorum Soproniens. in Puncto Religionis Juris beneficium sub specie reservati Juris Patronatus non extendatur, ex parte Ven. Cleri adurgebatur Majestas Vestra Sacratissima pro Clementissima Articulorum manutentione per benigne impedire dignata est.

Respectu autem usus Sepulturae et Campanarum ex parte Evangelicorum remonstratum:

1. Quod hic Paragraphus Artic. XXVI. ejusmodi usum non magis Dominis Catholicis, quam Evangelicis indiscriminatim concedat. nec Evangelicos a beneficio tali Sepulturarum et Campanarum excludat.

2. Ita et Regium Diploma Articulo. 5 an. 1747 ejusdemque anni articulo decimo Evangelicis. hoc beneficium Sepulturarum et Campanarum quam luculentissime impertitur.

3. Sed non solum illegale esset, verum et contra humanitatis et Christianae charitatis officia foret, Sepulturae et Campanarum usum Evangelicis denegare.

4. Quippe qui nullius criminis in vita convicti ex solius professae Evangelicae Religionis causa eosdem honesta sepultura privare, Legibus et rationi repugnaret.

5. Quod enim vita durante liberum et Lege admissum, id post mortem in crimen in aggravium trahi non deberet. Cum et alias

6. Apud omnes Gentes tantus mortuis tribueretur honos, ut ne barbarae quidem Gentes, et nationes vel hostibus suis sepulturam inviderent, ipsa natura mortuos terrae condendos imperante, quae sicut nascentes excipere, natos alere soleret, ita denique a reliqua natura abdicatos complexu suo ut Mater operire deberet. Quanto igitur minis in Regno Legibus constituto et firmato Evangelicis Christianam Sepulturam impedire vel graves et insolitas solutiones ab iisdem exigere fas et aequum foret. Hinc

Quoniam Templa Parochiae et Scholae cum earundem proventibus non tantum ea, quae in Puncto XIII in Comitatibus in Paragrapho: In aliis vero Comitatibus etc. incipiente nominetenus specificatis occupatorum nomine enumerata habentur. Verum etiam in reliquis secundum seriem in specie factorum ex parte Evangelicorum hoc Puncto subnexam specificata, non curato eo, quod Evangelici in usu et possessione tempore Diaetae Soproniensis fuissent, attamen contra expressa verba et articularem Paragraphi hujus dispositionem adempta occupataque fuissent, et signanter quidem:

In comitatu Nitriensi in Possessionibus Nagy Örvistje, Szádék, Belesz, Nitra, Szerdahely, terrae arabiles in Assa Kürt, item Szelötze, Urmeny, Szent Mihály Ur, cum Martonfalva, Kis Mánya, Farkasd et Negyed.

In comitatu Castriferrei in Possessionibus Kenyéri, Szent Tamás, Szent Fabian, Sz. Lerand, Dölintz, Tzitzelye, Gör, Polyan, Posta, Szent Király, Seden, Szent Mihály, Atsád, Martyántz, Meszlény, Ör sziget, Szent Ivany fa, Karoly, Págy cum octo jugeribus frumenti inseminati.

Post annum 1715 autem in Possessionibus: Kolta, Kopáts, Egyházas, Hollos, Egyházas-Radotz, Egyhazas-Szecsöd, Terresztyenfa, Jakfa, Baenig, cum filiali Lak, Also Peresztely, Nagy Sithe cum filialibus, cum Tsitke et Tokorcs, Felsö Mesteri, Hetye, Felsö et Also Káld et Ivántz, cum filialibus Marotz et Szent Marton, Also Szeleste, Bögöte.

In Soproniensi in Költs, Káld et Farad post annum 1715 autem, Gerezd, Szemere, Jánosfa, Nemes Ládony cum filialibus: Por Ladony,

Mesterháza, Tompaháza et Beregallya, item Nemeti Vasarosfalu, Szent András; Sobor, Beled, Kereszt-Ur, Kis Falud.

In Trintsiniensi in Possessionibus Szullyo, Zaj-Ugrotz.

In Strigoniensi in Possessionibus Bátor Keszi, Mots, Nagy Ölved, Farnad, Marot. Post an 1715 autem in Eppel, Uny, Tsorrok.

In Gömöriensi in Nagy et Kis Veszverés, cum Hentzkö et Betlér.

In Ungvariensi in Ör et Darma.

In Barsiensi in oppidis Léva, Nagy sallo, Possesionibus Garam, Mikurla, Uj Bars, Szemelyer, Nagy Györöd, Also Pél, Nagy Lót cum Kis Lót, Endred, Iny, Kemenets, Neved, Nagy Szeletzen, Töhöly, Dámásd Kis Saró, Sz. György.

Iu Zoliensi in oppidis Liptse cum Poskouritz et Hriadel, item Ponih, cum Miroltsa, et Dobravitza nec non Dobravinya, Szaszi cum Plesötz, Babinya, Radvany, Nagy Szalatna, Otsova, Possessionibus Hajnik, Ribar, Prädiny, Felsö et Alsó Mitsina Felsö Lihodha cum Lopek, Dubova, Szent András, Predajna, Leletz, Osztroluka, in Batzur, Garram, Bretznitze, Koszelnik, Prout, et Tfrohot, Templa Parochiae et Scholae cum appertinentiis contra expressum Articuli tenorem occupata et adempta.

Quoad Sepulturae et Campanarum usum autem:

Secundum specialem speciei Factorum deductionum, campanarum usus alibi prorsus denegatur: alibi non obstante eo quod per Evangelicos sint comparatae. Duplo tamen majori quam per Dominos Catholicos pendetur Taxa, persolvi debet, alibi etiam prae manibus habitis campanis, uti non permittuntur Evangelici.

Sepultura vero in Religione Evangelica fatis functis, alibi in coemeteriis etc. in locis inhumandos exsangues distinatis peragenda prohibetur. Alibi possessionati etiam Nobiles corpora suorum demortuorum diutius quoque adservata, nonnisi in agris, ubi segetes procreari solent et hortis sepellire coguntur. Alibi ne in propriis quidem Cryptis nisi erga depositionem arbitrariae Dominorum Plebanorum Taxae ejusdem usus permittitur, alibi contra usum a longa annorum serie observatum controvertitur.

Plebs autem misera alibi in coemeteriis sepellitur, alibi nimium quantum excessiva stolari taxa aggravatur, alibi scelestissimorum hominum ad instar, ideo quod Religionem Evangelicam mutare noluerint in locis minus honestis; alibi sub saepibus, et in compitis viarum, alibi in finibus territorii sepelliri necessitantur. Alibi coemeteriis Evangelicis occupatis, sepulcra familiarum aperiebantur, corpora exhumabantur ibidemque repertae res aureae et argenteae et id genus mobilia contra naturam (quae legem Pietatis erga mortuos sanxit) auferebantur et distrahebantur.

Quo in passu tam respectu occupationis Templorum cum suis appertinentiis et accessoriis, quam respectu communis usus sepulturae et

campanarum Paragrapho huic palam contraventum fuisse comperimus.

Ac proinde ut specificata Templa, Parochiac et Scholae, cum Proventibus et quibusvis accessoriis jam a tempore Diaetae Soproniens. adempta et occupata virtute praeinserti Paragraphi ex capite tempore Diaetae Sopronicnsis habitae possessionis cujus intuitu inquisitionis censurandas produxissent, Evangelicis (utpote qui alioquin etiam paucissimis sicut in specie Factorum videre esset exceptis fere soli eadem Templorum loca incolunt et excolunt) restituerentur.

Sepulturae autem et Campanarum communis usus neque impediretur, neque denegaretur, multominus insolita et excessiva Taxa, aut major quam a Dominis Catholicis praetenderetur exigereturque, cum primisque manutentione et conservatione miserae Plebis justum et legale perquam demisse censemus.

PUNCTUM DECIMUM SEPTIMUM.

De Solutionibus per Catholicos Parochis Catholicis per Evangelicos autem Evangelicis pendendis.

Ex Paragrapho Art. XXVI in ordine Septimo cujus haec sunt formalia:

Interea vero nec Catholici Ministris August. et Helveticae Confessioni addictis, nec vero horum sequaces Plebanis Catholicis ad mentem Artic. II an. 1647 solvere obligentur, qui articulus undecimus sic sonaret de solutionibus prout Evangelici status Catholicis Plebanis ita et status Catholicus Evangelicis Ministris ad nullas solutiones pendendas sint obligati.

Imo vero ejusdem 1647 subsequentis XII Articuli explicatiora sunt verba haec: Ubi vero Parochias non haberent auditores Evangelici solutionem pendant suae Religionis Ministris, cujus videlicet ministerio seu opera usi fuerint sicut et Catholicis Parochis Catholici, ubi autem hactenus auditores Evangelici non solvissent Plebanis Catholicis, in posterum etiam ad nullas solutiones praestandas ullo sub praetextu cogantur, prout nec Catholici Evangelicis. Ad haec quoad Stolares Proventus et praetensiones ejusdem Articuli, XII an. 1647 immediate subsequentia verba for-

malia stolares autem Proventus, seu solutiones in quibusvis locis Plebani Catholici, et Ministri Evangelici a suae Religionis auditoribus totaliter percipiant.

Sequitur generale Gravamen Evangelicorum.

Quod Domini Plebani Catholici ab Evangelicis, tam Nobilibus, quam ignobilibus vel sub stolae vel annuae solutionis, vel alio quocunque sub praetextu solutionem exigerent, interveniente quadam difficultate, impetrata ab officialibus, vel comitatensibus vel militaribus assistentia militari, Domos etiam nobilium invaderent, iisdem damnum inferrent, in quibusdam autem liberis Civitatibus et aliis locis ex cassa publica, ad quam Evangelici communiter cum Catholicis contribuerent, Ministris Evangelis solutiones fieri non permitterent, sed eas diu sibi soli Parochi Catholici reservarent.

Respectu cujus Gravaminis ex parte Ven. Cleri in Actis et Scriptis suis Commissionalibus hoc repositum habetur:

Praecitatum Articulum XI an. 1647 ratione solutionum stolarium esse per Explanationes seu Resolutiones 1691 ad loca articularia restrictum, in extra-articularibus autem Evangelicos obligari ad solvendum Plebanis.

Et in talibus locis Articulum XII an. 1647 tanquam obliteratum non venire in considerationem. Item quod loca extra articularia praecise Jurisdictiones plebanorum essent.

Quin etiam ad benigna Regia Mandata et signanter 1714 provocat, tanquam quibus similes stolae et solutiones Parochis Catholicis praestandae praeciperentur.

Quibus revisis circa praemissa pro et contra perpensis et partium scriptis examinatis adinvenimus. Quod

Opinio Commissariorum Evang. — 1. Clarissimus esset Articulus XXVI praecitati et ibidem per expressum confirmati Articuli XI tenor, qui proprie nec aliter intelligi potest, quam per se et in se clara ejusdem verba sonarent, dum videlicet prout Catholicos ab Evangelicorum Ministrorum, ita e converso Evangelicos a Dominorum Plebanorum solutione immunes redderet, idemque praecitatus articulus XII an. 1647 exprimeret et confirmaret.

2. A lege et aequitate alienum esset ut solutio et merces opera nulla expetita et praestita petantur et praestentur: quae tamen laborem sequi solet. Sed et

3. Regnicolis Evangelicis onerosum esset si Catholico Plebano non servienti, et Ministro Evangelico sibi servienti solvere, taliterque duplici solutione gravari deberent.

4. Cum tamen sicut Catholici Ministris Evangelicis non solvunt; ita Plebani Catholici ab Evangelicis nihil praetendere possint, aequiparatorum enim una et eadem ratio haberi adsoleret. Secus

5. Praemissos articulos XXVI et XI frustraneos esse oporteret, si Evangelici Plebanis Catholicis solvere tenerentur, et hoc modo solum Catholicis non Evangelicis deservirent contra suum tenorem, quandoquidem articulus XI etiam in beneficium Evangelicorum confirmatus esse liquido dignosceretur. Et ideo

6. Resolutio an. 1691 et Articul. XXVI ac XI praeinserti e diametro essent contrarii, cum illa Evangelicos ad solvendum cogit, hi autem a solutione liberos pronunciant. Quae duo contraria ad invicem subsistere non possent. Itaque praedictis Articulis np. Diaetae Soproniens. XXVI et XI an. 1647 per XXX an. 1715 non sublatis sed confirmatis existentibus, eorundem claro et cuivis conspicuo tenori contra praeinsertam extra diaetalem resolutionem standum. Eo ipso autem

7. Dum sua Majestas Sacratiss. omnia ad articularem statum, vi dicti Articuli XXX proponenda clementissime constituit, per hoc ea omnia per articulos confirmatos diaetaliter sancita, non autem publice sancitis et confirmatis contraria sunt effectuanda benigne cuperet. Praeterea

8. Sive Plebani Evangelicis Ministris per suos auditores factam stolae solutionem praetendunt, sive dandam intercipiunt, utroque modo Evangelicis injuriam inferunt, in illo enim casu Regnicolas duplici onere gravant, in hoc media vivendi Ministris Evangelicis adimunt. Unde enim Ministri Evangelici honeste sustentabuntur, si solutiones stolares quae tanquam stipendia pro sustentatione necessaria in remunerationem laboris Ministris Evangelicis praestanda a Plebanis non operantibus intercipiantur. Nam

9. Si Evangelici auditores Ministris Evangelicis non solvent, certum est beneficiis legalibus et sic mediis vivendi Ministros destitui oportebit, si quidem in locis pro aedificatione Templorum excisis tanti non degerent Evangelici, qui sustentando vel uni Ministro sufficerent. Ut autem Ministri Evangelici vivendi destituantur mediis id ipsum charitatis Christianae principio: Quod tibi non vis, alteri ne feceris, adversaretur.

10. Constat et hoc quod Evangelici, respectu XI comitatuum, quoad Templa occasione Diaetae Sopron. diplomaticam satisfactionem consecuti non fuerunt, sed cum Templis beneficia et reditus fixos Catholicis Plebanis relinquere debuerunt. Jura stolae Evangelicis Ministris ab Auditoribus suis et bona merito relicta fuere ut in partes salarii Ministris Evangelicis cederent.

11. Quod vero respectu liberi Religionis exercitii totum Regnum articulare Articuli XXV foret, jam in Puncto primo remonstratum habetur. Hinc neque ex praetensa ratione jurisdictionis spiritualis in Evangelicos Plebanis Romano-Catholicis praetensae solutiones competerent.

Quia vero Clerus eosdem extra suum ovile esse affirmat, ac si praetensa haec Jurisdictio in Evangelicos antecedenter quoque competiisset

ac de facto competeret, legalis in negotio Religionis libertas ex integro jam sublata exstitisset, et praetextum hujus Jurisdictionis, omnes Leges in Puncto Religionis conditae, omnia item Sacra Diplomata hodie quoque tolli quirent et tollerentur. Quibus tamen mediantibus et Domini Plebani, propter bonum Pacis, tranquillatemque Regni dictantibus Regni Articulis vivere tenderentur. Itaque si

12. In Rascianos et alios cum Catholicis unitos nec lege receptos Plebani locorum Jurisdictionem Spiritualem nec exercent, nec exercere possunt, eo magis in Evangelicos Legibus Regni receptos et per hoc non tantum vi Religionis suae, sed et Legum quoque beneficio, a Jurisdictione eorundem exemptos, hujusmodi Jurisdictio per Plebanos et eorum in Spiritualibus superiores legaliter praetendi et exerceri non valeret. Quapropter

13. Si contra vocationem et officium muneris Pastoralis esset: Alienas tondere velle oves, praetensos quoque ab adverso usus, sicut violentus et contra legem intentatus, ita ad publicam corruptelam et legum contraventionem pertineret; si enim item ut praetenditur legalis foret usus, lex quoque novissima a parte Ven. Cleri remonstrari deberet, qua neutiquam ut ex praemissis appareret, remonstrata illegalitas praetensi usus per se evidens et perspicua est, cui cedere justitia legalis suaderet, imo exposceret.

14. Ubi autem in Civitatibus Evangelici ad commune aerarium contribuerent, et exinde solutionem suam Plebani acciperent, Evangelicorum quoque Ministri a beneficio tali excludi non deberent, si quidem sensu Regulae Juris secundum naturam esset: Ut quem commoda sequerentur eundem sequantur et incommoda. Prout et

15. Plurimis in Civitatibus ante et post Diaetam Sopron. in usu hujus beneficii Evangelici fuerunt, ut in nonnullis civitatibus de praesenti quoque essent.

16. Nec propterea quod ab olim exstiterit fundus ex communi Evangelicis solvi non debere consequitur. Quia ad quod contribuerent Evangelici is fundus non amplius ut olim pure pro solo Catholico praetendi valeret, sic ubi ab olim in aliqua civitate Germani cives et incolae non fuissent, nunc vero degerent et contribuerent, fundus ad quem contribuerent Germani, nonne etiam pro Germanico habendus foret, nisi ab ejus beneficio Germanos excludere de justo et aequo censeretur.

Hinc quoniam Domini Plebani Catholici ab Evangelicis nulla praestita opera multo minus per eosdem efflagitata, variis in supra scripto Gravamine generali expressimus et in speciebus uberius deductis factis violentis, modis, quaslibet solutiones, ac universos stolares proventus tam in comitatibus, quam etiam plurimis civitatibus ex fisco seu communi civitatis aerario, ad quod Evangelici potiores concurrunt, se solos ex-

solvi faciant. Evangelici vero Ministris suis extraordinarie ex propriis privatis mediis prospicere adigantur, nonnullis comitatuum et civitatum, in locis ea, quae Evangelici ex liberalitate et mera virtutis ope, ratione honorarii loco et benevolentiae testandae causa, pro opera a Ministris suis praestita concedebant, per Plebanos in jus et obligationem trahuntur.

Praemissa contra positivam praecitati Articuli XXV in praeinserto Paragrapho: Interea vero etc., factam publicae Legis determinationem manifestam contraventionem et abusum per Plebanos et eorum in Spiritualibus Superiores fore humilime comperimus.

Ac proinde hoc in passu praecitatis Regni Legibus inhaerentes, quatenus virtute hujusce paragraphi ex Articulo XXVI ibidemque citati XI de an. 1647, omnes Evangelicos ab omni prorsus solutione Parochis Catholicis praestanda immunes pronunciare, praetensum eorundem non usum sed abusum tollere, ac ut quilibet status suos sibi servientes interteneat et exsolvat, iisdemque etiam suos pendat stolares proventus. Nec non in liberis Regiis ac etiam Montanis Civitatibus ex communibus proventibus sicut a tempore Diaetae Sopron. in usu fuit, veluti D. Parochis Catholicis, ita etiam Ministris Evangelicis solutiones imposterum exsolvendae sive per Commissiones Camerales sive per alios ne praepediantur, multo minus sub mulctis inhibeantur, clementissima eaque justitia congrua ratificatione providere Majestas Vestra Sacratiss. non dedignetur perquam demisse censemus.

PUNCTUM DECIMUM OCTAVUM.

De Jure Magnatum et Nobilium pro ritu cujuscunque Professionis oratoria et sacella in Arcibus, Castellis solitisque Residentiis aedificandi et dotandi.

Ex Paragrapho Articuli XXVI octavo, cujus formalia haec sunt:

Omnibus porro Magnatibus et Nobilibus in Regno degentibus in Arcibus et solitis Residentiis suis, pro ritu cujuscunque Professionis oratoria et sacella aedificare et dotare liberum sit.

Sequitur generale Evangelicorum Gravamen.

Quod tametsi Evangelicis Magnatibus et Nobilibus Praedicantes intertenere, oratoria pro privatis precibus aedificare et dotare permitteretur, verum illud beneficium quoque ita jam restringeretur, ut extra Fami-

liam Domesticam tam proprios subditos, quam ad alios vicinos ad talia oratoria admittendi, vel et ubi tenuitas sortis Nobilium intertentionem Ministri non admitteret vel ex loco parochiali etiam in casibus necessitatis puerperii, matrimonii, morbi, Eucharistiae et aliis consimilibus ad se evocandi facultas adimeretur.

Respectu cujus Gravaminis ex parte Ven. Cleri omnia quae obvertuntur ex Resolutionis anni 1691 deprompta dignoscerentur, quae ita hoc in passu sonant:

Facultatem erigendi oratoria et capellas pro privatis duntaxat inibi habendis precibus et sepulturis concessam, et in illis cum Familia sua, prout et in locis articulariter omissis cuivis in Domo sua orare, postillas legere, nullatenus tamen alios vicinos vel proprios subditos tanto minus praedicantes eo tanquam ad privatum duntaxat suae Domus aut residentiae orationis locum admittere integrum esse aut licere.

Et hinc per Ven. Clerum deducitur Oratoria et Sacella pro ritu cujusque professionis aedificare licere, sed ibidem Praedicantium ministerio, neutiquam uti, taliterque liberum Religionis exercitium duntaxat privatum, sed non publicum permissum esse.

Quibus in examen sumptis et scriptis utriusque Partis pervolutis et excussis adinvenimus. Quod

Opinio Commissariorum. 1. Satis clarus est contextus praecitati Paragraphi, ut adeo manifestum evadat praeinsertum Resolutionum 1691 Paragraphum cum expressis verbis Articuli nullatenus convenire. Imo pro

2do Ultronee Ven. Clerus in scriptis suis potentissime urget, quod Articulus XXV de Privato, XXVI autem de Publico Religionis exercitio intelligi debeat. Ergo ex concessis suis, vel rectius ex fundamento proprii principii praecitatus XXVIti Paragraphus, de publico exercitio opera Ministri peragendo sumi debet. Quamvis pro

3. Certum est articulum XXV concedere liberam Religionis exercitium omnibus et ubique per Regnum civitatibus, oppidis et villis sponte et libere acceptare volentibus, et expressam facere mentionem Praedicantium ac per hoc libere peragenda exercendaque libertate Religionis, XXVI autem articulum addere plus, ut videlicet pro tali exercitio permisso in Arcibus, Domibus et Curiis, Castellisque Nobilitaribus, Capellarum erectiones, et earundem dotationes fieri possint. Ideo pro

4. Quod si ad oratoria, sacella et capellas Ministri et auditores admitti non deberent, per hoc liberum excercitium in commoditate templorum oratoriorum et capellarum consistens tolleretur. Nam

5. Oratorium, sacellum et capella absque ministro idem esset, ac Fortalitium sine praesidio, Mola sine molitore, Candelabrum sine candela. Quin imo

6. Omni debito et legali fine taliter careret aedificatio oratoriorum et sacellorum nisi Sacerdotes pro ritu cujusque professionis ad peragenda Sacra introducere eorumque opera uti liceret. Pro privato enim exercitio solius oratorii aedificatione et dotatione opus non foret.

7. Quorsum et cui bono dotatio erit oratoriorum, sacellorum et capellarum, si Sacerdotes et Ministri, qui de Altari vivere solent, ab oratoriis excludantur, nec ex dotatione interteneri permittantur. Etenim dotatio infert alicujus rei collationem, collatio acceptationem. Cui vero collatio fiet, si non erit qui accipiat, cum se ipsum ex suis, quae jam ante in reali possessione habuit dotare velle est absonum. Neque ad hoc erigendae capellae ut ipsi Seculares homines Familiae suae verbum Dei praedicent. Quia hoc non Secularibus, sed ad id vocatis et rite ordinatis Ministris competit.

8. Dum omnibus porro Magnatibus et Nobilibus in Regno degentibus in Arcibus et solitis Residentiis pro ritu cujusque professionis oratoria et sacella aedificare liberum esse statueretur, ritus cujusque professionis non in sola privata oratione Postillarum lectione, sed medio Sacerdotum et Ministrorum Sacrorum administratione consistere, neminem fugit. Unde pro peragendo ritu, sive Sacrorum celebratione Ministros admitti debere in aprico esset. Nam

9. Pro ritu cujusque Professionis oratoria aedificare liberum esse, et in iisdem ritum pro quo aedificata essent exercere non liceret, naturaliter ad invicem duo sibi contraria essent, quae sicut simul subsistere nequirent, ita neque intelligi et admitti valerent.

10. Idem paragraphus Articuli: Pro ritu cujusque Professionis, Dominos Catholicos etiam includeret, et sacelli mentionem faciendo ritum quoque Romano-Catholicae Religionis denotaret, in quam cum juxta ritum suum ad sacella sacerdotes admitti consideretur, nec Evangelicis Magnatibus et Nobilibus id vetari deberet quia omnium Magnatum et Nobilium Regni, una et eadem libertas et quod uni partium justum et aequum esset alteri quoque.

11. Cum itaque Lex indulgeret sacella et oratoria erigere liberumque exercitium in iis habere, ad ea pro cultu Divino et fundendis pro Majestate Vestra Sacratissima precibus venientes, ab aditu arcere humanitatis et Christianitatis officia non permitterent. Imo

12. Hoc ipsum impedire esset publicae Legis manifesta contraventio, quia vigore Articuli XXV liberum est Religionis exercitium omnibus et ubique per Regnum et libera unicuique Religionis Professio. Tanto magis

13. Quod ipsum conscientiae Evangelicorum repugnaret, si quidem vi Decreti 1704 et Resolutionibus diaetalibus trium Regnantium Majestatum per neminem alterius conscientiae vis inferenda, tanto minus per exclusionem et non admissionem subditorum et vicinorum ad oratoria

Magnates et Nobiles ad vim propriae conscientiae inferendam adigi valerent. Ac

14. Si oratoria Magnatibus et Nobilibus pro sepulturis peragendis conceduntur aedificanda, nullatenus tamen alii vicini, vel proprii subditi, tanto minus Praedicantes eo admitterentur, tunc Magnates et Nobiles condigna sepultura privari deberent. Nam

15. Sequeretur medio solius Familiae suae exclusis subditis, imo ipsis etiam consanguineis sepulturas Magnatum et Nobilium peragi debere. Quo stante

16. Non modo Juri vicinitatis et obligationis subditorum erga Dominos Terrestres, verum Juri quoque sanguinis (quod alias juxta Regulam Juris 8 nullo jure civili dirimi potest) imo ipsi naturali affectui, qui defunctos honeste sepeliendos innueret, derogaret.

Hinc quoniam in specie Factorum ad hoc Punctum patet, quod Magnates et Nobiles in Arcibus, Castellis et Curiis et solitis suis Residentiis ab oratoriorum et sacellorum aedificatione, Praedicantium inductione, eorundemque Ministerialium functionum usu arceantur et inhibeantur. Imo propter articularis hujus Beneficii usum, dum Ministrorum suorum opera pro ritu confessionis suae, in castellis, curiis et residentiis suis utuntur Magnates et Nobiles alibi per comitatum citantur, alibi per jam Nobiles, jam Praedicantes per Sacram Sedem citantur, convincuntur. Alibi misera Plebs loca talia cultus Divini causa accedere et frequentare volens vel non permittitur, vel corporali aut pecuniaria poena afficitur. Dotes seu pia legata Evangelicorum, praeterea qua in Puncto XIII specificata habentur quod adempta et occupata fuissent, sub Puncto hoc repraesentantur et signanter:

In Comitatu Sarosiensi senatus Barthsensis (quo Evangelicis contra jus et aequum exclusis) jam ex solis Romano-Catholicis constat, certas vineas in Promontorio Liszkaiensi situatas, cum Domo in eodem oppido habita ex certo per Dominum condam Petrum Hrabotzki Scholae Bartsensis Augustano-Evangelicae testamentaliter collato, quo Legato comparatas, non obstantibus literis quoque assecuratoriis per Praedecessores suos, super eo quod nunquam in profanos usus, sed duntaxat in promotionem Scholae Augustano-Evangelicae conversuri sint, sub authentico civitatis extradata, una cum certa possessionis Tarno portione, per eosdem Evangelicos ab egregio condam Paulo Korothnoki auctore Judice acquisitam et apprehensam communibus civitatis proventibus applicuit.

Bibliotheca pariter per Evangelicos comparata ex meris libris Evangelicis constans adempta ad hoc usque tempus detinetur.

Cibinii Durnerianus et Buholobianus Horti, olim per Evangelicos pro Ministris Religionis suae collati adempti sunt.

In Comitatu Abaujvariensi Cassoviae quatuor Domus intra moenia civitatis existentes, unus Hortus et certae terrae arabiles, nec non vinea in promontorio Tohajensi sita alias Varga dicta.

Praeterea Possessio Kausa per Dominum condam Tar-Kány pro Ecclesia Bottyaniensis Templi, Parochiae et Scholae aedificatione ac Ministrorum intertentione testamentaliter legata, inspectionique Ecclesiae Cassoviensis submissa cum omnibus Proventibus per Romano-Catholicos occupata contra omne jus et intentionem Testatorum detinentur.

Praemissa autem et his similia contra expressa clara verba articularis paragraphi in oppressionem Evangelicorum decerni et perpetrari eoque ipso publicae Legis apertam contraventionem et non levem abusum esse comperiimus.

Ac proinde ut virtute hujusce clausulae Gravamini praeinsertae prouti diaetaliter sancitum est, et verba sanusque ejusdem sensus loquitur: Omnibus Magnatibus Nobilibus in Regno, in Arcibus Castellis et quibusvis Residentiis oratoria et sacella erigere, Ministros Religionis suae intertenere eorundemque omnigena functionum opera imperturbate uti liberum sit, neque propter Ministrorum intertentionem, et eorundem ministerialia munia, in Castellis et Domibus Residentiarum, sive erga Nobiles Personas, sive eorundem Domesticos, sive peregre eo venientes peracta, sive Magnates et Nobiles, sive Praedicantes, Aulici Concionatores dicti, sive per Comitatuum Magistratus, sive per Sacram Sedem citentur, convincantur et damnificentur. Misera autem Plebs propter frequentationem Sacrorum nequaquam puniatur aut arceatur, humilima animorum modestia censemus.

PUNCTUM DECIMUM NONUM.

De Templis non occupandis et non interturbando Religionis Evangelicae exercitio sub decretali poena articulariter expressa.

Quo in passu clausula Articuli XXVI seu Paragraphus ejusdem nonus sonat in haec verba:

Posthac vero nullae Templorum Scholarumque et Parochiarum occupationes, vel exercitii Turbationes ab utrinque sub poena in Articulo VIII Ulad. Decret. VI. expressa fiant.

Sequitur generale Evangelicorum Gravamen.

Cujus Legis praescriptum, postquam omnia modo praevio sancita fuissent, licet expresse in contravenientes ad tranquillitatem Regnicolis procurandam et conservandam additum et positum esset, cum omnis vis Legis in eo significando consisteret, ut non solum quempiam ad sui observationem stringeret, verum etiam adversus contravenientes poenam statueret. Quae tamen qualiter debito suo effectu destituatur id continua et fere innumerabilia Evangelicorum Gravamina luculenter ostenderent. Neque enim in tantam molem in qua sunt actu excrevissent, si contra Templorum occupatores et liberi Religionis exercitii turbatores hucusque processum fuisset.

Respectu cujus Gravaminis ex parte Ven. Cleri replicatum:

Quod in proprio nemo sit violentus, et citatum Articulum VIII Ulad. Decr. VI de temerariis et violentis Decretorum praevaricatoribus loqui. In jure autem suo positos eodemque utentes, nec occupatoris, nec turbatoris animadversionem mereri, adeoque nisi Evangelici evidenter doceant ipsos in locis articularibus turbatos fuisse non posse saepius citatum Articulum conformiter pro sui parte allegare.

Potissimum ea etiam de causa, quod soli Evangelici poenam ejusdem incurrerint, cum contra resolutiones anni 1691 praejudicare et incommodare veriti haud fuissent, imo easdem contra tenorem Articuli XXX an. 1715 palam impugnare non abhorrent et per id articulis contravenire praesumant.

Sed etsi bene ruminetur haec clausula articularis, eam non obligare Catholicos, verum Evangelicos idque patere ex vocula „Ly" ab utrinque, hoc est ex una Augustanae altera vero Helveticae Confessionis, adeoque utraque partibus ad ipsos praecise extensam haberi, consequenter solos Evangelicos ab utrinque poenae legali subjectos esse.

Quibus modalitate in praecedentibus Punctis observata, cum Actis commissionalibus Partis utriusque combinando et examinando adinvenimus. Quod quia

Opinio Commissariorum Evangelic. — 1. Vigore Articuli XXV liberum Religionis exercitium omnibus et ubique per Regnum concessum, et quilibet locus idem sponte ac benevole acceptare volens, quoad liberum Religionis exercitii usum articularis est.

Quoad commoditatem Templorum vero cum Parochiis Scholis et Proventibus vigore Articuli XXVI ea loca, ubi videlicet Templa per Evangelicos aedificata et tunc ritu Catholico non reconciliata, vel pro excisione erigendorum Templorum, denominata vel tempore Diaetae Soproniensis ab Evangelicis usitata et possessa fuerunt, Articularia sunt et sic Evangelici tam intuitu liberi Religionis exercitii, quam intuitu Templorum proprio

publica Legum authoritate concesso, introducto, et stabilito jure gaudeant, et quidem eo sane modo ut posthac nullae Templorum Scholarumque et Parochiarum occupationes vel exercitii turbationes sub poena Articul. VIII Uladisl. Decret. VI fiant. Hinc

2. Quemadmodum id certum est, in proprio quod quis possideat, neminem esse violentum, ita id palam ac publice omnibus manifestum est, liberum Religionis exercitium et Templa publico Pacificationum, Sacrorum Diplomatum, et patriarum Regni constitutionum Jure Evangelicis attributa et concessa fuisse, esseque quod ipsum per neminem secus negari posset, nisi contra evidentiam rei, Leges in negotio Religionis nullas conditas fuisse, neque in corpore Patrii Juris exstare statuatur, ideo hoc ipso nulla lege nullave Legis ratione Ven. Clerus, ea quae de Lege Juris Evangelicorum indubitati sunt, propria sua adserere, aut in legali proprietate Juris Evangelicorum, Jus suum adstruere et vindicare potest. Quin potius

3. Quoniam exercitii turbatio et Templorum occupatio ab utrinque sub poena prohibita est, liberum Religionis exercitium Articulariter ubique consessum multifariam turbatum fuisse, jam superius et signanter in Puncto III, IV, V, VI, VII, VIII, IX, X, Templa vero contra tenorem Articuli XXV, in Punctis XI, XII, XIII, XIV, XV et XVI de nomine specificata adempta et occupata, adeoque non minus respectu liberi Religionis exercitii, quam respectu Templorum Evangelicos omnino in locis ubique articularibus turbatos fuisse negari non possit. Ut sic

4. Postposita et non curata adeo severa Legis propter publicam Regni tranquillitatem conditae prohibitione, exercitium Evangelicorum turbando ac Templa occupando, tales contra manifestam Legis prohibitionem egisse, ac eo facto poenam articularem incurrisse in proclivi esset dijudicare. Nam

5. Si sensu articuli XLVIII an. 1655 ne ipsos quidem rusticanos et civiles fundos, alias actuali Dominorum Terrestrium Jurisdictioni et censuum solutioni obnoxios, quos sive nobiles sive aliorum nobilium subditi, sub eodem onere solutionis et census possideat, ut ab iisdem propria auctoritate Domini Terrestres occupent, sub poena violentiae cautum et vetitum esset; quanto minus ergo Templa et liberum exercitium Evangelicorum, virtute tot et tantarum Regni constitutionum, publico legali et indisputabili Jure competentia, contra tam clara Legis verba, turbare et occupare cuicunque tandem licuit. Quippe

6. Etiam bonorum occupatores sensu Tit. 68 Part. 2 Oper. Decr. Tripart. nonnisi intra annum e dominio violenter occupatorum, pari violentia ejiciendi permitterentur. Quo modo ergo Templa et liberum exercitium, quae Jure publico ad Evangelicos pertinebant, pertinerentque, at non modo anni unius spatio, verum plurima a seculo et ultra per Evangelicos possidebantur, citra laesionem Legum occupari et interturbari

potuerint, nulla Legis justitiaeque ratio admitteret. Cum et alias

7. Ubicunque exercitium turbatum est, quia idem omnibus et ubique per Regnum concessum contra articulos Soproniens. evidentissime turbatum fuisse manifestissimae esset sequelae.

8. Articulum XXX equidem facere mentionem Explanationum, sed non Resolutionum anni 1691, neque has tanquam Articulis Sproniensibus difformes et contrarias, verum benignas trium gloriose regnantium Majestatum diaetales pro explanationibus Regiis haberi et intelligendas invenire jam in praeliminio Gravaminum sufficienter deductum est.

9. Voculam ab utrinque non ad solos Evangelicos, utpote Augustanae ab una et Helveticae Confessionibus addictos ab altera partibus verum ad Dominos Catholicos extendi. Quia negotium Religionis tempore Diaetae Sopron. non inter Aug. et Helvet. Confessioni addictos, quorum de Lege Regni eadem est sors et causae unitas fuit controversum verum et Augustanae et Helveticae Confessioni addicti conjunctim pro legali remedio graviter laesi liberi Religionis exercitii contra nonnullos Dominos Catholicos Ecclesiasticos et seculares agebant et supplicabant.

10. Quamobrem relictis vel obiter articulis Soproniens. unicuique patet quod in vocula ab utrinque Partes August. videlicet et Helvet. Confessioni addictos in communi Evangelicos dictos ab una, Dominos vero Catholicos ab altera comprehendi. Ut adeo

11. Nisi apertissima negare liceat, sola gravitatis et maturitatis ratio consilii voculam hanc in re tam aperta in ejusmodi inauditum et in exoticum sensum detorquere haudquaquam admitteret.

12. Eadem est ratio voculae ab utrinque Art. 1. Pacificationis Viennensis insertae, quippe eadem occasione quoque inter Dominos Catholicos ab una, et Evangelicos partibus ab altera vigentes controversias in negotio religionis sopitas fuisse tenor et contextus Articuli per se diserte exprimit. Quamobrem

13. Non minus Dominos Catholicos, quam Evangelicos liberum Religionis exercitium turbantes et Templa occupantes articulari poenae subjacere, innegabilis est ex Lege veritatis. Quapropter

14. An Evangelici, qui neque exercitium interturbarunt, neque Templa Dominorum Catholicorum occuparunt, vel potius nonnulli ex Dominis Catholicis, qui liberi exercitii usum interturbarunt et Templa occuparunt incurrissent, ex combinatione Partis utriusque Gravaminum cum Articulis Soproniens. ad oculum liquet.

Hinc quoniam in quibus cum primis liberum Religionis exercitium vi Articuli XXVI post tempore Diaetae Soproniensis introductum et continuatum, tractu vero temporis interturbatum sublatumque fuit, specificarentur, eadem succintissime subjungenda humilime duximus. Et signanter quidem

In comitatu Castriferrei in oppidis Janosháza, Tsóhány, et Körmönd, Augustanae Confessioni addicti a memoria hominum adeoque et sub Diaeta Sopron. habuerunt liberum Religionis exercitium. In priori tamen oppido ab hinc XV in posterioribus vero ante XXX circiter annos sublatum est.

In Possessionibus Kenyeri, Dölnitz, Ketskéd, Szent Király, Molnari, Vasalya, Szent Lerand. Magyar nagyallya, Tzitzella, Szent Mihály, Marnyántz, Szilvagy, Szent Fabian, Vath, Lak, Posta Seden. In anno 1681 libero exercitio gaudebant, medio tamen tempore ubique sublatum est.

In comitatu Comaromiensi in oppido Nagy Megyer Templum 1647 per Commissarios Regios Helveticae confessionis addictis assignatum iterum occupatum et actu per Dominos Catholicos possidetur.

In Comitatu Zoliensi in liberis Regiisque Civitatibus Veterosoly in Domo Radvantzhiana, in Brezno Bánya in privatis aedibus, in oppido Liptse in Curia Guthiana in Szeletz in Curia Familiae Szeletzkianae.

In oppido Radvány, in Castello Familiae Dominorum Radvantzski de eadem.

In oppido Szaszi in Curia Nobilium Kováss et alibi interturbatum prohibitum et sublatum. Hoc modo in praemissis clausulae huic contraventum fuisse comperimus.

Ad cujus generalis clausulae universale beneficium omnium Gravaminum species in praecedentibus Punctis ex utroque Articulo deductae referri non tantum possent, sed deberent quippe vel ex sola hac clausula evidentissime patet

Quod cuncta in praemissis repraesentata abusus et contraventiones Articulorum Soproniens. sint, quia liberum exercitium turbare et Templa occupare indiscriminatim prohibitum est, et erat. imo qua abusus et contraventiones de natura rei legaliter medenda. Ac denique

In contravenientes articulari hacce poena animadvertendum venire, namque eo fine, ut videlicet in negotio Religionis quo negotio maxime publico publica auctoritate sancitae Leges inviolabiliter observentur tanta poena in clausula hacce per expressum statuta haberetur.

Ac proinde ut contra expressum articularis hujus clausulae tenorem, non solum turbatum liberum Religionis exercitium vi Articuli XXV. omnibus et ubique per Regnum ibidem sponte ac benevole acceptare volentibus concessum, ejusdemque usus in integrum restituatur. Verum etiam adempta et occupata Templa, Parochiae, Scholae Proventus, legata et beneficia, cum suis appertinentiis et accessoriis Evangelicis reddantur, hactenus nec dum effectuata, jam tandem effectuentur, et postquam in negotio Religionis omnia legali praevio modo ex innata Majestatis Vestrae Sacratis. clementia et pietate et justitia ad articularem statum repositae fuerint, contra quosvis liberi Religionis exercitii turbatores et Templorum

occupatores, sine discrimine Religionis, Nationis ac conditionis, et status ad desumptionem articularis poenae irremissibiliter procedatur, tanto majori cum fiducia perquam demisse censemus, quanto nihil certius, quod secus nullus Legis nullus praesentis Commissionis effectus, et nulla Evangelicis tranquillae permansionis securitas, residua esse potest; quin potius sub spe infallibilis impunitatis, sicuti hactenus ita et imposterum in continuis et ne fors majoribus adhuc persecutionibus et quotidianis oppressionibus aeque fideles Majestatis Vestrae Sacratissimae subditos Evangelicos lamentabiliter ingemiscere benignas aures indefessis precibus humilime interpellare, neque unionem publico summe proficuam, sed dissensionem animorum servitio Majestatis Vestrae Sacratissimae dispendiose praejudiciosam majora in dies incrementa sumere necessum erit.

PUNCTUM VICESIMUM.

De Jure Evangelicorum pro Diplomatica satisfactione in Regni Diaetis instantias suas promovendi.

Hac enim consolatoria clausula hicce Articulus XXVI clauditur: Per hancque Articularem Concessionem iisdem Augustanae et Helveticae Confessioni addictis ulterior praetensionum suarum via in futuris Diaetis instantias suas promovendi (non obstantibus Cleri et aliorum Secularium Catholicorum contradictionibus.) minime praecludatur, salvis semper eatenus Legibus Regni Diplomate Regio firmatis.

Qua finali clausula mediante:

Quod nimirum Evangelicis via in futurum non praecludatur sed potius ulterior quoque ad benignam Majestatis Vestrae clementiam et futuras Diaetas facultas recurrendi concedatur exposuerunt.

Cujus Legis praesidio innixi pro ulteriori Diplomatica satisfactione consequenda, vel eo firmiori fiducia competentem facultatem reservant, quanto minus ex integro iisdem demisse inhaerendo post Deum omnem spem in Majestatis Vestrae Sacratissimae clementia ponerent.

Quam Articularem Evangelicorum propositionem Ven. Clerus praetereundo in locum ejusdem adsumpsit.

Quod Explanationes non aliae in Articulo XXX ultimae Diaetae

intelligi debent, sed Resolutiones anni 1691 transmissae, quas siquidem Evangelici audacter impugnarent, et per hoc juxta proprium suum criterion articulos Sopron. glossarent solemniter protestaretur.

Evangelici respondent. — Verum enimvero ante latas anni 1691 Resolutiones Foro Commissionali ad discutiendum submissas et partibus tam easdem, quam id quaenam pro Explanationibus Regiis haberi intelligique debeant, controvertendi facultatem nequaquam ademptam fuisse aliis rationibus praetermissis vel benignae continentiae Majestatis Vestrae Sacratissimae Mandati die XVI Maji 1721 clementer emanati perspicuum redderent, easdem vero an. 1691 Resolutiones, diversum sane a proprio, verbali, ac genuino Articulorum Sopron. et Poson. sensu, imo contrarium statuere, neque pro Regiis illis quarum Artic. XXX meminit Explanationibus intelligi posse, sed iisdem posteriores, easque publicas ac diaetales revera Regiis Articulis magis conformes jam superius praeliminariter ex parte nostra demisse repraesentavimus.

Quod autem ex parte Ven. Cleri in favorem praecitatarum Resolutionum legalis articulorum Sopron. publica auctoritas in dubium vocetur et oppugnetur. Neque ad genuinum Articulorum sensum, sed ad eversionem eorundem a Partibus Ven. Cleri commissionalia Acta directa haberentur, de et super eo reciproca ex parte Evangelicorum interjecta est repraesentatio.

Commissariorum Relatio. — Sed missis his restat humilime subnectendum quod praemissis generalibus XX Punctorum Gravaminibus in conclusione eorundem Evangelici primum quidem praeliminariter Specificationem ab anno 1715 tanquam extra viam commissionalem occupatorum et interturbatorum. praemittendo de omni Patrio et Gentium Jure competentem simplicem in integrum restitutionem demisse efflagitarint. Expost vero de Puncto in Punctum conformia continentiis Gravaminum Postulata subjunxerunt, ac denique finaliter Articulis Sopron. et Posoniens. ibidem comprehensis renovatis, et in salvo relictis, nec ullo modo sublatis, sed Sacris Diplomatibus firmatis conformem Gravaminum suorum complanationem humilime expetierunt.

Interim quia quoad singulum generalium Gravaminum Punctum sub finem legale votum et demissa Opinio nostra jam praecessisset.

Haud absimiliter quoad Postulatum respectu occupatorum ademptorum et inturbatorum ab an. 1715 circiter centum quadraginta Templorum simplicem in integrum restitutionem superius antequam ad Punctorum et Gravaminum seriem deventum fuisset, votum et opinio deducta haberetur.

Ideo seriem Postulatorum in conclusione comprehensam amplius reassumere et per ejusmodi reassumptionem vota et opiniones nostras reiterare minus necessum existimavimus.

Caeterum quantum ad species Factorum seu Particularia Evangelicorum Gravamina sub numero 4to diebus XXVIII Maji et VI. IX, XI. XIII. Junii Pestini Commissioni exhibita. quibus mediantibus Generalitas Gravaminum in veritate facti ad casum de Puncto ad Punctum per exempla illustrata fuit. et quorum Synoptica mentio in quolibet Puncto post conclusionem rationum Partis utriusque per nos deducta haberetur quod eaedem reipsa contigissent. ac ut plurimum in facto innegabili versarentur, ulteriori ex parte Evangelicorum praeter ultronee producta edoctione haud opus erat. Quoniam commissionalia ex parte Ven. Cleri. tam respectu generalium quam Particularium. Acta, luculentum perhibuere testimonium. quod per enumerationem speciei factorum deducta particularia Gravamina. vere vix aliqua reperirentur, quorum factum in dubium vocatum fuisset, quin imo cuncta approbando bene seu legaliter facta fuisse vel sic fieri oportuisse palam statuendo adseverabatur, et propugnabatur. quo in passu ad fontem Commissionalium partis utriusque Actorum nosmet provocare non ambigimus.

Et haec sunt ea

Quae circa tam Generalia quam Particularia Evangelicorum Gravamina. quae iidem active in conspectu Commissionis humilime proposuerunt, ex Legibus rationibus et motivis per eosdem ubertim in voluminibus Commissionalium Actorum deductis, ac per nos in praesenti opere Compendii causa, haudquaquam ex toto adductis non sine provocatione ad eadem demisse. una cum voto et opinione nostris Majestati Vestrae Sacratissimae genuine pro devotione perpetuo fidelis obsequii repraesentanda commissionalis nostri muneris esse duximus. salva in reliquo in conformitate Puncti XX ex parte Evangelicorum Articulariter in salvo relictae Diplomaticae Satisfactionis praetensione permanente.

Per transitis modo praevio Evangelicorum active propositis Praemissis Generalibus et Particularibus Gravaminibus. tandem progressu facto

Ad Acta ex parte Ven. Cleri, cujus nomine Reverendissimi Dni. Plenipotentiarii. quorum communi nomine medio Secularis Domini Agentis partim per Dioeceses utrinque tamen active egerunt. condescendimus. Quorum seriem sicut Commissioni exhibita fuere. ita etiam recensuimus. Et quidem praemisit Ven. Clerus generalis suae Instantiae die XXI Maji Pestini exhibitae

Protestationem

Qua mediante in negotio Religionis conditis Legibus perinde ac recentissimis quoque Soproniens. et Posoniens. Diactarum Articulis contradixit ac penes per annexum A et V certae Protestationis. quae tem-

pore Pacificationis Viennensis exhibita fuisse praetendebatur. Paria subjunxit et in reliquo non consentiendo in Commissionem id per expressum declaravit, quod non nisi ad benignum Majestatis Vestrae Sacratissimae Mandatum et commissionis in verbo Regio factam commonitionem salva Protestatione pro exigentia et munere Pastorali in conspectu ejusdem agere velit. Idem Protestationis suae beneficium ad Secularem quoque statum in Diaetis secum contradicentem extendendo salva nihilominus Majestatis Vestrae Sacratissimae et Commissionis auctoritate.

Cujus communicationem postquam Evangelici obtinuissent, iidem die XXVI Junii 1721 Commissioni suam in contrarium exhibuerunt

Reprotestationem exponendo:

Quamvis eadem tum publicis in negotio Religionis conditis Patriae Legibus, tum suprema auctoritate Regiae, tum positivae Sacratissimae Majestatis Vestrae voluntati adversaretur suapte pro nulla censenda veniret. Quoniam Leges et Diplomata publice receptarum Religionum Jura non contradictionibus lacessenda verum inductos abusus et contraventiones tollendas nondum effectuata effectuanda, ac omnia in statum legaliter articularem reponenda et per Majestatem Vestram Sacratissimam clementissime manutenenda statuerunt. Quin imo non ut Pacificationibus et Legibus et Sacris Diplomatibus a seculo firmata et usu roborata Religionis Evangelicae Jura tollantur. Verum secundum easdem jam tandem legalem Gravaminum suorum medelam consequi valeant Evangelici, Maiestas Vest. Sacratissima clementissime decrevisset. Quamobrem eadem Protestatio a scopo diaetalis conclusionis et instituto praesentis Commissionis aliena, imo eidem contraria foret, nihilominus ne subticendo in eandem consentire viderentur uberius de Paragrapho in Paragraphum ad continentias, tam hujus quam illius sub literis A et V annexae suo modo replicando reprotestati sunt, cum declaratione quod interpositae contradictionis beneficium et commissionalia V. Cleri Acta ad Secularem quoque I. Statum Catholicum, qui nomine suo nihil scripto exhibuit extendi non posset.

Hinc in contrarium rursus ex parte Ven. Cleri die XV Julii an. 1721 ad continentranis repraesentationis Evangelicorum contrareplicando interposita

Contradictio

Ac tandem et finaliter vice versa ex parte Evangelicorum, seu Augustanae et Helveticae Confessionis addictorum die V. Febr. an. 1722. exhibita in forma Duplicae

Recontradictio.

Catholicorum Instantia — Jam sequitur supra citatae die XXV Maji exhibitae Protestationi cohaerens aeque die eadem Commissioni praesentata generalis Ven. Cleri Instantia, generalia ejusdem Gravamina active, et quoad nonnulla Evangelicorum Gravamina passive in se seplicam continens.

Cujus continentiae quasi uno eodemque tenoris contextu per continuam connexionem adventatae, quia neque ordinis, neque diversitatis materiarum congruam distinctionem exhibebant, ideo ad subdistinguendam et dilucidandam ejusdem seriem inter postulata ac inter Gravamina active nec non insimul respectu nonnullorum Evangelicorum Gravaminum adjunctam Replicam, passive totius Instantiae hujus tenor in generali Evangelicorum desuper Replica die XXVI Junii et sequentibus anni 1721 per Agentes Evangelicos pro diversitate materiarum in Universum ad X Membra principalia reducta fuit, qui ordo si quidem in Actis Commissionalibus, per utramque Partium observatus, imo et reciproce provocationes in Replicis et Contra-Replicis, non tantum in genere ad instantiam verum etiam in specie ad membra facta idcirco, et nos quoque observato hujusmodi ordini Membrorum et seriei insistendum existimavimus. Est autem

Generale Ven. Cleri Membrorum in ordine Primum.

Quod videlicet tranquillitas Regni et unio Regnicolarum, non aliter quam in unione Religionis consistat, hinc eo fine Evangelicos eliminandos venire.

Majestas namque Vestra Sacratissima hancce Commissionem omnino eo fine ut Pax et Tranquillitas in Regno ac unio inter Regnicolas conservetur adeoque propter bonum Pacis institutam haberi voluerit. Haec vero tranquillitas et pax domestica, atque animorum unio non aliter, quam vero cultu unius Dei qui in unione Fidelium valet conservari et consistere posset. Neque magis Populorum animi cum Principe coadunarentur, quam si colant unanimiter illam Religionem quam Princeps colit.

Atque proinde cum et alias unus Pastor et unum ovile esse debeat ut sensu Articuli XII. an. 1550, evulsis haeresibus tanquam domesticorum motuum causis, si quando tranquilitas et unio animorum in Hungaria ex Religione Romano-Catholica pristino suo statui reponenda, ut a tot tantisque adversariorum in pugnantium erroribus et illatis injuriis vindicetur. Nunc jam speraretur et congruum esset, secus pax et tranquillitas cessaret adductis hanc in rem exteris nec non reliquarum Majestatis Vestrae Sacr. haereditariarum Provinciarum, in quibus id ipsum sancte observare dignaretur, exemplis, concludendo quod in uni-

tate Religionis, tranquillitatem Regni consistere ita et certum sit, ut axioma jam abierit, et dici soleat: Unitas Religionis est firmitas Regionis, et varietas Religionum est perditio Regionum. Verum enimvero

Ex Parte Evangelicorum desuper replicatum:

Quod Propositio Membri hujus nec Lege, nec benigno Majestatis Vestr. Sacratiss. Decreto mediante modernae Commissionis examini submissa haberetur, multominus ex parte Ven. Cleri, coram Commissione Agentium disquisitioni subjaceret, quin potius securos in eo fore, demisse instantes simul ac replicantes Evangelicos Majestatem Vestram Sacratissimam quibus Legibus Regnum quam felicissime cum immortali gloria gubernandum suscepit; iisdem quoque conservare non dedignabitur, vel maxime cum ideo Leges sancirentur, ut secundum eas subjecti gubernarentur Populi. Communi autem justitia et Legum sanctitate non secus ac armis firmarentur, munirenturque Regna. Hinc cum Religio Evangelica publicis Legibus, Sacris Diplomatibus Regiis, atque perpetuo fidei publicae fundamento nixis, Pacificationibus recepta et admissa, imo non solum admissa, sed iteratis publicis constitutionibus securitas ejusdem confirmata traheretur ipsarum vero Legum ob bonum Pacis et tranquillitatis in negotio Religionis conditarum genuina causa et interior ratio in iisdem expressa luculentissime evinceret ad conservandam in Regno internam tranquillitatem, pacemque Domesticam, nihil expedientius nihilque salubrius fore, quam si leges pro scopo, eandem pacem ac publicam tranquillitatem habentes sarta tectaque suprema Majestates Vestrae Sacratissimae auctoritate Regia clementissime manuteneantur. Utinam, inquiunt Evangelici in toto orbe terrarum unio spiritualis fidei et Religionis vigeret, inde tamen civilem consensionem et unionem animorum absolute et necessario haud dependere Sacrae prophanaeque Historiae et ferme quotidiana etiam inter unius Religionis consortes luctuosa bellorum exempla, idque ante tempora Receptarum August. et Helvet. Confessionum, dissensiones, mala domestica, ac intestini motus bellaque civilia monumentis Historicorum memoriae prodita abunde testarentur.

Neque enim dissensus Religionum per se turbat quietem, sed intemperatus et illegalis zelus, quo ansa ab hoc dissensu sumpta Legibus indultam in negotio Religionis tranquillitatem et pacem perturbatam fuisse experientia docuit. Esto namque in Dogmatibus Religionis difformes sunt sententiae Civium in negotiis tamen civilibus stabilis coli potest ab omnibus unio, neque perturbatio tranquillitatis publicae diversitati receptarum Religionum Christianarum imputari adscribique potest, eae quippe omnibus mansuetudinem Christianam, et omnem erga Magi-

stratus civiles, tanquam Dei in terris vicarios reverentiam atque obedientiam inculcant, ac ideo vitio prorsus hac in parte carent, neque ullatenus vitia pravorum alicui Religioni addictorum hominum, ipsi Doctrinae ejusmodi vitia non probanti sed damnanti attribui possunt.

Quibus accedit ne Religionis causa discrepantes Regnicolae domesticam tranquillitatem intestinis perturbent discidiis, eo fine apud Christianos ad inventum positumque esse Legum humanarum legale remedium, vi quarum unicuique Religioni limites, intra quos vivere continerique debeant, qui si quidem pro legum sanctimonia, ut fas est, inviolabiliter observentur, manuteneanturque, nulla superesse poterit publici ratio, cur non civilis animorum unio et interna Regnorum tranquillitas ob diversitatem Religionum in Regionibus durare conservarique et permanere posset ut sic non tam unitas Religionis, quam potius inviolabilitas Legum sit firmitas Regionum.

Circa quae praemissa tam in Instantia Ven. Cleri, quam generali Evangelicorum Replica die XXVI Junii et Sequentibus 1721 exhibita uberius deducta, parte ab utraque et quam ex parte Ven. Cleri in generali sua Contra-Replica die V. Decembr. 1721 ex parte vero Evangelicorum in generali eorundem desuper Duplica ad disceptationes non tantum legales sed et politicas atque historicas ad statum Propositionis postulati Eliminii condescendendo, quamvis prolixe ad hocce Membrum jam egerint, haud absimiliter ad hanc materiam in Contra-Replica Dioecesis Agriensis die V Januari 1722, et e converso Duplica Evangelicorum die XXVIII Febr. et sequentibus subsecuta, aeque non pauca ab utrinque dicta reperiantur, nihilominus, quia ea omnia respectu totius Membri hujus, nullatenus ad institutum Commissionis pertinerent, tam a commemoratione eorundem etiam succinctissima, quam voto et opinione nostris praescindimus transeundo ad

Generale Ven. Cleri Membrum Secundum.

Quo Mediante omnes Leges et Articulos in negotio Religionis conditos abolendos praetendit. Et hoc quidem propter oppositam semper non tantum ipsiusmet Ven. Cleri, sed et Dominorum Secularium Catholicorum contradictionem. Jam autem

Pace undique stabilita id quod sub armis extorquere licuit, ac pro bono Pacis indulgere placuit abrogari posse, clausula absque tamen praejudicio Religionis Romano-Catholicae, Pacificationi Viennensi inserta haberetur.

Per voculam adhuc Evangelici bene placentario modo tollerati, neque articuli pro lege, verum duntaxat dispositione Regia habendi. Et neque Leges esse neque dici posse sed Evangelicos a bene placito Regio suam securitatem habere, et sic quod dum et quando velut temporanei

adeoque tollerati, quoad suum Dogma per Majestatem Vestram Sacrat. amandari possint. Leges autem, Pacificationes, Fidem publicam, verbum seu Juramentum Regium, Diplomata, Concessiones, indulta in negotio Religionis rescindi non tantum posse, sed et debere, ac denique Evangelicos falsa dogmata de Religione Catholica spargendo eidem praejudicare eoque ipso sola haec ratio sufficeret ad eliminationem. Quae omnia et his longe plura cum suis rationibus ac potissimum ex Jure Canonico et Theologicis depromptis Argumentis prolixe deducta habentur ex parte Ven. Cleri.

In Contradictione sua die XXVI Maji 1721 Posonii in generali Contra-Replica, et signanter tam ad primum, quam ad secundum Membra die V. Decembris 1721.

Nec non in Contra-Replicis intuitu propriorum Particularium Gravaminum Dioecesium, ac vel maxime, quoad generalia septem praemissa, ex parte Agriensis, nec non Nitriensis diebus V et XXVII Januarii 1722 Commissioni exhibitis

Evangelicorum Responsum — Respectu quorum omnium in contrarium tam in genere, quam in specie ex parte quoque Evangelicorum Legalia Legalibus, Publicis Publica, Politicis Politica, Historica Historicis et Theologica Theologicis opponendo sufficienter responsum itidem:

1o In Recontradictione Evangelicorum die XXVI Junii 1721.

2do In generali Duplica ad Membrum 1 et 2. die IX Febr. et sequentibus 1722. Nec non

3io In Particularium Duplica intuitu praetitulatarum Dioecesium, et signanter quoad eandem Agriensium, respectu septem Praemissorum sub titulo generalis Membri Decimi, diebus XXVIII Febr. et sequentibus 1722 Posonii commissionaliter exhibita, quorsum facta simplici provocatione, vel a succincta quae ad objecta Ven. Cleri de armis, de fide publica, de Pacificationibus, de Diplomatibus Sacro verbo Regio, et jurata Divorum Regum fide firmatis, ac aliis abinde emersis Quaestionibus ex Jure Divino, Naturae item et Gentium, nec non Publico et Patrio Jure replicative dicta sunt, deductione hic supersedendo, hoc unice attingendum occurrit.

Quoniam ex parte Ven. Cleri omnis vis ac quasi summum fundamentum, quoad tollendas et abolendas omnes Leges Diplomata et Pacificationes de legali receptae Religionis Evangelicae libertate, publica fide et auctoritate sancitas, in eo parceretur, quod videl. ejusdem legali receptioni et Jure politico factae concessioni, non solum Ven. Clerus, sed et omnes Romano-Catholici semper contradixerint, nec unquam in eandem et conditas eatenus publicas Leges consenserint, hoc ipsum vel maxime praetensa sub Lit. A. et V. adhuc Pestini annexa, Typis quoque mandata et passim divulgata contradictione comprobare nitebatur.

Contradictio Pacificationi Viennensi tunc non fuit — Quantum itaque ad hancce ipsam sub Lit. A. et V. per annexum commissionaliter productam Protestationem seu contradictionem reposuere Evangelici:

1o Virtute Tit. 17 Part. 2 Oper. Tripart. Decr. in examine et disquisitione quorumlibet literalium Instrumentorum, ut pateat et legaliter cognosci possit, an videlicet (Lege sic loquente) justo vel injusto modo emanaverint? Datum Literarum, Sigillorumque appressio, principaliter et essentialiter investigari consuerit. Antelata vero sub A. et V. Protestatio, cujus praetensa originalia tempore communicationis earundem per Agentes Evangelicorum visa fuere. Haec ubi nimirum, quove mense anno ac die conscripta fuerint, ea per absolutum omissa habet. Pro

2do Quoad Reverendissimum Petrum Radovits, Episcopum Vaciensem, Ladislaum Majtsini veteris Budae Praepositum, Nicolaum Balosfi, et Matthiam Submontanum, qui eandem subscripsisse praetenduntur nulla Sigillorum appressio, verum sola duntaxat cera papiro tecta, cernitur, utut tamen non minus in illa quae novissime Typis mandata est, quam praesenti Commissioni paribus exhibitis, ita omnium Sigillorum loca per Ven. Clerum apposita habeantur, ac si revera in praetenso originali reipsa Sigilla appressa forent, ac ideo vel ex ea sola ratione inter scripta legali exceptioni obnoxia censenda venirent.

3o Sive ejusdem formalis tenor et contextus in verbis paragraphi primi tamen Legibus et Articulis liberam ac patentem haeresibus portam patefacere earum liberi exercitii defensionem, patrocinium praetensionem suam promitteret. Item Paragraphi secundi in verbis ut hanc libertatem Religionis omnibus Legibus Regni nostri contrariam concedere Articulisque inscribi non patiatur. Nec non paragrapho tertio in verbis: Si vero quod absit aliter faciendum statuerit probe inspiciatur, sive vero novissima illa Pestini exhibita Ven. Cleri Protestatio in verbis tenoris sequentis: Eodem vero an. 1606 Articulum primum Pacificationis Viennensis absque praejudicio Catholicae Religionis sancitum habere legeremus, imo ejusdem conditi tempore praedecessorum nostrorum circa admissionem Acatholicorum in hoc Apostolico Regno Hungariae tollerandum, Majestati Regiae exhibitam solennem fuisse interpositam Protestationem et Contradictionem. Huicque Protestationi nostrae in genuinis copiis sub Lit. A et V notatam annexam et si opus fuerit in originali dum et quando remonstrandam oculis nostris intuemur penitius consideretur. Ex his

Omnibus luce meridiana clarius patet, quod praetensa sub A et V Protestatio ita adornata habeatur, ac si revera ante concedendam adhuc per Pacificationem Vienens. recipiendae Religionis Evangelicae libertatem per ibidem praetensive subscriptos concinnata fuisset emanassetque. Verum enimvero certo certius ex ipsius Pacificationis Vienensis con-

clusione, ejusdemque nomine omnium statuum et ordinum Regni per ibidem subscriptum Titt. Franciscum condam Forgáts, qua eo tum Episcopum Nitriensem facta spontanea et benevola receptione constat, quod idem Franciscus Forgáts non modo ante et sub, verum etiam post conclusam eandem Pacificationem Viennensem Episcopatus duntaxat Nitriensis officio functus ac nondum in Cardinalitiam dignitatis eminentiam evectus fuerit, quo modo itaque eadem sub A et V praetensa protestatio, ita ac si ante Pacificationem Viennens. et receptam Evangelicorum libertatem concinnata per eundem Franciscum qua Cardinalem congrue subscribi potuit, qui tamen eo tum non fuit, verum ut ipse quoque Pater e Societate Jesu Martinus Szent Iványi Dissertatione Paralipomenica pag. 65 Nota 45 scribit, anno duntaxat 1607 die V Novembr. Cardinalis creatus et confirmatus erat. Quod ipsum nec cum rei veritate, nec cum sana ratione convenire videtur, adeoque eadem non majoris ac Testium de rebus et negotiis ante nativitatem eorumdem factis confessio juxta Tit. 27 Part. 2 oper. Decr. Tripart. aestimanda veniret. Et enim quantum veritati tribuendum sit, cujuscunque tandem Judicis scripto, si idem priusquam Judicis officium auspicatur, per eundem qua Judicem subscriptum fuerit, et an non justam Tit. 17 Part. 3 oper. Decr. Tripart. mereatur censuram, aequanimi cujusvis judicio a parte Evangelicorum submitteretur.

4to Cum uti praemissum est eundem Franciscum tam ante quam sub tempus Pacificationis Vienens. Cardinalem non fuisse dignoscitur, et consequenter praetensam Protestationem ne subscribere quidem taliter potuerit, quin imo ex combinatione circumstantiarum temporis, ut qua Cardinalis, qui tunc non fuit coram Regia Majestate sub Cardinalitiae dignitatis Titulo contradixisset, fidem excedit.

5 Quod si vero ne fors asseveretur, tam purpuram Cardinalitiam eundem qua Cardinalem subscripsisse, quam eo ipso necessario admitti debebit, quod eam praetensa Protestatio ante Pacificationem Vienensem ne subscribi quidem taliter, multominus tanquam non subscripta Regiae Majestati exhiberi potuisset. Stilus namque ejusdem cum subscriptione, veritati rei taliter gestae haud congruet, cum is revera taliter ornatus fuisset, unde evidenter sequitur, scriptum hoc non ante Pacificationem Viennens. quia subscriptus Franciscus eo tum ut Eminentissimus Cardinalis in rerum natura non fuit, non post conclusam Pacificationem si quidem stilum ejusdem tanquam ante concessam Evangelicorum libertatem, et ante ipsam Pacificationem Viennens. adornare piaculum crederetur ac proinde ex praemissis nullo modo legitime emanasse, ac nequaquam cum rei veritate convenire. Adeoque nullam praetensam Protestationem ante conclusam Pacification. Viennens. Ven. Regni Hung. Clerum praemisisse.

6. Quin potius tempore Tractatus Pacificationis Vienens. in concedenda adhuc eo tum publica fide, recipienda Religionis Evangelicae libertate eundem aperte consensisse ex superabundanti testatus est Cardinalis Cleselius Episcopus Viennensis, qui scribit an. 1605 ipso utpote Tractatus Viennens. Pacificationis tempore Serenissimo olim Archiduci Matthiae tandem Imperatori et Regi gloriosissimae reminiscentiae, eundem Ven. Clerum Hungariae dedisse opinionem in haec verba: Quantum igitur ad primum Articulum spectat, habet suum responsum superius, ubi de Religione tractatum, sicut et hactenus propositio suae Majestatis fuit ut nullus in ea turbetur.

7. Quod denique praetensa sub A et V Protestatio, non modo ante, verum etiam post Pacificationem Vienn. imo anno quoque 1608, quo Articulus ante coronationem conditus est, juxta facti et rei veritatem Regiae Majestati exhibita nequaquam fuerit, documento est Literarum Summi Pontificis Romani Pauli V an. 1609 Kalendis Maji emanatarum ac ad eundem Franciscum Cardinalem, totumque Ven. Hungariae Clerum datarum copia sub Lit. O et Q annexa, ubi summus Pontifex hoc expresso verborum tenore scribit: Praeterea, quia articuli perniciosissimi fuerunt in titulo et conclusione vestrum nomen, cum detrimento vestrae famae, sicuti apud nos questi estis, debetis publica scriptura Regi directa, quae damnationem Articulorum contineat, hanc imposturam detegere et rei veritatem ad fidei Catholicae tutelam et Ecclesiastici Juris conservationem manifestare. Cum itaque Ven. Hungariae Clerus an. 1609 praetensum scriptum quoddam, quod Articulorum damnationem contineat Regiae Majestati dirigere et praetensam rei veritatem manifestare a summo Pontifice jussus fuerit quod proinde antea nullum simile scriptum exhibuerit, res est manifesta. Sed et

8. Acceptis etiam Romani Pontificis Literis idem praetensum sub A et V scriptum Regiae Majestati exhibitum non fuisse pateret, tum ideo quod ipso Ven. Clero confitente praetensum originale ad praesens prae manibus ejusdem haereat, ac ideo id simul Regiae Majestati eo tum exhiberi et per Venerabilem Clerum reservari non potuit, tum vero quod id Regiae Majestati aliquando exhibitum fuisse multo consueto et valido probetur testimonio. Et enim pro

9. Privatum cujuspiam scriptum, quantumvis privatis signetur Sigillis et subscriptionibus per se tamen de exhibitione et publicatione ejusdem credere haud conveniret priusquam eadem aliunde probata fuerit: quamobrem etiam vetus illa jam ab olim invaluit per Regnum consuetudo quod ubi quispiam Protestatione utitur, eandem palam publice et manifeste (prouti usus dicendi obtinuit) fieri oporteret, nec unquam facta

fuisse creditur, nisi illius coram quo intercessisse asseritur testimonio, vel alio fide digno comprobetur testimonio. Secus enim adeo absone praejudiciosa metuenda esset consequentia, ut si proprium scriptum pro Actore sufficienter probaret, tum privatim quoque pro favore sui formare instrumenta posset, adeoque pro se contra omnia Jura sufficiens praestaret testimonium, quod nullo Gentium Jure a semet ipso, verum aliunde patere conveniret.

Quantum autem ad praetensam Ven. Cleri et Secularium Dominorum Catholicorum in Diaetis

Contradictionem.

Contradictio facta non est. — Huic in contrarium, quod videlicet, haud quaquam contradixissent, sed potius usque annum 1647 consensissent, eodem vero anno facta contradictio legaliter annullata sit, inter reliqua in medium adduxerunt Evangelici. Et quidem

1o Quia in Articulis Regni an. 1608 ante Coronationem Primo LXXVII an. 1618, II an. 1622 in conditione sexta, XXII an. 1625, XXXIII an. 1630, XXIX an. 1635, X an. 1655, 1659 in conditione sexta nulla contradictionis legitur mentio teste claro eorum textu. Imo pro

2do In eodem Articulo primo an. 1608 ante Coronationem alias per Soproniens. Articulum XXV renovato, quod per Status et Ordines Inclyti Regni Hungariae respectu Pacificationis Viennensis et jure publico jam receptae, ac diaetaliter recipiendae Religionis Evangelicae deliberatum est, exprimitur.

3. Si deliberatum est fide publica nemo est, qui deliberantes et in deliberando coalescentes Inclytos Status et Ordines contradixisse vel praesumere posset. Quin imo

4. Posteaquam anno eodem diaetaliter per Status et Ordines Regni deliberatum fuit, nemini ex Statibus et Ordinibus contradicere ac mutuo, eoque deliberato ad invicem consensui datam publica lege fidem infringere integrum erat. Tanto magis

5. Si quidem et Ven. Clerum penes Dn. Seculares Catholicos praemissis in negotio Religionis sancitis Articulis consensisse clare patet, ex subsecuta Pacificationis Vienneus. in an. 1606 die XXIII mensis Septemb. ratificatione, quam videlicet non Seculares tantum, sed etiam Ecclesiastici nomine omnium Statuum et Ordinum Inclyti Regni Hung. et partium sibi annexarum subscripserunt, ut sic spontaneo, animoque deliberato (ut formalia ejusdem innuunt) ipsam Pacificationem recepisse, et in eam evidenter consensisse orbi Christiano notum sit, nec secus id ipsum negare conveniret, nisi subscribentes tam e Ven. Clero Reverendiss. et Illustrissimos Episcopos, quam Seculares non fuisse de numero Statuum et Ordinum Regni, neque in Genere speciem aut in Toto

Partes contineri contra evidentiam et Juris et facti statuatur. Ulterius

6. Neque Ven. Clerum, neque Seculares Catholicos contradixisse non tantum ex Articulo primo an. 1608 edito, verum etiam ex Praefatione Diaetalium Articulorum anni ejusdem in verbis: Visum est illis, (universis scil. superius memoratis Dominis Praelatis, Baronibus, Magnatibus, et Nobilibus, Statibus denique et Ordinibus Regni,) ante omnia Articulos Viennens. in accuratam deliberationem reassumere, ponderare, ac incertam methodum perpetuo valituros redigere. Item quatenus supra dictos Articulos Viennens. aliosque denuo etiam pro tempore, conditione, et rerum statu communi omnium eorum deliberatione sancitos et conclusos. Unde videre est, absque ulla omnino contradictione tam finem Pacificationis Viennens. quam Articul. primum 1608 ante Coronationem de perpetuo valitura Evangelicorum libertate communi omnium Statuum et Ordinum Regni, (adeoque ipsius quoque Ven. Cleri tanquam unius ex quatuor statibus) deliberatione sancitos et conclusos fuisse. Pari ratione

7. Quod si annum eundem 1608 subsecuta exacte perpendantur tempora et generales Regni Diaetae, quibus fere singulis et signanter de an. 1618 per Articulum LXXVII, de anno 1622. Articul. II in conditione sexta, de an. 1625 per Artic. XXII, de an. 1630 Artic XXXIII, de an. 1635. per Art. XXIX. Accepta Religionis Evangelicae publica Jura, communi Dominorum praefatorum Baronum, Magnatum, et Nobilium Universorum Statuum et Ordinum votis ac suffragiis parique ac unamimi consensu (uti id ipsum ex Praefationibus Diaetalibus limpidissime patet) conclusis, confirmata stabilitaque fuisse, viva legum publicarum de praespecificatis annis testantur Documenta, quod ipsum tanto verius, quanto evidentius.

8. Exemplo in Praefatione Uladisl. Regis Decret. VII expresso et signanter in voculis: demptis articulis facta criminalia et honestatem Clericalem concernentibus, ad quos ipsi Domini Praelati consentire non potuerunt. Ea in quae Ven. Clerus consensum non praebuit in publicis Regni Diaetis expressa declaratione, a consensu suo eximere in more habuit. Ejusmodi autem exemptionis, aut cujuspiam praetensae contradictionis, sive ex parte Ven. Cleri, sive Dominorum Secularium Catholicorum contra Evangelicos a tempore Pacificat. Viennens. usque an. 1647 ne vestigia quidem in Decretis Patriis legerentur. Ac denique

9. Esto quidem praescripto anno 1647 Ven. Clerus et nonnulli Seculares Domini Romano-Catholici primo contradicere voluissent; attamen expost uti Articulus 5tus ejusdem anni loquitur: Universi Status et Ordines Regni Sacrum Diploma Ferdinandeum accep-

tarunt, approbarunt et confirmarunt, contradictionesque Dominorum Cleri, et aliorum quorumvis Secularium Catholicorum pro non obstantibus, imo iisdem in perpetuum nullum vigorem habentibus positive ac per expressum declararunt, ac pronunciarunt; adeoque hac posteriori Diplomatis per Universos Status et Ordines facta approbatione ipsiusque V. Cleri, et aliorum quorumvis Dominorum Secularium Romano-Catholicorum praetensas contradictiones, qua approbationem Diplomatis praecedentes ultro sublatas haberi, et praetensae conditioni contrarium supervenisse consensum inficiari nequit, nisi et ipsum Ven. Clerum ex universis Statibus non esse unum asseverari possit. Ast quod Ven. Clerus ipso facto consenserit, super executione ejusdem benigni Diplomatis emanatae et ultimae Evangelicorum Reprotestationi sub n. et p. in copia annexae, per Dominum eo tum Episcopum Vaciensem subscriptae testimoniales documento forent, quippe qui si contradictioni inhaesisset, et in restituendis pro parte Evangelicorum Templis munia executoris haud obivisset. Quis non videt proinde Ven. Clerum in pragmaticas de libertate publico Jure receptae Religionis Evangelicae conditas Leges consensisse, ne quaquam vero veluti in Commissionalibus Actis incessanter praetendebatur, tam eundem, quam omnes Seculares Dominos Romano-Catholicos eidem continuo contradictionis suas opposuisse. Non secus

10. Id ipsum exprimunt et subsequentium Diaetarum in negotio Religionis publica auctoritate sanciti Articuli, quin imo quod praetensa ejusmodi contradictio pro non obstante, irrita, et nulla in ultimae Diaetae 1715 Artic. XXX declarata et articulariter pronunciata haberetur, formalibus: Non attenta quorumvis contradictione, palam testarentur.

Ac proinde nihil toties iterum atque iterum passim et ubique in Commissionalibus Scriptis ex parte Ven. Cleri allegatum, sive in specie sub Lit. A et V sive in genere occasione Diaetalium Comitiorum praetensam Contradictionem, qua non ens quocunque tandem tempore et loco perpetuitati et securitati Evangelicorum obstare potuisse. Articulorum vero in negotio Religionis conditorum Leges esse, in ordine reliquorum Legum insertorum fore, Vestr. Majestatem Sacratissimam pro legibus clementissime recognovisse et nunc recognoscere; imo et diaetalium Legum Articulorumque XXI an. 1687 et XXX an. 1715 effectuationem benignissime velle, eoque fine praesentem hanc Commissionem clementissime revolvisse, ac per consequens non tam a beneplacito, sed fide Regia (qua apud perpetuo Augustissimam Domum Austriacam, nihil majus, nihil validius, nihil durabilius unquam esse potest) nec non a momentis Pacificationum Sacrorum Diplomatum et publicarum Regni constitutionum suam perpetuitatem, per omnia eandem, atque talem sicut reliquas Leges Regni habere securitatem, et sic non, dum et

quando, neque velut temporanei beneplacentarii, quorum nulla in Legibus mentio, sed qua haereditarii Regnicolae, neque quoad personas, neque quoad suum dogma, tanquam Legibus Regni receptum, amplius amandari possint Evangelici, concludunt, et quidem ideo etiam, quod Religio Evangelica, nec Dogmata admixta habet, quibus aut summorum Imperantium Juribus, aut parendi obsequio per subditos debito aliquid detraheretur, quum potius premit, urget, et inculcat erga terrarum Dominos ac Reges suos perpetuo fidelis obsequii cultum, omnigenamque reverentiam, erga proximos vero sincere dilectionis charitatem, ut vel ideo non paucorum Statistico Politicorum auctorum judicio in Christianitate pro felici tam imperantium quam parentium regimine, nulla Religionum convenientior censeatur, quam Evangelica. Neque in praesentia Commissionis rationem Dogmatum reddendam, aut in examen sumendam, sed Articulorum effectuationem, abusuumque et contraventionum legale examen ordinatum esse, atque ideo neque a Dogmaticis in eliminationem Religionis rationem quampiam induci posse defendunt.

Finaliter, quoad clausulam: Absque tamen praejudicio Religionis Romano-Catholicae Pacificationi Viennens. insertam, de genuino ejusdem atque legali sensu, jam in gravaminibus Evangelicorum et signanter in Puncto in ordine XIII actum est, et eo convenientius adhuc in membro VII tractabitur, nihil hic loci in Puncto XIII adductis addere volumus. Quin imo

Quoniam generale hocce Membrum secundum, ejusdemque illegale postulatum diaetaliter ordinato legali Commissionis instituto e diametro et proprie loquendo naturaliter repugnat, atque per totum adversatur, ideo absque peculiari voto et opinione nostris condescenditur ad

Generale Ven. Cleri Membrum Tertium.

De Articulis Sopronensibus et eorum genuino sensu.

Ubi transire videtur Ven. Clerus ad Articulos 1681 et 1687 annorum, asserendo negotium Religionis usque clementissimum Majestatis Vestrae Sacr. beneplacitum, nonnisi secundum eosdem 1681 et 1687 annorum articulos Resolutionesque an. 1691 (quas loco Explanationum allegat praecedentibus universis Articulis, quocunque modo exoperatis prorsus non attentis) adhuc admittendum, seu tollendum et regulandum Majestatem Vestr. Sacratissimam ordinasse, idque hac potissimum ex ratione, quod juxta Articulos. 1 et 2 dum 1715 priores de anno 1681, 1687 conditos Articulos et secundum eorundem sensum Leges, Jura, et antiqua Privilegia adeoque et ipsum Leopoldinum Diploma salvis semper et inconvulsis manentibus, quae per ultimas Diaetas et Diploma mutata sunt, aut in meliorem formam redacta, Majestas Vestra Sacratissima clementer confirmasset.

Quodque negotium Religionis praecedentibus Articulis mutatum ad alios priores pertrahi non posset.

Ac quod Majestas Vestra Sacratissima nullos priores Articulos, qua non confirmatos observare teneretur.

Quibuscum Evangelicorum Replicis adductisque Rationibus motivis et argumentis combinatis et in examen sumptis adinvenimus: Quandoquidem

Commissariorum Opinio — 1. Leges et Sacra Diplomata Regia tam priora, quam benignum Leopoldinum de Libero Religionis exercitio, dum ad calcem Articuli XXVI. in salvo relicta sunt mutata dici ac praetendi nequeunt. Nam pro

2do. Ex ipso Articuli secundi 1715 Sacro Diplomate ad quod velut praecedens Articulus primus, semet provocare patet, qualiternam Leges priores mutari tollique consuevissent et quidem in Paragrapho exclusa tamen et semota Artic. XXXI. Decret. Divi Andr. Regis Secundi de an. 1222 Clausula incipiente: „Quod si vero nos," usque ad verba „in perpetuam facultatem." Unde liquet ejusdem Andreae 2di Regis Decret. immutatam, seu abolitam, clausulam expresse specificatam, exclusam et semotam haberi, quod ipsum de abolitione priorum Legum in negotio Religionis conditarum asseri plane non possit. Et hinc pro

3. De libero eoque illimitato atque irrestricto omnibus et ubique per Regnum concesso Religionis exercitio conditae priores leges et Sacra Diplomata Regia per XXV Articulum in praescripta vel maxime clausula, omnibus et ubique per Regnum, quod mutata non sit, imo articul. 1. Pacificationis Viennens., ac alter itidem I. an 1608 ante Coronationem per eundem XXV expresse confirmati et renovati habeantur, ipse tenor Articuli ejusdem XXV. luce meridiana clarius evinceret. Ac proinde quod omnibus et ubique concessum liberum Religionis exercitium mutatas priores Leges fuisse, si quidem probari haud posset, ideo hac vel maxima in parte, citatus per Ven. Clerum articuli secundi 1715 paragraphus ad praetensam illius omnibus et ubique concessi liberi Religionis exercitii, utpote quod taliter in Articulo XXV 1681 expressatum et nullatenus mutatum est, ad restrictionem applicari nullo modo potest. Hinc

4. Quod non modo Articuli ut praemissum est, I 1606 et alter itidem I an. 1608 ante Coronationem editus in Artic. XXV. nec non Artic. XI 1647. in XXVI Soproniens. Diaetae, sicut in specie inserti et renovati, verum etiam reliquae Leges et Sacra Diplomata in genere in Paragrapho Articuli XXVI his verbis: Semper salvis eatenus Legibus Diplomate Regio firmatis sint aperte in salvo relictae et confirmatae secus negari non posset, nisi primus loco paragraphi, salvis semper eatenus Legibus, contrarium illum Paragraphum qui alias de sublatione legum Religioni Evangelicae praejudiciosorum in favorem publicae ejusdem receptionis

articulo primo 1606 insertus sic sonat: Non obstantibus eatenus unquam legibus, aut vero alium ex Articulo 2do 1715 Paragraphum his verbis: Exclusis tamen et semotis semper legibus huic ipso Articulo XXVI. 1681 insertum fuisse ibidemque per expressum contineri evincatur, quod ipsum sicut per se mere est impossibilitatis: ita etiam accederet pro

5to Quod velut per clausulam: salvo jure Dominorum Terrestrium, artic. XXV insertam, Jus Dominorum Terrestrium respectu terrenorum antea habitum non est sublatum, sed confirmatum prout in generali Gravaminum Evangelicorum demissa instantia ad Punctum III et in producto sub Litera G ad Paragraphum XI uberius remonstratum exstat, ita pari aequitatis et justitiae ratione, vi repetiti paragraphi: Salvis semper eatenus legibus Diplomate Regio firmatis, Leges et Diplomata priora non sublata, verum confirmata haberi, evidens est. Et hinc pro

6. Dum ex parte Ven. Cleri toties citata clausula: Salvo jure Dominorum Terrestrium, circa terrena habiti, verum ad inductionem etiam novi Juris in conscientias (quod iisdem de lege antea quoque non competebat) extendendi, altera vero clausula: Salvis semper eatenus legibus, in contrarium a confirmatione et salvatione legum, plane excludenda praetenditur, hoc ipso, quam in aequali, et revera e diametro sibimet contradictoria interpretatio, ne ejusdem naturae et significationis vocula salvis convelleretur, nemo penitius rem considerans diffiteri valeret.

7. Quod si vi Tit. 2di Partis 2dae oper. Decr. Tripart. Leges priores silentio etiam per posteriores praetermissae suum retinere consuevissent vigorem, tanto magis Leges illae, quarum aliae in genere, aliae in specie Articulis Soproniensibus insertae et pro salvis pronunciatae sunt, vigore suo privari et exui non poterunt.

8. Et quamvis per Artic. XXVI 1681 Templorum virtute priorum Legum et Sacrorum Diplomatum Evangelicis competentium restitutio plenaria et ex integro non dum haberetur determinata, quia tamen praetensio eorundem expressis verbis Articuli XXVI. pro non praeclusa declarata foret, ratio nulla superest propter quam priores Leges tanquam in salvo relictae pro non confirmatis, multo minus abolitis dici possent.

9. Ut autem eo clarius constet, quaenam sint earum Leges, per Articul. XXVI 1681 pro salvis semper pronunciato Diplomate Regio firmatae hoc ipsum idem, Sacrum Leopoldinum Diploma per articulum etiam 1 et 2 1715 confirmatum anno 1659 Articulo I in conditione ibidem prima sic se habet: Quod Universas et Singulas Regni libertates, immunitates, privilegia, statuta, jura, et consuetudines, simul et conclusionem Tractatus Viennens.,

omnesque Articulos eodem comprehensos, ita et reliquos ante et post Coronationem Matthiae 2di felicis reminiscentiae, in annis 1608, 1609 item pie defuncti beatiss. reminiscentiae Divi Ferdinandi 2di 1622 1625 et aliis etiam annis editos, nec non modernae etiam Imperatoriae Majestatis conclusionem novissimi Tractatus et Pacificationem Lintziensem, omnesque Articulos ibidem specificatos, simul et constitutiones Regni annorum 1649 atque etiam praesentis in omnibus suis punctis clausulis et articulis sua serenitas firmiter et sancte observabit, per aliosque omnes inviolabiliter observari faciet etc. Ex hocce Sacro Leopoldino Diplomate, clarissime patet, quod non modo Pacificationis Viennens. et an. 1608, quin imo etiam 1647, aliorumque in eodem denotatorum annorum (ut verba Diplomatis sonant): Omnes Articuli, adeoque etiam in negotio Religionis conditi, in omnibus suis punctis, clausulis et Articulis hocce benigno Diplomate confirmati sunt, et consequenter tam per Articulum XXVI Diaetae Sopron. in Clausula: Salvis semper eatenus legibus Regni Diplomate Regio firmatis, quam et XXX novissimae Diaetae, tanquam uti praemissum est, Articulorum Sopron. non in parte duntaxat, verum per totum adeoque praescripta quoque clausula: Salvis semper eatenus legibus, diplomate Regio firmatis renovata aeque confirmata sit, adeo ut quoties ea occurreret Quaestio: An videlicet per Articulum XXX. 1715 priores in negotio Religionis conditae Leges, sicut ex parte Ven. Cleri praetenditur sublatae et ideo non attendendae, vel vero prout firmiter comprobant Evangelici, in salvo relictae, adeoque confirmatae potius quam praetensive sublatae dici debeant. Ad formandum eatenus rectum Consilium omnes simul hoc modo consideranda veniunt. Quod

α. Idem Articulus XXX Articulos Soproniens. renovat.

β. Articuli vero Sopron. Leges Diplomate Regio firmatas semper pro salvis, nunquam vero sublatas decreverunt.

γ. Diplomate autem Regio non solum Pacificationis Vien. et 1608, verum etiam 1647 et aliorum annorum omnes Articuli confirmati sunt.

Atque adeo sic priorum annorum constitutiones et Sacra Regum Diplomata cum Novissimae Diaetae Articulo XXX connexa et quasi concatenata sint, ut eadem et easdem ab Artic. Soproniens. secludere et avellere nihil aliud esset, quam genuinum Articulorum Sopronensium sensum in clausula toties citata, np. Salvis semper eatenus Legibus etc, diminuere et convellere. Et enim ipso quod ex parte Ven. Cleri contra verba Articuli XXVI Sopron. Leges Diplomate Regio firmatas non pro semper salvis, verum sublatis et amplius non attendendis, tam aperte asseveretur, testatum redditur manifeste, quod non genuinus

Articulorum Soproniensium sensus, sed eidem e diametro prorsus contrarius et illegalis adstruatur.

10. Nec obstat, quod in Articulo XXX 1715 duarum duntaxat Diaetarum de anno utpote 1681 Sopron. et de anno 1647 Poson. Articuli et in his pariter, aliqui saltem per expressum citati specificarentur. Et enim in praecitata Articuli XXVI. generali clausula universaliter in genere leges Diplomate Regio firmatae semper salvae pronunciatae sunt, adeoque si quidem Sacro Leopoldino Diplomate omnes ibidem specificatorum annorum articuli confirmati sunt, eo facto a confirmatione nulli articuli excepti dici possunt. Nam

11. Si omnes et singuli priores Articuli, non obstante eo quod Articulariter in salvo relicti fuissent propter id unicum quod videl. in Articulis Soproniens. seriatim et numerice citati et specifice inserti non sunt ad evincendam eorundem sublationem sufficeret et infallibiliter omnium summa illegalis emergeret consequentia, ut quoties nimirum in Decretis Regni aliae quoque leges in specie renovarentur, et reliquae in genere confirmarentur, toties paritate praetextuosae et illegalis hujusce ratiocinationis, omnes in genere confirmatas tolli ac pro sublatis haberi oporteret. Quod saluti omnium publicarum fundamentalium Regni Legum repugnat. Imo praetextu illegalis hujus rationis et pessimae consequentiae eo quod in Sacro Majestatis Vestr. Sacrat. Diplomate libertates, Jura, et Privilegia, vigore quorum Ven. Clerus dignitates, beneficia et amplos bonorum reditus usuat, atque possidet non per expressam et specificam cautionem, sed in genere duntaxat confirmata haberentur, si pro omissis et sublatis censeri deberent, tunc securam (quod tamen absit) eorundem possessionem et usum fructum sibimet polliceri non valeret.

12. Nec obstat suppositum Ven. Cleri dum toties citatam Articuli XXVI clausulam: „Salvis semper eatenus Legibus Regni," tanquam pro eo tempore late patentem, jam articulo posteriori ad specificatorum articulos restrictam et limitatam non amplius late patenter, verum limitative esse intelligendam adstruit. Si quidem Articuli Sopron. per articulum XXX novissimae Diaetae in genuino suo sensu, non in parte duntaxat, verum per totum confirmati sunt, ideo toties iteratae clausulae tanquam in XXVI articulo Sopron. comprehensae, alium quam tempore Diaetae Sopron. habuit sensum et intellectum, adstruere non majori cum veritate liceret, quam eosdem Articulos Sopron. non in genuino sensu, verum eidem e diametro contrario per Articulum XXX confirmatos asseverare. Nam si juxta Ven. Cleri suppositum praecise pro eo tempore, quo articuli Soproniens. conditi sunt, eadem clausula late patenter intellecta fuit, et jam nunc taliter in genuino suo sensu intelligi non deberet, ea ratione plane inutiliter Leges condi et sanciri consequeretur manifeste. Nec ulla publicis Legibus vis atque auctoritas constaret. Si

legum robur et firmitatem sensumque, et intellectum earum pro sola ratione temporis tam inconvenienter metiri, et in contrarium pro arbitrio varia re conveniret.

Hinc ex praemissis rationibus. Legibus, argumentis, et motivis in Commissionalibus Actis uberius comprehensis, quoniam per Articulos XXX 1715. Articul. XXV et XXVI Sopron. non in parte duntaxat, sed per totum in suo genuino sensu per Majestatem Vestram Sacrat. benigne confirmatos, mediante vero praecitata ultima Artic. XXVI Sopron. clausula, leges priores in negotio Religionis conditas Diplomate Regio firmatos, semper pro salvis pronunciatas, quin imo per Sacrum Leopoldinum Diploma per Majestatem Vestr. Sacrat. quoque Articulo 1715 benigne renovatum et confirmatum omnium in eodem Specificatorum annorum Articulos in omnibus suis Punctis clausulis et Articulis confirmatos et renovatos legimus comperimusque.

Proinde nullos priores Articulos Sopron. praecedentes in negotio Religionis conditos, Leges sublatas esse, verum sensu etiam citati Tituli 2di Part. 2dae oper. Decr. Tripart. suum priorem et de praesenti per omnia retinere vigorem, nullibi abolitas humilime censemus.

Quantum autem negotium et Quaestionem Resolutionum 1691 et 1701 quae Explanationum loco obvertuntur, attinet, hoc in passu nosmet ad priorem nostram demissam semel pro semper praemissam Opinionem humilime provocamus ad haec eo pleniori cum fiducia, quod iisdem ipsis tot et tantis publicis legibus et constitutionibus Regni prioribus quae omnes per Articul. XXVI Sopron. tempore pro salvis declaratae habentur, contra Resolutiones pro genuino Articulorum sensu nullatenus censeri possit.

Generale Ven. Cleri Membrum Quartum.

In quo Generalia Ven. Cleri Gravamina continentur. Ut sunt:

1. Quod Evangelici quodlibet privatum liberum exercitium convertunt in publicum.
2. In fundis quoque Dominorum Terrestrium id exerceant.
3. Quod Praedicantes pro lubitu ad loca communiter et promiscue excurrant, et sua munia ibidem de ritu suae Professionis peragant.
4. Quod extraneos ad suas Cerimonias pertrahant, in Matrimoniis contrahendis Catholicorum etiam Plebanorum Parochianis adstant, Introductiones, Baptismata et alia his similia extraneis quoque administrare praesumant. Imo
5. Quod in perceptionem stolarum Catholicis Plebanis praestandarum involent, easdemque subtrahant.
6. Quod sub praetextu confiniorum, quae talia esse desierunt publicum exercitium continuant.

7. Concludendo, quod licet haec omnia etiam per Commissiones Caesareo-Regias ab an. 1682 inchoatas et expost subsecutas in suum ordinem reducta, minus tamen servata, imo violata.

Respectu quorum ex parte Evangelicorum primum et ante omnia in genere replicatum:

Praemissa ex parte Ven. Cleri Gravamina eo ipso, quod non ex lege publica et Articulis Sopron. verum ex Resolutionibus an. 1691 deprompta haberentur, nec speciem quidem Gravaminum prae se ferre posse. Quia Articuli Sopron. et Poson. non autem Resolutiones an. 1691 articulorum eorundem eversivae imo Ven. etiam Clero non diffitente iisdem contrariae examinandorum Gravaminum Basis et Fundamentum sunt; quin potius haec omnia tanquam aperte contra Legem publicam sub specie Gravaminum proposita, ubicunque similia Evangelicis peragenda atque exercenda perhibebantur, et impediebantur, ea ipsa nequaquam Ven. Cleri, sed potius, quod Evangelicorum in serie reliquorum deducta realia et legalia in fundamento articulorum Sopron. radicata Gravamina sint. Regesserunt provocando semet ad demissam generalem Gravaminum suorum Instantiam, et in specie quidem respectu uniuscujusque a parte Ven. Cleri propositi Gravaminis sigillatim suo ordine per Provocationem ad Puncta in Gravaminibus et Paragraphis in producto sub Lit. G Replicae loco adductas ibidem rationes et Leges citando, quas nos hic repetere, tanto minus necessum existimavimus, quanto verius alioquin etiam est signanter

Quoad Gravamen in ordine primum

Respectu liberi Religionis exercitii cujus illegalis in Publicum et privatum distinctio, hic obvertitur, jam eo in passu de legali per Regnum omnibus Statibus et Ordinibus Civitatibus item oppidis et villis sponte ac libere acceptare volentibus vigore Articuli XXV concessi in Puncto generalium Evangelicorum Gravaminum in ordine Primo

Quoad Gravamen vero secundum

Quod idem exercitium in fundis Dominorum Terrestrium peragant, hoc ipso nihil terreno, seu Terrestrium Dominorum Juri decedere, neque jus ad spiritualia et conscientias legaliter extendi posse jam in Puncto generalium Evangelicorum Gravaminum in ordine tertio.

Quoad Gravamen tertium

Respectu Praedicantium, qui munia suae Professionis communiter peragunt, id etiam de natura liberi Religionis exercitii, legalis esse libertatis jam in Puncto tam primo quam quinto generalium Evangelicorum Gravaminum.

Quoad Gravamen quartum

Respectu ministerialium functionum in administrandis copulis, Baptismatibus introductionibus et id genus etiam erga extraneos, quos nolentes et invitos ad Cerimonias pertrahere sicut Religioni Evangelicorum adversaretur, ita etiam ultronee et sponte ad Sacra Evangelicorum venientes Evangelicos repudiare, non modo legali libero Religionis exercitio, verum etiam Ministrorum tum vocationis tum professionis obligationi repugnaret, quod id ipsum aeque legalis esset libertatis jam ad Punctum generalium Gravaminum primum et secundum ostensum.

Quoad Gravamen quintum

Respectu stolae, quod mediante ejusdem ab Evangelicis perceptione, per hoc Proventus Dominorum Plebanorum non subtrahant, Lex id ipsum ut Catholicus Catholico et Evangelicus Evangelico solvat, statuens dilueret, jam in Puncto generalium Evangelicorum Gravaminum in ordine XVII.

Quoad Gravamen sextum

Respectu confiniorum quae talia desiisse praetenduntur quod eo non obstante legali libero Religionis exercitii usu privari non possint, jam in Puncto generalium Evangelicorum Gravaminum in ordine XIV uberius, pro et contra non tantum tractatum deductumque, verum etiam circa praemissa omnia, ad quodlibet in praemissis citatorum generalium Punctorum legalis Opinio nostra demisse subnexa haberetur: ideo ibidem demisse praemisso voto et opinioni nostris absque ulteriori hic loci reiteratione firmiter et simul inhaeremus.

Quantum denique ad superiores Commissiones ab an. 1682 inchoatas reponunt Evangelici:

Quod eaedem aliae per se, aliae per Deputatos, seu Subcommissarios maxima in parte Articulos Sopron. in sensum contrarium interpretando, Gravamina et Angustias, quorum legalis complanatio per Sacratiss. Principem Leopoldum adhuc clementissime appromissa, nimium quantum auxissent quam ob rem neque in Articulo XXX novissimae Diaetae Acta illarum commemorata, multo minus confirmata haberentur. Neque in benigno Majestatis Vestrae Sacratiss. Commissionali Decreto ulla earundem esset mentio; sed et ipse Ven. Clerus in Replica quoad Particularia Evangelicorum Gravamina et quidem in specie, quoad Comitatum Scepusiensem num dictas commissiones impugnaret.

Quibus in accuratiorem considerationem sumptis, quoniam de natura omnium publicarum Regni Legum neque Articuli Sopron. Commissionibus, sed Acta Commissionalia post annum 1687 Delegatorum articulis conformanda, atque secundum eosdem regulanda non immerito reperiissemus

notorium quippe est aliud Legem in Articulis disposuisse sub poena publice, aliud Commissiones ordinasse.

Ideo eadem pro solidanda supra recensitorum ex parte Ven. Cleri Gravaminum praetensione, tanto minus militare posse, quanto evidentius neque ex parte Ven. Cleri Gravaminum praetensione per totum, neque per Evangelicos qua iisdem mediantibus graviter laesos acceptarentur demisse censemus, cum et aliunde Articulus XXX negotium Religionis, non ad commissionalem illum, cujus Acta ex parte V. Cleri commemorantur, sed articularem id est legalem statum reponendum diaetaliter sanxisset. Hinc progredimur ad

Generale Ven. Cleri Membrum Quintum

De Clausula: „Salvo Jure Dominorum Terrestrium."

Qua mediante jus sive Jurisdictionem eorundem terrestrem in subditos quoad Spiritualia adeoque in conscientias subditorum et Sacra eorundem extendendam praetendit, quem in finem (sicut in originali ipso videre est) non ex Jure Patrio legalia sed dicta Scripturae et Patrum citando, mere Theologica argumenta in medium adduxit, quae cum Agentes Evangelici silentio praeterire inconveniens duxissent, desuper hoc membro ex Scriptura et Patribus tanquam eodem ex fonte ad objecta equidem replicarunt: nihilominus tamen tali expressa praecautione, quod videl. ea quae ad Theologos spectant, nonnisi defensionis et respondendi causa invite eos adducere oportebat.

Quo nihilominus non obstante, ulterioris commissionalis contra-replicae loco nomine Ven. Cleri exhibitum fuit opusculum illud Theologicum, quod pariter ac Instantia Evangelicorum, qua Majestati Vestr. Sacrat. respectu ejusdem opusculi demisse exhibita et repraesentata fuerat in conformitate ultimarii Majestatis Vestr. Sacrat. benigni Mandati partibus in Commissione Agentibus stante sessione commissionaliter restituta sunt.

Ut sic ad hoc Membrum ex parte nostra nihil aliud quam quod Puncto III Generalium Evangelicorum Gravaminum intuitu praemissae clausulae, quoad Jus Dominorum Terrestrium ex lege dicta sunt repraesentandum occurrat, quo in passu datae ibidem legali opinioni nostrae demisse insistimus. Facto hinc transitu ad

Generale Ven. Cleri Membrum Sextum

De Jurisdictione Sacrae Sedis Romano-Catholicae.

Quam Ven. Clerus in Evangelicos et eorum Ministros in causis Spiritualibus et Matrimonialibus extendendam praetendit, in quibus quod Evangelicorum utriusque Confessionis superintendentes Jurisdictionem sibimet, vi muneris eorum propriam exerceant, per hoc in Juris-

dictionem Sacri Fori Sedium Romano-Catholicarum eosdem involare causasque eo spectantes impedire obvertit.

Quo fine ex parte Ven. Cleri hoc Membro citatae Leges et rationes, quoniam in generalibus Evangelicorum Gravaminibus Puncto in ordine IV ubi nimirum de Jure et Jurisdictione Superiorum seu Superintendentium Evangelicorum Ecclesiastica ex professo actum fuisset jam reassumptae cum Replicis Evangelicorum combinatae taliterque in examen sumptae fuissent. Ideo eadem hic repetere haudquaquam necessum fuisse censuimus, verum nosmet hac in materia ad continentias praecitati Puncti IV generalium Gravaminum, ibidemque subnexa votum et opinionem nostram demisse provocamus, ejusdemque legalitati cum omni submissione inhaerendum existimavimus. Subjungimus ulterius

Generale Ven. Cleri Membrum Septimum

Quo mediante diversae Religionis Sponsorum copulam Prolium ex tali matrimonio in sola Religione Romano-Catholica educatione, nec non Evangelicorum a Piis Legatis et Fundationibus exclusionem praetendit. Hoc solum pro ratione adjungendo, quod sola Religio Romano-Catholica in hocce Apostolico Regno Haereditaria Evangelicorum vero tolerata esset. Verum

Ex parte Evangelicorum replicatum

Quod veluti Majores nostri ex libertate conscientiae suae sub Sancto Rege Stephano, Christianam amplectendo Religionem, per hoc Regnum suum et Patriam quam ut Gentiles adepti non amiserunt; ita Praedecessores Evangelicorum per hoc quod per Praedicationem Verbi Domini secundum conscientiae suae libertatem derelicta Religione Catholica-Evangelicam amplexi fuerint Religionem ne palmam quidem terrae de suis haereditatibus et Juribus amiserant; nulloque sub titulo Juris amittere potuerunt ut sic non Religionem Romano-Catholicam haereditariam, sed inclytos Status et Ordines conscientiarum legali libertate gaudentes legitimos avitarum haereditatum suarum possessores, haereditariosque Regnicolas esse et ex consequenti ex tribus legaliter et diplomatice receptis stabilitis et privilegiatis eum in finem Religionibus pro libero suae voluntatis arbitrio alterutram eligere amplecti et profiteri posse, pro libitu vero profitentes ad invicem, quod libertatem tam conscientiae, quam vitae Juriumque Societatis Civilis, adeo pares esse ut par in imparem imperium non habeat. Multo minus sive una sive altera Religio haereditaria dici aut jus excellentiae vel praerogativae allegare queat, tanto minus quoniam neque Patrias Regni Leges, neque solennes publicae Fidei Pacificationum tractatus, neque Sacra Regum Diplomata, praetensae haereditatis excellentiae aut praerogativae vel minimam facere mentionem

aut distinctionem, notorium et innegabile sit, quin potius clementissima diaetalis trium gloriose regnantium Majestatum Resolutio. trium Religionum in Hungaria receptarum securitati etc. item incipiens: In conformitate tot publicarum Regni Legum in negotio Religionis sancitarum, quod omnino tres essent in Regno Hungariae Religionis absque ullo discrimine et sine distinctione ad vivum expressit.

De clausula vero: Absque praejudicio Romano-Catholicae. Pacificationi Vienens. inserta, de cujus genuino eoque legali sensu in Puncto XIII generalium Evangelicorum Gravaminum actum est.

Reponunt Evangelici:

Quod eadem secundum benignam serenissimi Matthiae Archiducis, dein Imperatoris et Regis declaratoriam assecurationem non mala fide adjecta; verum ut pars utraque in suae Religionis confessione, usu, exercitio, et Templis non turbetur, hocque et non alio sensu tempore Pacificationis Vien. intellecta fuerit, nec secus intelligi potuerit, id res ipsa et eventus docuit, et per subsequentes tam Articulum primum an. 1608 ante Coronationem, quam et reliquos, in quibus nulla amplius clausulae facta mentione, et liberum Religionis exercitium, omnibus et ubique per Regnum sponte ac libere acceptare volentibus concessum et Templa jure publico, quae antea juris Dominorum Catholicorum fuerant, postquam iidem Religionem Evangelicam sponte ac benevole acceptassent, in legitimam Evangelicorum possessionem et dominium cesserunt. Quod ipsum hoc modo diaetaliter per inclytos Status et Ordines Regni deliberatum, articulariter statutum, ac deinde Diplomatice quoque stabilitum haud fuisset, imo neque statui potuisset, si clausula: „Absque praejudicio" hoc sensu prout Ven. Clerus in Actis suis commissionalibus et quoad liberum Religionis exercitium, et possessionem, usumque Templorum universaliter et in genere extendit intellecta fuisset, aut intelligi debuisset; hoc ipsum vero asseverare nihil inferret aliud, quam quod Articuli in negotio Religionis, nulli unquam per Pacificationes Leges et Diplomata conditi fuissent, neque in corpore Juris Patrii reperirentur, aut in rerum natura extarent, cum tamen nihil magis immutabili Juri Gentium et communi Civili societati humanae inconveniens esset, quam semel promissa conclusa ac longo usu stabilita sancte ac inviolabiliter observare.

Ex quibus et aliis in originalibus Actis uberius ex parte Evangelicorum adductis, Legibus, rationibus et motivis praemissam a praetensa Religionis Romano-Catholicae in Regno haereditate, excellentia et prioritate adductam rationem, veluti in nulla lege ab an. 1606 conditam, fundatum, ita etiam clausulam: „Absque praejudicio" non secus quam ea per

ipsummet paciscentem Sacratissimum Principem Archiducem, Matthiam deinde Imperatorem et Regem gloriosae reminiscentiae declaratae et explicata fuit. Et quem sensum natura Pacificationum secum tulit, Fides publica admittit, eandemque Pacificationem subsequentes Leges et Sacra Diplomata expresserunt et stabiliverunt. Usus vero Legum optimus interpres a temporibus Pacificationis illius jam ultra revolutionem unius seculi in perpetuum corroboravit legaliter intelligi posse comperiimus.

Ac proinde nihil adversus ea, quae lege publica Evangelicis competunt, praetensum legibus ignotum haereditatis et excellentiae jus operari neque sub specie clausulae illius absque praejudicio legalia Evangelicorum Jura invalidari ac contra expressam poenalem legis dispositionem sive usum liberi Religionis exercitii et necessariorum turbari sive Templa occupari posse perquam demisse censemus.

Quia vero respectu copularum, ubi diversae Religionis Personae Matrimonium contrahunt, et respectu Baptismatum, Introductionum, ac Educationis Prolium in sola Religione Romano-Catholica, quod haec in arbitrio personarum diversae Religionis sita sint, utpote cujus Religionis Ministri in copulando introducendo, et baptizando opera uti, et in qua Religione Proles educare malint. Nec secus omnibus et ubique concessum liberum Religionis exercitium turbetur et Parentes in educatione, quam Jus naturae iisdem propriam attribuit, impediantur. Eoque in passu ab arbitrio Dominorum Plebanorum dependere non adigantur. Jam in ordine ad Punctum generalium Evangelicorum Gravaminum quintum actum fuisset, eodem nosmet demisse provocamus, et simul ibidem datae humilime opinioni hic quoque inhaeremus.

Quantum denique ad Pia Legata et Fundationes:

Quod ab iisdem Leges Evangelicos non excludunt, quin potius iis mediantibus, ac in specie publico Pacificationis Vienens. jure, ac eandem concomitantes Regni constitutiones Sacraque Regia Diplomata cuncta prae manibus Possessorum Evangelicorum relicta fuere, ac ut possessa Templa cum omnibus appertinentiis et beneficiis (quorum nomine ipsa quoque Pia legata et Fundationes veniunt) tanquam iisdem neque exceptis neque exclusis in posterum quiete et pacifice possideantur et non occupentur, legum beneficio data a jure primaevorum possessorum in Evangelicorum legitimam possessionem et Dominium, usu quoque longissimo roboratum transiverunt. Ut sic Pia quoque Legata et Fundationes eandem Juris publici naturam et titulum imbuerint ac retineant comperiimus.

Ac proinde neque a beneficio Fundationum et Legatorum Evangelicorum in quorum usu vi Patriarum Regni Legum fuere in posterum excludi posse, exclusos vero integrum restituendos demisse censemus.

Generale Ven. Cleri Membrum Octavum.

Quo mediante ex parte Ven. Cleri in facto occupationis et ademptionis Templorum, nec non interturbationis et sublationis Liberi Religionis exercitii usus, factum est quod non negatur, sed ratio facti et quidem tam respectu eorum, quae ante, quam quae post novissimam Diaetam 1715 ab Evangelicis adempta, occupata et interturbata fuere.

Circa quae ut ordine ibidem contenta procedatur occurrit

Ratio Prima.

1. *Negotium expeditionis benignorum Mandatorum.* Quippe praelibatus Ven. Clerus pro prima omnium maximeque principali et quasi fundamentali ratione Facti, hactenus ab Evangelicis per Dominos Romano-Catholicos ademptorum et occupatorum Templorum beneficiorum et proventuum interturbatique et plurimis in locis sublati liberi Religionis exercitii, ponit argumentum in Expeditionibus benignorum Mandatorum pro parte sua et ad instantiam nonnullorum Dominorum Rom.-Catholicorum, emanatorum, vigore quorum praetextuose sub titulo supremae auctoritatis Regiae. Universa quae hactenus, sive ante, post novissimam Diaetam Poson. absque Commissionis examine ab Evangelicis adempta, occupata et interturbata sunt, eo ipso legitime facta fuisse asserit, hoc allegando potissimum, quod suprema auctoritas Regia in facto Religionis nullatenus disputari possit.

Quo in Puncto et signanter sub hoc Membro octavo in Actis uberius ab utrinque adductis Legibus, rationibus, motivis et argumentis, per nos in examen sumptis, non sine praevia demissa ergo Majestatis Vestrae Sacrat. supremam auctoritatem Regiam perpetuo fidelis obsequii subjectione adinvenimus. Quod

Gravis sane summae auctoritati Regiae inferatur injuria per eos, qui securitatem Evangelicorum, contra Leges, pacem et tranquillitatem domesticam pro scopo habentes, suprema auctoritate Regia confirmatas adeo impune convellere non dubitarint, ac si nulla Pacificatio publica, nulla Sacra Diplomata, nulla in fide publica, ac Sacro verbo Regio promissio, nulla denique tam Majestatis Vestrae Sacrat. quam gloriosorum ejusdem praedecessorum auctoritate confirmata. Lex et constitutio publica intercessisset. Verum enimvero, quia tam in priorum quam novissimae Diaetarum et Articulorum (inter quos de negotio Religionis conditi comprehenduntur) conclusionibus clementissima confirmatoria verba sic sonant: R e g i a q u e p a r i t e r a u c t o r i t a t e n o s t r a a p p r o b a v i m u s, a c c e p t a v i m u s, r a t i f i c a v i m u s, e t c o n f i r m a v i m u s. Ac propterea in clementissimis an. 1704 et diaetalibus publicis trium gloriose Regnantium Majestatum Explanationibus benigna auctoritas Regia in manutenendis

Evangelicis clementer appromissa, et interposita his verbis: Regia manu et auctoritate omnimode praepeditum haberetur. Jam eo ipso dum legali huic, et expressae benignae auctoritati Regiae in clementissima Legum manutentione cum primis consistenti demissime constanter innixi Evangelici; ea quae publici Juris et Justitiae essent, legaliter proponunt, immerito arguuntur, quasi illegitimo modo supremam auctoritatem Regiam disputarent. Nam quod per expeditiones benignorum Mandatorum ad Instantiam sive Ven. Cleri sive privatorum Dominorum terrestrium emanatorum, ea quae publica Vestrae Majestatis Sacrat. et legum auctoritate stabilita sunt, in negotio Religionis turbari et occupari non potuisse legaliter remonstrarunt, per id non contra sed pro suprema Leges confirmante auctoritate Regia egerunt, ut potius non leviter supremae auctoritati Regiae praejudicari comperiantur, dum ex parte Ven. Cleri ad factum Religionis eadem non obscure restringatur, cum tamen Leges publicae auctoritate Regia confirmatae, eadem non minus in aliis quam Religionis negotiis fuisse, et esse supremam auctoritatem Regiam declararunt.

2. Negotium Religionis esse Juris publici, de cujus securitate per Articulum XXV 1681 suprema auctoritate Regia confirmatum, his verbis sancitum est: Ut nullus Regnicolarum in libero Religionis suae exercitio quoquo modo turbetur aut impediatur. Per Articul. vero XXVI: ut nullae Templorum Scholarum et Parochiarum occupationes, exercitii turbationes, a modo imposterum fiant. Ac ideo non per expeditiones benignorum Mandatorum in negotio Religionis Ven. Clero vel aliis Dominis Romano-Catholicis Evangelicos turbare, minime licitum fuit. Cum abunde

3. Vi positivarum Legum et signanter articul. XXX an. 1681 legalitas Mandatorum coram suo Judice competente examinari, disputari, et edoceri solet. Sed quia in negotio Religionis praeter hancce Commissionem alius legitimus Judex articulariter constitutus non habebatur, ideo ad Comitatus et Civitates qua Judices minus competentes Mandata dirigi non potuerunt. Quoniam

4. Virtute etiam Articuli XVII 1715 in causis quidem Judice legali distitutis penes benigna Mandata Regia alii, ad qualitates et merita causarum convenientes Judices delegari consuevissent, quia tamen negotium Religionis ordinata articulari Commissione Judice legali non destituebatur. Articularis autem Commissio partim ex proceribus, partim ex praecipuis utriusque Religionis Membris ordinata fuerat. Quae nihilominus siquidem ea non polleret auctoritate, ut auditis etiam Partibus examen suum absque praevia benigna Majestatis Vestrae Sacrat. ratificatione, vel modificatione in executionem sumere posset: tantominus itaque Comitatensibus vel Civitatensibus aut aliis occupationis Templorum ac tur-

bationis liberi exercitii (quorum adhuc sola revisio ab examine Commissionis dependebat) simplex executio (quae parte non audita nulla admittitur) conpetebat. Et hinc pro

5. De Regula Juris 170: Factum a Judice quod ad officium ejus non pertinet ratum non est, ac juxta Titul. XIV Prolog. oper. Decr. Tripart. Judicia etiam ac multa magis simplices executiones, turbationes et occupationes per eos, qui ex jure publico introductam authoritatem et Jurisdictionem ad ea facienda non haberent, facta haud licita esse censerentur, ideo ipso jure et facto praescriptae simplices Templorum occupationes et exercitii turbationes non obstante benignorum Mandatorum expeditione pro legitime factis reputari non possunt. Nam

6. Si juxta Articulum XLVIII: 1655 ne ipsos quidem rusticanos fundos citra poenam violentiae occupare licitum foret, quanto major ratio tot Legibus et Sacris Diplomatibus firmati liberi Religionis exercitii, ususque et possessionis Templorum haberi deberet. Atque sic pro

7. Dum vel in privatorum negotiis etiam modum expediendorum benignorum Mandatorum tam praecitatae quam aliae Leges et signanter Sacra Diplomata 1622 art. II et 1655 art. I conditione quinta sat clare exprimerent, et perscriberent, usque adeo ut secundum Articulum XI 1492 juxta formalia ejusdem verba: Ad simplicem querelam et sinistram Suggestionem Regia Majestas, neminem Regnicolarum suorum cujusque status et conditionis existat, in Persona, Possessionibus, seu quibuscunque rebus aliquo modo, praeter viam Juris et parte non audita impediendum permittere velle credatur. Ac ideo cum vel minimi pretii bonum absque praevio legali ordine, a quopiam non audito, non convicto auferri non possit, quod itaque absque legali Commissionis examine, nemini ad occupationem Templorum, et interturbationem usus liberi Religionis exercitii, progredi, expeditionesque benignorum Mandatorum exoperari licuerit, atque contra non auditos, non convictos Evangelicos contra omnia Jura Processus ab executione inchoari legaliter nequiverit, palam esset. Et hinc est quod pro

8. Quod vi tam praeinsertarum legum, quam LXXX Articuli 1563 benigna Mandata semper cum clausula Justificatoria rebusque sicuti profertur stantibus seque habentibus expedienda venirent, ut uter justam causam habeat in judicio discutiatur, quem confirmant Articuli 4tus et 5tus 1625, XIII 1635, LIII 1655 et XLV 1659 annorum, distinctionem quoque inter legitimorum et illegitimorum Mandatorum expeditionem per expressum continentes, imo supra citatus Articulus XXX 1681 per Articulum XIX novissimae Diaetae confirmatus in haec verba loquitur: Ne praeceptoria, executoria, cum insolitis clausulis expediatur, expeditis vero per Judices inferiores nullus

locus detur, liceatque omnibus causantibus cum honestate causae citra incursum alicujus poenae contra similia Mandata excipere. Mandata vero per allegata sine causa justificatoria potissimum cum insolitis comminationibus contra Evangelicos non auditos expediebantur. Qui dum pro remedio ad excelsam Cancellariam recurrebant ad eos, contra quos conquerebantur pro danda informatione remittebantur. Et cum nemo contra se informationem dare velle supponatur informationes contra rei evidentiam submittebantur, et vix aliquando petentibus Evangelicis ut ad easdem respondere potuissent communicabantur, et ideo experientia teste ex occupatis Templis ne unius restitutionem, quoad oratori vero et interturbatum Religionis exercitium raro et non sine gravibus fatigiis: imo plerumque ex officio duntaxat expeditiones resolvebantur vel si benigna etiam Mandata interdum impetrata fuissent ea potissimum cum clausula Justificatoria et saepissime, usque ulteriorem duntaxat resolutionem extradabantur.

9. Mandata sine clausula Justificatoria etiam in privatorum Juribus extradata vi praeallegatorum Articulorum cum honore seponi, cum clausula vero emanata per partes disputari, et per Judices tam Ordinarios quam Pedaneos discuti, imo juxta Tit. LXXII Part. 2dae et Articul. LIII 1655 illegitima Mandata ad sinistram expositionem impetrantes in poena sinistrae expositionis convinci consueverunt. Ast in negotio Religionis hoc factum non fuit, quin potius cum fieri postulabatur postulantes, qua praetensi refractarii et Mandatorum contemptores tractabantur, prout id in productis sub sextuplici Q. R et S et in specie factorum sub numero 4to fusius actum.

10. Expedita benigna Mandata per quoscunque Judices Regni ad normam Patriarum Legum examinantur et discutiuntur, ac denique non nisi iis quae Legibus conformia esse comprobarentur a potiori locus datur. In negotio Religionis vero hactenus expedita quamvis diversum ab Articulis Soproniensibus praecipiebant, non secundum eos Articulos examinabantur, verum Articulorum clara verba per expeditiones Mandatorum in diversum trahebantur sensum. Quamobrem

11. Si hic praetextus et excusatio exoperandorum benignorum Mandatorum Regiorum ad Occupationem Templorum et interturbandi liberi Religionis exercitii legitimationem sufficeret, vel sola experientia teste, indubie sicut non pauca adempta, ita et reliqua omnia, quae prae manibus Evangelicorum sunt, actuque possidentur adimi et occupari possent in eversionem Articulorum Soproniens. et reliquarum in negotio religionis conditarum publicarum Regni Legum, publica item fide sancitarum Pacificationum et Sacrorum Regiorum Diplomatum.

12. Nec opus fuisset diaetalis hujus Commissionis sumptuosa reassumptione et ad leges per Articulos Sopronienses pro instituto substratas

directione, si ea, quae hactenus vi expeditorum Mandatorum occupata sunt, juxta Articulos examinari et remederi non deberent. Quibus accedit

13. Notum esse imo etiam ex praevie jam in specie factorum, per annexum sub numeris 3 et 4 ac ibidem benignorum Mandatorum productis diversis copiis constat, tam pro parte Ven. Cleri aliorumque Dominorum Catholicorum, quam etiam Evangelicorum varia pro et contra expedita fuisse benigna Mandata, quorum legale examen eo ipso Commissioni competere ad normam legum innegabile foret.

14. Quia Majestas Vestra Sacrat. praevius expeditionibus per absolutum non inhaerendo easdem ad praesentem commissionem, pro examine clementissime dirigere dignata fuit. Et quidem eo fine

15. Ut omnia in Articularem statum juxta genuinum Articulorum Sopron. sensum reponantur, quod fieri haud posset, si praetensa benignorum Mandatorum ratio, in quantum etiam emanassent, legali hujus Commissionis examini non subjaceret.

16. Quapropter quicquid sive benignis Mandatis, sive alias qualitercunque pro ratione occupationis interturbationis et ademptionis ex parte Ven. Cleri substrueretur obvertereturque, id omne (salva post novissimam Diaetam occupatorum simplici, restitutione) legali Commissionis examini Majestas Vestra Sacrat. pro innata Augustissimae Domus Austriacae Legum sanctimonia et erga legalem justitiam benignae auctoritati Regiae clementissime praeponderanti aequanimitate, omnino ad immortalem Caesareo-Regiae Dignitatis gloriam clementissime commisit.

17. Ipsum quoque Ven. Clerum pro parte Evangelicorum emanatorum, quamvis legitimorum benignorum Mandatorum expeditionem coram moderna Commissione impugnasse palam constat, dum in praetensa particulari Replica die XXIII Junii an proxime praeteriti 1721 Pestini Commissioni exhibita in Comitatu Sarosiensi, quoad civitatem Eperjesiensem, haec continentur verba: Et neque praesumendum esset Regias Majestates quidpiam in favorem doli et fraudis intercedente ad id etiam perjurio Partis informantis ac supplicantis etiamsi Mandata reipsa ex sinistra informatione prouti saepius usu venire solet emanata sint, concedere aut praecipere velle. Item quoad civitatem Barofensem in verbis: Cum autem in omnibus benignis Mandatis ejusmodi Regiis, clausula illa Justificatoria rebus uti praefertur stantibus seque habentibus tametsi non explicite, implicite tamen annexa haberi censenda sit, consequenter defectu expositionum ipsa etiam Mandata pro defectuosis in meritam poenam ea impetrantibus haberi debeant.

Item in particularibus praetensis Ven. Cleri Gravaminibus die XXVI Maji an. 1721 aeque Pestini exhibitis praedicto Comitatu Sarosiensi,

quoad praenotatam Civitatem Eperjesiensem de benignis Mandatis haec habetur expressa Ven. Cleri sententia: Regia etiam universa Mandata Jus alienum semper in suo esse relinquendum intelligerent. Ex quibus praemissis universis constat ipsius etiam Ven. Cleri sententia: Jus alienum per benigna Mandata perimi et convelli non posse, et consequenter non minus in Religionis quam aliis quibusvis negotiis discrimen legitimorum et illegitimorum Mandatorum locum obtineat oportet, adeoque universa eadem semper ad normam legum revocari, et an non publico Evangelicorum Juri praejudicent ut examinentur, Legum et communis justitiae, quin in negotio Religionis quoque, alias vel maxime publico vigore Legum et articulorum de Mandatis sonantium requisita non solum in generali Evangelicorum Replica, sed et Duplica limpidius deducta et declarata necessario ac de omni jure adhibeantur.

Quorum et aliorum in Actis suis commissionalibus uberius comprehensorum intuitu cum demissa perpetuae fidelitatis subjectione humilime apud Majestatem Vestram Sacrat. supplicant Evangelici ne dedignetur pro innata gratia et clementia justitiaque sua, desideratae fidelium suorum subditorum Evangelicorum futurae quieti et tranquillitati, eo in passu vel maxime clementissime consulere, ut post praeviam eorum quae hactenus penes benignorum etiam Mandatorum ad importunas instantias emanatas expeditiones ab Evangelicis adempta sunt, in integrum restitutionem, a modo imposterumque similia Mandata, praetextu quorum non citatos, non auditos, non convictos Evangelicos in negotio Religionis turbari et impediri ansa suppeditari possit. Nullatenus expedirentur, verum in occurrentibus sive inter Ven. Clerum, sive quosvis Dominos Romano-Catholicos ac Evangelicos casibus, semper prius partibus interessatis, citatis sufficienterque exauditis, rectum judicium et legalis justitia administretur, ne secus contra non auditos et non convictos Evangelicos Processus ab executione inchoetur et hoc modo (sicuti hactenus factum) in causis et negotiis Jura receptarum Religionum tangentibus non ad executionem sed revisionem procedatur.

Hinc ubicunque hactenus praetextu expeditionum benignorum Mandatorum a tempore Diaetae Soproniensis, sive Templa e manibus Evangelicorum occupata et adempta, sive exercitium sublatum, aut qualitercunque interturbatum haberetur, hoc ipso factum per et propter illegalem benignorum Mandatorum tam interpretationem quam expeditionem, legitimari et justificari non posse, quin potius eo in passu manifeste articulis Soproniens. contraventum esse benigneque remedendum, et laesos Evangelicos in integrum restituendos venire perquam demisse censemus. Et quidem tum ideo quod Articul. XXVI 1687: Ut nullae Templorum, Scholarumque et Parochiarum occupationes, vel exercitii

turbationes fiant, absolute prohiberet. tum vero quod etiam si per inconcessum contra Articul. Soproniens. quodpiam Templum Evangelicos possedisse, praetendi potuisset, id nihilominus post ordinatam. vel maxime pro examinandis in effectuatis abusibus et contraventionibus Articulorum, Commissionem. non ab executione, non citatis. non auditis, non convictis Evangelicis inchoandum. sed ab eventu Commissionis praestolandum fuisset, adeoque non via facti. sed ordine per Articulum XXX 1715 diaetaliter praescripto procedi debuisset. sed et alioquin Templa eadem tempore Diaetae Soproniens. etiam in possessione Evangelicorum fuisse productis coram Commissione Inquisitionibus comprobant, et ideo tanquam per Articulum XXVI Sopron. prae manibus eorundem relicta articulariter, riteque et legitime de jure ipsis competunt. Ne autem in futurum tot querelis et lamentis ac innumeris quasi Evangelicorum Gravaminibus ulterior ansa locusque supersit. quin potius sua cuique constet quies et tranquillitas, ut Majestas Vestra Sacratissima clementissime ordinare dignetur, ne ulla amplius contra Evangelicos in negotio Religionis expediantur Mandata, praetextu quorum non citati, non auditi. non convicti, sive in possessione Templorum, sive liberi Religionis exercitii usu, sive praetextu solutionum, sive aliter qualitercunque sub Sacratissimo supremae auctoritatis Regiae titulo, turbari aut impediri possint. Verum si quaepiam differentia aut querimonia circa praemissa contra quemcunque Evangelicorum delata fuerit. ea praevie excusati in praesentiam certorum ex utraque Religione aequali numero per Majestatem Vestram benigne delegandorum Commissariorum intra Regnum citatione auditis sufficienter partibus, Majestati Vestr. Sacratiss. humilime referatur. ac tandem pro innata toti augustae domui Austriacae justitia et aequanimitate decidatur taliterque audita sufficienter utraque parte, et querulantes infinitis expensis atque fatigiis liberentur, et Majestas Vestra Sacratissima innumeris non citatorum. non auditorum. non convictorum querelis et lamentationibus haud quaquam oneretur. summe necessarium, summeque proficuum demisse existimamus.

Ratio Ven. Cleri Secunda.

De Neo-acquisticis.

Alterius praetensae Rationis loco Ven. Clerus allegat quod in partibus Regni e potestate Turcarum gloriosis Majestatis Vestrae Sacrat. armis recuperatis, seu ut vocant Neo-acquisticis suprema auctoritas Regia Jus Patronatus sibi reservasset, ac exinde inducere nititur, ac si eaedem Regni Partes beneficio Legum et Articulorum de libero Religionis exercitio sancitorum frui non deberent.

Hinc in contrarium ex parte Evangelicorum in Actis eorundum replicatum adinvenimus, quod videlicet:

Neque de jure summi Patronatus, neque de jure Neo-acquistico quidnam eo nomine proprie intelligendum? quotve Comitatus ad Neo-acquistica pertinerent, ad praesens Commissionis institutum spectare dignosceretur. Verum sufficere Evangelicis praetensivam Juris Neo-acquistici ratonem universali per Regnum Hungariae in negotio Religionis concessae libertati nihil derogare aut officere: multo minus in recuperatis Regni comitatibus degentes Regnicolas Evangelicos, in liberi Religionis suae exercitii usu ac Templorum possessione turbari posse ex rationibus sequentibus. Et quidem

1. Articulo primo Pacificationis Vien. deliberatum est: quod intra ambitum Regni Hungariae liberum Religionis exercitium nusquam et nunquam Majestas Vestra Sacrat. turbabit, nec per alios turbari aut impediri sinet. Hinc si quidem Comitatus gloriosis victricibus suae Majestatis Sacratiss. recuperati revera intra non extra ambitum Regni Hungariae a seculis fuissent, et essent, quod vi hujus Legis nusquam et nunquam turbari possint, ex praeinserto Legis contextu pateret.

2. Articulus Soproniensis XXV an. 1681 liberum Religionis exercitium omnibus et ubique per Regnum concederet, nec ullum Regnicolarum quoquo modo turbandum admitteret, quia vero tam praetensi Comitatus Neo-acquistici in Regno essent, quam Evangelici etiam in iisdem degentes indubii Regnicolae forent, ex eo universali de non turbando Legis beneficio ac securitate legitimo modo privari haudquaquam possunt, tanto eminentius quod

3. E potestate Turcica vindicatae ac Regno reincorporatae partes atque Comitatus, velut ab olim ita nunc quoque eadem cum Reliquis Regnicolis fidelibus libertate gaudere; iisdemque Legibus Regni gubernari experientia dum testatur, jam nec in negotio Religionis conditarum Regni Legum libertate tanquam in genere reliquarum comprehensa, eosdem destitui debere clarum evaderet.

4. Quemadmodum unius corporis Membra non secus quam omnia pati alimento nutriri ac conservari possint, ita unius ejusdemque Regnicolas tanquam unius corporis membra conformibus et aequalibus Legibus et libertatibus regi et tutari naturaliter conveniens ac saluberrimum foret. Et quidem eo magis, si quidem

5. Nulla aequitatis ratio superesse possit, ut iis qui sub jugo infidelium libertati Religionis et conscientiarum tranquillitate fruebatur, jam nunc victricibus Augustissimae Domus Austriacae alis et clementissimo Regis legitimi regimine in libertate Religionis et conscientiarum, quae caeteris civilibus libertatibus praepolleret deterioris esse deberent conditionis. Cum aliunde

6. Licet occasione Diaetae novissimae Dni. Catholici jam supplicassent,

ne tenor et continentiae Articulorum Sopron. ad partes armis Caesareo-Regiis recuperatas extendantur, quia tamen Majestas Vestr. Sacrat. in benigna Resolutione et Explanatione Regia Diaetali in producto sub Lit. G. contenta et sic incipiente: Trium Religionum in Hungaria receptarum libertati et securitati clementissime ita providebit ne contra Articulos Sopron. vel Domini Terrestres jure suo abutantur. vel unicuique praemissarum Religionum conscientiae vis inferatur, clementissime resolvere et declarare dignata fuisset. Jam nisi prius generalis termini: cujuscunque genuina significatio et proprietas vera subverti posse statuatur et recuperata in Regno Hungariae non existere evincatur, secus praedictam libertatem et securitatem ad partes illas, qua in Regno existentes et quamcunque praemissarum Religionum ibidem degentium, hac etiam benignissima explanatione extensam haberi, negari haud valebit.

7. Plurimi autem Comitatus veluti Szaladiensis, Veszprimiensis, Jurinen, Komarom, Abaujvar, Castriferrei et Gömöriens., Honthensis, Tornensis Borsodiens., Neograd., Szolnok. Heves, Pest Pilis et Solt, ac nonnulli alii, quorum quosdam in parte quosdam vero per totum Ven. Clerus pariter Neo-acquisticos asserit, per expressum in Articulo XXVI 1681 specifice denominari ac in possessione Templorum relicti, articulariterque confirmati habentur. Unde quanto clarius in prioribus evincitur illos etiam Comitatus, qui in Articulo specialiter denominati non sunt, a generali Legis beneficio excludi non posse, tanto evidentius est, Comitatus praespecificatos contra ipsa Articuli verba, nullo modo turbari aut impediri jure, quin imo vel sola haec ratio ad securitatem omnium Comitatuum recuperatorum sufficeret, quod videl. quandoquidem tot et tanti Comitatus ex iis (quos Ven. Clerus Neo-acquisticos asserit.) in articulo enumerantur, ideo nullo modo induci posset, de illorum etiam Comitatuum, qui post Diaetam Soproniens. recuperati sunt, tranquilla in libertate Religionis permansione per Articulos Soproniens. prospectum non fuisset. Cum sive prius hoc posterius recuperatorum, ac sive nominatorum, sive non nominatorum, ad invicem tamen in facto recuperationis similium similis esset ratio, neque alia in contrarium circa praemissa Legis dispositio. Quo concurrit pro

8vo. Quod juxta Regulam XXII: Quoties dubia etiam libertatis interpretatio est, secundum libertatem respondendum veniret, imo secundum Regulam 155: In dubiis quoque semper benigniora sunt praeferenda. Nam vi Regulae 136: Bona fides tantum possidenti praestat, quantum veritas, quoties Lex impedimento non est. Tanto magis ubi tam aperte lex jam in specie et universaliter sub nomine Regni, eadem Religionis libertate gaudere innueret, imo in multis Comitatibus, tam liberi Reli-

gionis exercitii usus, quam Templorum possessio legitima pro Evangelicis hac in parte militaret. Sed nec ulla penitus lex Evangelicos in usu et possessione praescriptorum impediret, vel impediendos concederet, ideo contra favorem libertatis Religionis, lex pro libertate condita interpretari vel potius detorqueri nequaquam potest.

9. Huc pertinet Regula Juris 10. dictans: Secundum naturam esse commoda cujusque rei sequi eum quem consequuntur incommoda. Quoniam autem recuperatorum Comitatuum Regnicolae Evangelici eadem cum reliquis publica ferunt onera, et Majestatis Vestrae Sacr. promovent servitia, imo tempore belli prae reliquis propinquiores essent ad sustinenda non minus gravissima belli incommoda, quam excursionem hostium vitaeque ac fortunarum pericula. Quo pacto proinde commodo ac beneficio de libertate et securitate Religionis conditarum Regni Legum privari possent? naturalis aequitatis ratio non admittit.

10. In Articulo XXVI: Vi paragraphi Templa demum etc. prout et paragraphi: Posthac vero nullae Templorum Scholarum et Parochiarum occupationes, etc. omnis ulterior Templorum occupatio et exercitii turbatio clare ac universaliter et absolute ita cauta vetitaque habetur ut nemo id diffiteri possit, nisi voculam: Nullae contra naturalem ejusdem usum in voculam: Quaedam transformare valeat.

11. Nec obstat praetensa Gyöngyösiensibus etc. Jaszberinyiensibus data 1691 Resolutio; tum ideo quod uti in prioribus remonstratum pro genuino Articulorum sensu, articularibusque Explanationibus censeri nequit tum vero quod eandem aliunde etiam ex se et per se jam cessasse palam esset, eo quod iisdem Gyöngyösienses et Jaszberinyienses in verbis praetensae Resolutionis: Ideo eosdem suplicantes ab ordinatione Politiae Regni successive fienda, vel a futura Diaeta complanationem suorum Gravaminum praestolari ad interim autem in statu, quo jam sunt permanere, nullatenus tamen ultra pariter turbari aggravarique debere. Ad futuram ordinationem Politiae et futuram eo tum vero jam praeteritam Diaetam relegatos fuisse constet. Jam autem in Diaeta juxta Articuli III 1715 verba: Nec status et ordines Regni eadem Sacra Regia Majestas secus regi aut dirigi vult, quam observatis propriis ipsius Regni Hungariae hactenus factis vel in futurum diaetaliter constituendis legibus. Benigna Majestatis Vestrae Sacratissimae declaratio, adeo clara et perspicua esset, ut nulla prorsus facta negotii Religionis exceptione, veluti in aliis ita et in hoc conditarum et condendarum Legum Regimen et Gubernium, nequaquam ad ea duntaxat quae anno 1681 possedit restringere; verum

in genere ad Regnum clementissime extendere voluerit. Quemadmodum reipsa quoque Partes Regni Neo-acquisticas non aliis quam receptis Regni Hungariae Legibus dirigi palam esset, quod ipsum Tractatus etiam Compositionis Szathmariensis per Articulum XLIX 1715 confirmatus palam redderet his formalibus: Universos et singulos, quos praesens negotium quoquo modo tangeret verbo nostro Regio et fide publica assecurantes. Tum vero quod aliunde constet, eundem Tractatum, quemadmodum non solum et praecise respectu illarum quae 1681 in potestate Majestatis Vestr. Sacrat. fuere Partium Regni; verum totius Regni intervenisse et confirmatum haberi, ita etiam neminem sive in Neo-acquisticis, sive ubicunque in Hungariae Regno degentem beneficio articularis in negotio Religionis securitatis frustrari aut privari posse, certum et evidens esset.

12. Sed nec id obstat quod objicitur ex parte Ven. Cleri, quasi vero de Partibus illis, quae tempore Diaetae Soproniensis sub potestate Turcica fuere, Rex et Regnum articulariter disponere non potuerit? Nam licet nonnullae partes Regni in actuali potestate eo tum regnantis Majestatis non fuerint, erant nihilominus intra ambitum Regni praeterea indubitatum jus et tunc regnantem Majestatem, qua legitimum et coronatum Regem in easdem habuisse innegabile est. Quod autem et Gloriosi Majestatis Vestr. Sacrat. Praedecessores de jure disponere potuerint, disposuerintque ac Majestas Vestr. quoque Sacrat. clementer disponat ratione Jurium in Partibus Potestati Turcicae subjectis, documento sint innumerae fere collationes et donationes Bonorum in Ditionibus Turcicae potestatis existentium in quorum facie dum Donatarii semet statuere nequeant, ut similium Bonorum statutiones in tutioribus locis fierent Articul. XLV 1563 sancitum legitur.

Ad haec vel solus Ven. Clerus hoc in passu sufficientissimo argumento est qui Episcopatus quales essent inter reliquos Sirmiensis Nonensis, Scopiensis, Tinniensis, Scardonensis, Segnensis, Modrusiens. Boznensis, Almosiensis, Pharensis, Belgradiensis, Sibinicensis, Arbensis, Vegliensis, Ansariensis, Macariensis etc. uti ex conclusione ultimae Diaetae Posoniens. patet a Majestate Vestra Sacrat. qua legitimo Hungariae adeoque de jure Partium Regni Hungariae etiam sub Turcica potestate existentium disponere valente collatos non obstante, eo quod an. 1681 fere omnes sub possessione Turcica exstiterint, tenere consuevissent, justam proinde causam non videri cur redeuntes sub legitimi Principis potestatem beneficio Legum Regni frustrari deberent.

Hinc tam praemissis, quam reliquis in serie Actorum Partis utriusque comprehensis legibus rationibus ad invicem collatis, et examinatis talem praetensam Juris Neo-acquistici rationem in facto liberi Religionis exercitio, ejusque usus et possessionis Templorum Evangelicorum in nulla

Regni lege radicatam, sed praecise Resolutionibus an. 1691 articulorum Soproniensium eversivis depromptam, eoque ipso illegalem esse, neque praetextu ejusdem contra expressam Articuli XXVI non tantum dispositionem, sed et severam inhibitionem, sive liberum Religionis exercitium turbari sive Templa et Oratoria occupari potuisse, aut per hoc illegalitatem facti de praesenti excusari posse, quin potius quod praemissa ratio praeter evidentem legibus Regni in negotio Religionis respectu totius Regni sancitis contrarietatem non pro ratione, sed contraventione habenda sit, comperiimus.

Ac proinde praetextum praetensae sub specie Neo-acquisticorum Rationis libero Religionis exercitio, ejusdemque usui actualique possessionis Templorum nihil obstare per hoc factum non excusari, verum sicut praetensam rationem, ita etiam factum interturbationis et occupationis illegale esse taliterque hactenus interturbata et occupata prioribus Possessoribus Evangelicis restituenda venire. Imposterum autem in sub specie hujusmodi illegalis Neo-acquisticorum rationis intra ambitum Regni Hungariae, omnibus et ubique liberi Religionis exercitii turbatio, atque Templorum Oratoriorum cum Parochiis Scholis et suis accessoriis occupatio attentanda permittatur, sed ad mentem legis ex suprema Majestatis Vestr. Sacrat. auctoritate praecaveatur, in contravenientes pro demerito Legum animadvertatur, Lege sic suadente nos quoque humilime censemus.

Ratio Ven. Cleri Tertia

Quod nonnulli Comitatus in Articulo XXVI 1681 non sint expresse specificati, verum quia in modo praemissis, ubi de Neo-acquisticis agebatur, per Evangelicos est remonstratum, tam nominatos, quam non nominatos, quales essent Strigoniensis, Albensis (quorum uterque unitus Comaromiensi fuerant), Mosoniensis Comitatus, et in iisdem existentes Regnicolas Evangelicos, imo illos etiam Comitatus, qui post annum 1681 gloriose e potentia Turcica liberati sunt, ut Tolnensis, Baranyiensis, Tsongradiensis, Behesiensis et reliquos, sed et Partium nomine quoque insignitos ut Behariensem et alios a liberi exercitii usu et Templorum possessione de lege excludi non posse. Hinc nos quoque ex adductis tam circa Neo-acquistica, quam in ordine ad Puncta generalium Evangelicorum Gravaminum XVI et XIX rationibus, argumentis, et motivis, Comitatus quoque in eodem articulo specifice non denominatos tanquam in Regno existentes, eorundemque incolas beneficio legis, et articulorum libertatumque omnibus Evangelicis Regnicolis communium frustrari non posse, neque debere, in quantum autem hactenus sive in possessione Templorum, sive liberi Religionis exercitii usu, sicuti in generalibus

Gravaminibus remonstratum, turbati sunt, de justo et aequo in integrum restituendos humilime censemus.

Ratio Ven. Cleri Quarta

De Jure Dominorum Terrestrium si quidem actum haberetur in Gravaminibus Evangelicorum ad Punctum Tertium. Respectu autem

Rationis Quintae

De Cessantibus confiniis pariter in Gravaminibus Evangelicorum ad Punctum in ordine XIV. Intuitu

Rationis Sextae

De Locis in Articulo XXVI non specificatis, similiter in praedictis Evangelicorum Gravaminibus, et signanter respectu liberi exercitii ad Punctum in ordine Primum, respectu Templorum autem ad Puncta in ordine XIII, XVI, et XIX ubertim actum est.

Hinc ne citatis in locis adductarum rationum humilimarumque opinionum nostrarum repetitione Majestati Vestrae Sacrat. molesti simus, ad priores iisdem locis hacce in materia datas opiniones nostras nosmet humilime provocamus. Quantum vero ad Ven. Cleri

Rationem Septimam

De Templis per Evangelicos aedificatis, et ritu Catholico reconciliatis:

Hic Ven. Clerus allegat Articulum XXVI respectu reconciliationis et praeteritum et futurum tempus denotari: hoc est, quod Templa etiam per Evangelicos aedificata, non alias iisdem restitui debeant, quam si tempore futurae restitutionis ritu Catholico reconciliata non comperiantur, sive eadem reconciliatio praecesserit, sive subsecuta fuerit Diaetam Sopron. Verum enimvero quoniam clausula Articuli XXVI incipiens: ad haec Templa, de reconciliatione illa Episcopali solenni, et rituali, quae usque ad tempus Diaetae Sopron. intercessit, sancita est, et hoc ipsum positive et satis diserte in vocula: Nondum, tanquam ad tempus praeteritum relative exprimitur, eoque ipso contra evidentiam articularis statuti ad tempus post Diaetam Sopron. subsecutum nullatenus referri posset, actum declaratumque habetur, jam superius ad Punctum generalium Evangelicorum Gravaminum XI. ideo ibidem datae demissae opinioni Nostrae demisse subscribimus.

Ratio Ven. Cleri Octava

De Templis per Evangelicos non aedificatis. Unde Ven. Clerus argumentatur:

Quod quaecunque Templa per Evangelicos aedificata non sunt, ea

legitime ab iisdem adimi et occupari potuerint. Quo in passu, cum ex rationibus, fundamentis, argumentisque et motivis in Gravaminibus Evangelicorum ad Puncta in ordine XIII, XVI et XIX adductis, nostram humilimam dederimus opinionem, et aliunde Articulus XXVI Sopron. indiscriminatim in usu Templorum eo tum per Evangelicos Possessorum eosdem reliquisset. ac mediante actualis possessionis beneficio pro ejusdem temporis possessoribus Evangelicis titulum Juris ac legitimi dominii solidasset et confirmasset, sed nec id statueret vel praeciperet: ut sive per Evangelicos (prout Ven. Clerus praetendit) non aedificata, sive alia quaecunque Templa tempore Diaetae Soproniern. per Evangelicos possessa, Domini Catholici qualicunque tandem sub praetextu ab Evangelicis vel praetendere multo minus occupare possint, aut potuerint: quin imo ut nullae Templorum occupationes, vel exercitii turbationes ab utrinque fiant, sub poena expressa prohibuisset. Ideo nos quoque praecitatis in locis datae opinioni nostrae rursus addendum calculum demisse censuimus.

Ratio Ven. Cleri Nona

De Templis tempore Diaetae Sopron. per Evangelicos (uti Ven. Clerus praetendit) non possessis.

Quandoquidem utraque pars semet ad Replicas suos circa generalium Evangelicorum Gravaminum praecitata XIII, XVI et XIX Puncta datas provocasset, et aliunde Templa in serie eorundem Punctorum specificata tempore Diaetae Sopronieus. Evangelicos possedisse productis coram Commissione Inquisitionibus doceretur. Hinc ad humilimam opinionem nostram iisdem praecitatis Punctis subnexam nosmet perquam demisse hic quoque provocamus.

Ratio Ven Cleri Decima, qua mediante

Ex Actis Diaetae Sopronieus. et signanter Memoriali Evangelicorum eo tum Regnanti Majestati exhibito, Ven. Clerus evincere contendit, quasi universa Templa in eodem specificata tanquam inter occupata connumerata Evangelici non possedissent eo tum, sed quia respectu eorundem Actorum, qua modalitate videlicet et quo fine eadem tunc temporis per Evangelicos concinnata, et non tam fine assequendae, quam manutenendae et rursus legaliter stabiliendae possessionis causa praesentata fuissent; neque contra articulare publicae Legis testimonium, neque contra adductam respectu Evangelicorum ad possessionem facti et tempore Diaetae Sopron. habiti actualis usus, per Inquisitiones adductam probari allegari possent, sufficienter jam superius ad Punctum generalium Evangelicorum Gravaminum in ordine XIII remonstratum, nostraque demissa opinio ibidem sub finem adjuncta haberetur; ideo nosmet demisse provocamus.

Ratio Ven. Cleri Undecima

De Repositione in statum ante disturbialem. Ubi allegat Ven. Clerus:

Quod siquidem virtute benignarum Majestati Vestr. Sacrat. Patentium omnia in eum, in quo ante proxime sopitos motus fuere, statum reponi debuerint, ac propterea Templa ab Evangelicis ea occasione adempta sint, per hoc nullatenus contraventio et abusus Articulorum subinferri posset.

Quibuscum Evangelicorum Replicis in examen sumptis patet, quod repositio in illum statum, in quo negotium Religionis ante et usque motus fuerat, Jus Evangelicorum legale non tolleret, idem status vero, qui ante motus fuerat, non ultra quam ad modernam Commissionem erat duraturus, ut id ipsum in demissa Evangelicorum Instantia die XXX Aprilis 1721 Commissioni exhibita demonstratum est. Ast quam graviter sub hocce Repositionis praetextu et occasione ejusdem per officiales Comitatenses Catholicos contra leges, et contra mentem etiam benignorum Mandatorum laesi fuerint Evangelici, abunde tum species facti ab an. 1715 occupatorum sub numero tertio producta, tum reliqua sub numero IVto manifestum redderent Gravamina: nec non subsecutae eatenus Replicae. Ex quibus limpidiose videre est, quod ut plurimum nulla Inquisitione vel seria duntaxat investigatione praemissa, super eo, an non Evangelici ante motus possederint, necne? Indiscriminatim ante et usque motus per Evangelicos possessa Templa occupabantur, exercitiumque turbabatur, atque adeo non in eum in quo ante motus fuerint statum, verum longe ad diversam, eamque reipsa afflictam conditionem res Evangelicorum reducebantur, coarctabanturque.

Hinc non obstante praemissa in statum in quo ante disturbia negotium Religionis fuit, repositione, qua aliunde pro illo duntaxat tempore et usque modernam Commissionem duratura erat, ratione Templorum, quae tempore Diaetae Sopron. per Evangelicos possidebantur, ac expost ab ipsis adempta sunt, imo et respectu illorum, quae ante et usque motus etiam in possessione Evangelicorum fuere ac nihilominus praetextu praemissae Repositionis eorundem articulari possessione privati sunt illegaliter; pariter etiam contra statum ejus Repositionis non leviter contraventum esse comperiimus.

Ac proinde benigne remedendum et Evangelicos in integrum restituendos perquam humilime censemus.

Ratio Ven. Cleri Duodecima

De Explanationibus Regiis et novello Articulo XXX anni 1715.

De quibus siquidem specialiter adhuc in Praeliminio actum est, ideo

nosmet ad datam eatenus in praemissis humilimam opinionem nostram demisse provocamus, ac simul, quoniam Articulus XXX novissimae Diaetae praetextu Explanationum ante modernam Commissionem, nihil quicquam in negotio Religionis innovandum statuisset, sed praevio modernae Commissionis examine ac Majestatis Vestr. Sacrat. ratificatione vel modificatione, omnia in statum articularem reponenda decrevisset. Ideo praetextu praetensarum Explanationum Evangelicos in usu et possessione Templorum legitime turbari non potuisse demisse censemus. Jam itaque sequitur Ven. Cleri

Generalium Gravaminum Membrum Nonum.

Quo mediante obvertit Ven. Clerus, quod in nonnullis Comitatibus in quibus specifice locorum denominatio ex Articulo XXVI 1681 exmissa haberetur, non duo loca uti in XI Comitatibus factum, verum plura in suis scriptis apponerent Evangelici, imo in praefatis etiam XI Comitatibus plura praetenderent.

Circa quae quod diversa esset in facto possessionis Templorum conditio et status respectu XI Comitatuum ab aliis Comitatibus praeter excisa loca, tempore Diaetae Sopron. per Evangelicos possessa et hoc solo sicut excisa et denominata articularia sint, si quidem in Gravaminibus Evangelicorum et quidem respectu liberi exercitii ad Punctum Primum, respectu Templorum autem ad Puncta XIII, XVI et XIX nostram humilimam dederimus opinionem. Igitur hic loci quoque eidem humilime insistimus. Finaliter

Generale Ven. Cleri Membrum Decimum

In quo ejusdem Particularia respective Gravamina continentur.

Quae eo plane modo sicut superius in Membro V Generalia, ita hic particularia non ex lege intuitu Articulorum Soproniens. sed intuitu Resolutionum an. 1691 accommodata proposita fuere.

Secundum quas pro evidentia facti ut abusus et contraventiones ab Evangelicis factae repraesententur adducitur productum sub Liter. ZZZ, ejusdemque annexum sub Lit. B in quo casus quidam satis enormes adhuc prioris seculi Belli Turcici, et intestinorum Tökölyianorum motuum temporibus intercessere exponuntur. Post hac vero particularia quoque per nonnullas Dioeceses, et signanter Archiepiscop. Strigoniens. Nitriens. Jaurinens. Agriens. Varadiens. repraesentantur.

Ex parte quidem Dioecesis Nitriensis ut plurimum tempore novissimorum motuum in Religionem Catholicam (uti praetenditur) commissa convitia et criminationes, ac id genus perpetrati excessus.

Caeterum quam hujus, quam et aliarum Dioecesium sine ordine et peculiari Methodo praesentata Particularia

Gravamina ut hic in compendium mittantur in eo summarie et principaliter consistunt. Nimirum

Quod liberum Religionis exercitium in quibusdam locis in Articulo XXVI non expressis exercetur, Ministri Evangelici ex locis in Articulo specificatis ad alia exire, muniaque ibidem obire soleant, ex aliis locis, ad suorum Templorum loca venientes ab accessu non impediant in locis in Articulo XXVI specificatis uno plures Ministri interteneantur. Scholae ultra Trivialia promoveantur.

Contra instituta Commissionum Cameralium in liberis Regiis ac etiam Montanis civitatibus Processiones per Evangelicos non frequententur. Festa Decretalia violentur. Juramenta per Sanctos deponi recusentur. Multi apostasias committunt. Solutiones Plebanis denegant. In Arcibus, Castellis, Curiis Nobilitaribus et aliis locis exercitium publicum scholaeque habeantur. Quin et Templa universa per Catholicos olim aedificata restitui petuntur, ac imprimis ex parte Dioecesis Agriensis Catalogus Blasphemorum et Bigamorum subnectitur.

Respectu quorum a parte Evangelicorum replicatum:

Quod ea quae in supra dicto Producto triplici ZZZ notato et ejusdem sub B annexo eorum continerentur, talia essent, quae ad institutum Commissionis non pertinerent, quia teste eorundem claro contextu apparent non in statu legali, eoque pacati Regni tempore, verum sub intestinis tumultibus et motibus, adeoque sub illegitimo Magistratu a tumultuariis, iisque violentis et incertis auctoribus perpetrata fuisse, quae quidem jam et antea Evangelicis sub retro-actis Diaetis objecta, nunquam tamen, an et per quem et cui Religioni addictos et quando et ubi commissa? Probata et de facto nonnisi simplici narratione specie novorum Gravaminum transvestita reiterantur, quorum nonnulla etsi per inconcessum olim contigissent, cum tamen eadem in statu illegali et tumultuoso, dum videl. Sacrae et profanae publicae et privatae res in discrimine versabantur, et latrociniis in apertam licentiam erumpentibus nec Evangelicis parcebatur. Haec et talia non culpae Religionis, sed ex ipsa rerum temporumque vicissitudine et confusione accidisse et evenisse tanto manifestius est, quanto certius in serie productorum ea etiam Evangelicis, imo Religioni imputantur, quae ipsos quoque Catholicos occasione tumultuariorum Armorum perpetrasse ad publicam notitiam constat.

Quae vero sub proxime praeteritis motibus commissa esse praetenduntur, ea aeque non solum ex parte Ven. Cleri non probata, sed etsi per inconcessum probari possent, velut sub detestandis motibus universa per quoscunque sine discrimine Religionis acta et facta, cassata, amnestiata et annullata obverti neque possent, neque deberent. Quapropter

cum retro-actorum temporum acta, quae tam ante Diaetam Soproniensem, quam post turbato tamen Patriae statu sub nefario tumultuariorum praedominio contigerunt, modernae Commissionis examini tanquam publica Lege amnestiata et perpetuo obliterata haud subjacerent, commemorationem eorundem tanquam extra serialium absque voto et opinione nostris silentio praetermittimus.

Quod ulterius attineret reliqua supra recensita Gravamina, siquidem nihil aliud, sed ea ipsa sunt, quorum illegalitas ex parte Evangelicorum in serie suorum Gravaminum ex Actis Soproniensibus deducta habetur in Punctis vero eorum generalium Gravaminum Evangelicorum praemissa ad normam Articulorum examinata jam sunt, ne denuo rursus cum taedio hic repetantur, eatenus jam ad singulum Punctum suo loco datae opinioni demisse inhaeremus.

Ubi autem praetensae blasphemiae enarrantur, eas si ne fors contigisse probari posset, quod tamen non factum, sicut competentibus Magistratibus vigore Legum Patriarum et signanter Articuli XLII 1563, XLII 1659 servato Juris ordine punire interest et oportet. Ita frustra hujusmodi praetensi excessus Religioni Evangelicae, quae blasphemias detestatur, imo abhorret imputarentur, ac in conspectu praesentis Commissionis proponerentur, cum et alias poenae semper suos tenerent auctores et sensu Articuli III 1569 excessus privatorum omnibus imputandi non essent.

Quo in passu Replicis et contra-Replicis partium perpensis atque consideratis comperimus. Quod si

Ne fors realium blasphemiarum quispiam excessus respectu unius aut alterius privatae personae sufficienter edoceri possit vigore praecitatarum Regni Legum in competenti suo Foro consueto Juris ordine adversus criminis blasphemiae reos animadvertendum humilime censemus.

Quantum denique ad divortia cum primis ex parte Dioecesis Agriensis Helveticae Confessioni addictis Bigamiarum titulo exaggerata.

De his prolixe in Actis Commissionalibus quamvis ab utrinque actum, replicatumque legitur interim quod status praesentis controversiae dogmatica involveret, et pro ritu Helveticae Confessionis Jurisdictionem Superiorum seu Superintendentium concerneret; de hac autem et in specie etiam quoad jus divortiandi ad Punctum generalium Evangelicorum Gravaminum in ordine IV sufficienter de legalitate hujus Jurisdictionis actum fuisset. Ideo ad datum ibidem votum et opinionem nostram nosmet demisse provocamus.

Quantum denique ad Templa, quae nunc per Evangelicos possidentur, et ideo quia olim, per Catholicos vel aedificata vel possessa fuere, de praesenti Catho-

licis restituenda ex parte Ven. Cleri praetenduntur?

Reposuerunt desuper Evangelici:

Non esse in Quaestione quisnam olim ante tempora Pacificationis Viennensis de an. 1606 Templa haec sive aedificasset, sive possedisset, sed in cujus legitimam possessionem et Dominium via Juris publici transiverint. Etenim quemadmodum sub regimine S. Stephani Regis, postquam majores nostri ad Christianam Religionem conversi fuissent, eo facto Templa quoque quae antehac gentilium fuerunt, talia esse desierunt et Christianorum Juris esse talis coeperunt, qualem incolae loci Religionem Christianam amplexi professi sunt, et professionem continuarunt. Ita etiam omnia ante annum 1606 dum Religio Evangelica totum fere inundasset Regnum, et Regnicolae derelicta Religione Romano-Catholica Evangelicam amplexi fuissent, pari Jure possessio Templorum et Ecclesiarum in dominium transiit Religionis Evangelicae, utpote quam incolae loci sponte ac benevole amplectendo professi sunt. Quod ipsum ut tanto solidius et eo magis durabile, firmius assequatur robur, ut unus alterum in sua professione non turbet, neque impediat, multo minus jure annorum alterutra partium Templa violenter ad invicem occupet, tandem primum ad jura Pacificationis Vienens. ex mutuo paciscentium consensu deventum est, et Religio Evangelica in anno 1606 recepta atque stabilita ac demum in an. 1608 libera ejusdem professio, omnibus Statibus et Ordinibus, Civitatibus oppidis et villis eam sponte ac benevole acceptare volentibus, articulariter quoque quin imo in an. 1622 Sacro Regio Diplomate firmata quibus mediantibus Evangelici, in negotio Religionis, ejusdemque libero usu et exercitio perpetua securitate donati, et possessio Templorum ratihabita, fide publica in perpetuum approbata et confirmata fuit, atque hoc pacto et via juris publici per Pacificationes et Diplomata et via publicarum Constitutionum, id quod antea Juris Dominorum Catholicorum Regia condam et Regni auctoritate factum fuerat, expost eadem rursus Regia et Regni auctoritate, postquam Evangelicam sponte ac libere acceptassent Religionem factum est juris Evangelicorum.

Quae praemissa in Actis Commissionalibus Partis utriusque uberius deducta ad invicem combinando et examinando comperimus.

Quoniam Articul. XXVI de Templis Evangelicorum, quaenam et qualia vel ex capite aedificationis nondum reconciliatorum per commissarios assignanda, vel ex capite denominationis pro aedificatione exscindenda, vel generaliter ex capite tempore Diaetae Soproniens. habitae possessionis indiscriminatim ulterius quoque usuanda, et articulariter possidenda, non tantum disposuisset et sancivisset, verum etiam ne posthac Templorum occupationes et exercitii turbationes fiant sub poena notatae infidelitatis prohibuisset de his autem in Punctis generalium

Evangelicorum Gravaminum a Puncto undecimo usque ad finem actum fuisset ac desuper demissa quoque legalis opinio nostra jam praecessisset.

Ideo eidem humilime inhaerendo, quod Templa in quorum Evangelici actuali possessione et usu persistunt. licet olim ante tempora Pacificat. Vienens. Catholica per eosdem aedificata fuissent. Nihilominus quia Jure publico in legitimam possessionem et dominium Evangelicorum deinde transivissent, ac de praesenti vigore Articuli XXVI possiderentur, usuarenturque, haudquaquam modernis actualibus possessoribus Evangelicis adimi posse, quin potius eosdem in ulteriori quiete, possessione, usuque articulari suprema auctoritate Regia clementissime manutenendos et protegendos demisse censemus.

Et haec sunt Augustissime Imperator et Clementissime Rex! quae circa tam generalia quam particularia, non minus Dominorum Catholicorum, quam Evangelicorum Gravamina, in quantum ex vasta mole commissionalium Partis utriusque Actorum erui et concentrari poterant, omni cum profunda submissione repraesentare, ac penes humilimam quoque opinionem nostram ex lege, pro lege perpetuo devotissimae obligationis nostrae demisse adjungere incumbebat. Ex quibus adinvicem combinatis primo obtutu perbenigne videre licebit. Quod Gravamina

Ex Parte Evangelicorum, ex ipsis verbis et tenore Articulorum Sopron. ibidemque citatorum et contentorum de Paragrapho in Paragraphum deprompta et in iisdem qua basi et fundamento commissionali radicata, nihil aliud quam quae respectu eorundem Sopron. Articulorum contraventionum abusuum et ineffectuatorum nomine veniunt, contineant, et tam legi quam instituto commissionali conformia sint.

Ex parte Ven. Cleri vero tam in generalibus quam particularibus proposita majori in parte ab instituto commissionali non tantum aliena, verum etiam eidem e diametro contraria forent. Ea vero quae ad statum Commissionis quatenus pertinere dignoscerentur aeque non ex lege, sed potissimum ex Resolutionibus anni 1691 ad eversionem Articulorum Sopron. directo tramite tendentibus deprompta atque deducta haberentur, quod ipsum vel ideo plus quam certum et innegabile evaderet, quoniam beneficio et quasi sub praesidio earundem an. 1691 Resolutionum fere omnes, hactenus interventi abusus, contraventiones et ineffectuata pro legalibus factis a parte Ven. Cleri defenduntur; ita ut quicquid hactenus in negotio Religionis, sicut ex parte Evangelicorum demisse repraesentatum fuit, directe contra Articulos Sopron. et Posoniens. ultimarum Diaetarum actum factum perpetratumque est, ea omnia facta sub praetextu Resolutionum an. 1691 pro legalibus excusantur. Ast quam illegaliter, hoc vel unicum sufficienti ad omnium notitiam documento esse dignoscitur quod nimirum quibus ex rationibus omnia facta in Gravaminibus Evangelicorum commissionaliter repraesentata nomine Ven. Cleri in commissionalibus ejusdem

Actis et signanter in Membro octavo contenta excusantur, et ratio facti quasi legalis dari praetenditur, ex iisdem ipsis rationibus et liberum Religionis exercitium per Articul. XXV restitutum ibi ubi in praesentiarum usque Aug. et Helvet. confessioni addicti in usu sunt, tollendum.

Templa vero virtute Articuli XXVI Diaetae Sopron. publico eoque indisputabili jure Evangelicis utriusque Confessionis propria ab iisdem attinendo, et Dominis Catholicis assignanda praetenduntur, atque efflagitantur, ac per consequens sub specie et praetextu legalitatis Resolutionum an. 1691 nonnisi eversio publicarum Legum et Articulorum in negotio Religionis sancitorum omnimode adurgetur, et intentatur, quo fine eaque de causa tristi quotidiana experientia teste, non obstante benigno Majestatis Vestrae Sacrat. elapso an. 1721 clementissime emanato Patentali Rescripto, ut nihil innovetur, a mutuis violentiis abstineatur, omnia in statu, quo nunc sunt maneant, neque interna Pax domestica turbetur, nihilominus quam graves non sine justo cordis dolore, acerbissimam animorum amaritudinem exprimentes, stante praesenti Commissione, dum de publico omnium injuriarum et malorum remedio res agebatur Evangelici perpessi fuerint, afflictionum Persecutiones, non tantum Pestini sub decursu commissionis diebus II, V, XXI et XXVII mensis Junii, non secus III, XVIII, XIX, XXX mensis Julii an. 1721 sed etiam Posonii die XVII Decembris item XXI Commissioni exhibita et rursus diebus XXVII Januarii, non absimiliter III Febr. cum additamento novorum adauctas et reiteratas exhibuerunt.

Qualium afflictionum et Persecutionum genera, contra expressa Articulorum Sopron. verba, tenorem, genuinumque sensum, imo contra benignum praecitatum Rescriptum, cum ad publicam notitiam in dies tantopere incessanter, imo nunc quoque jam post publicatam Regni Diaetam impune augeantur, ut spes et praesidium in publicis legibus, vix superesse videatur, nisi plus quam paterna Caesareo-Regiae Majestatis Vestrae Sacrat. legalis gratia et clementia ex suprema auctoritate Regia, afflictio Evangelicis, quo citius et opportunius subveniat, quem in finem quod Evangelici apud Augustissimam Majestatis Vestr. Sacrat. Aulam suos ordinarios Agentes negotia Religionis coepta communi nomine persecuturos continuo intertenere necessum habeant Evangelici, semet coram Commissione non tantum declararunt, sed etiam id ipsum Majestati Vestr. Sacrat. referendum demisse expetierunt.

Et quia finito, modo praevio legali Gravaminum partis utriusque examine, subsecutaque desuper demissa in praesentia Majestatis Vestr. Sacrat. commissionali relatione vigore Articuli XXX ultimae Diaetae Poson. de an. 1715 expressis verbis soli Majestati Vestr. Sacrat. commissionalis exa-

minis revisio, approbatio, aut modificatio, nec non in statum articularem legalis repositio competit.

Ac proinde ut perspecta Partium sua ab utrinque Gravamina repraesentata et injurias contraventionum, abusuum, et ineffectuatorum respectu Articulorum Soproniensium prolixe detegentium legalis causae justitia et aequitate ad normam Patriarum Regni Legum de congruo et remedio, quorumvis legalium Gravaminum et quidem tam de praeterito, quam de futuro paterne prospicere et providere ac cuncta jam tandem tam in facto liberi Religionis exercitii ejusdemque accessoriorum legalis ultra seculum usus secundum articulum XXV in facto vero possessionis et usus Templorum, Parochiarum, Scholarum, Proventuum ac quorumvis Beneficiorum et appertinentiarum, secundum Artic. XXVI articulariter in salvo relictae diplomaticae satisfactionis praetensione permanente in statum articularem, eumque publicis Regni Constitutionibus conformem reponere excessos praeteritos tollere, futuros impedire et prohibere, in contravenientes pro demerito facti, cum desumptione legalis poenae vigore Patriarum Regni Legum reali ac effectiva executione mediante procedendo animadvertere, ac in omnibus negotium Religionis quoquo modo concernentibus occurrentiarum casibus, vivae legis modum normamque stabilem ponere, atque hoc modo dissolutos Regnicolarum animos reunire, fomitesque continuarum dissensionum benigne extinguere; ulteriores liberi exercitii in Gravaminibus Evangelicorum, tam generalibus, quam particularibus per enumerationem partium Punctis numero XX repraesentata, sive Dominorum Terrestrium tam Ecclesiastici quam Secularis status, sive quorumvis Secularium Magistratuum, turbationes, graves persecutiones, diras coactiones, captivitates, verbera, illegales, sive per Sacras Sedes Romano-Catholicas, sive alios incompetentis Magistratus citationes, convictiones ac damnificationes, Templorum cum suis appertinentiis et accessoriis occupationes praevia restituendorum restitutione ac injuriatorum et damnificatorum in integrum repositione clementissime antevertere, Pacem domesticam et internam tranquillitatem reducere, stabilireque ac denique in omnibus ulteriori felici Regnicolarum permansione, pro publica Regni ac totius Christianitatis commodo, nec non Majestatis Vestrae Sacrat. summe utili ac proficuo publico servitio, tam ad Sacratissimi Nominis, quam Gentis ac Nationis Hungariae immortalitatem, nec non Augustissimorum sexus utriusque haereditariorum successorum, Gloriosi, Felicis, ac perennis Regiminis successum paterne prospicere ac consulere, taliterque nemini fidelitate cedentes, Regnicolas Evangelicos in Lege et Regno conservare, manutenere ac efficaciter protegere, non dedignetur, humilime iterum atque iterum demisse censemus, ac insimul praevia demissa legalia postulata, ad Augustissimum Majestatis Vestrae Sacrat.

perpetua Legum sanctimonia, justitia, et clementia, stipatum Thronum, de genu humilime prosternimus.

Quae omnia ita et nos dum in perpetuam Caesareo-Regiam Gratiam et Clementiam profunda cum submissione demisse recommendamus, in reliquo sanitatem inconcussam, Regimen gloriosum, de hostibus triumphos constantes, haeredes masculos et successores Augustos in Patria nostra perpetuo haereditarios, ac omnia denique ea, quibus ad invidiam totius Christiani orbis humana cumulatur felicitas ardentissimis precibus ac votis comprecamur ad cineres usque perseveraturi.

Sacratissimae Caesareae Regiaeque Majestatis Vestrae Humilimi perpetuique fideles Subditi, ex parte Aug. et Helveticae Confessioni addictorum in negotio Religionis articulariter denominati et in locum demortuorum per Majestatem Vestram Sacrat. clementissime surrogati Commissarii:

Johannes Godefridus Liber Baro de Hellenbach.
Andreas Zay Lib. Baro de Tsömör.
Stephanus Töröh de Telekes.
Thomas Szirmay de Szerma- Bessenyö.
Franciscus Radvanszky.
Ladislaus Vay de Vaja.
Paulus Rádai de eadem Ráda.
Stephanus Kenessey.
Georgius Mikházi.
Samuel Patay.

CAPUT TERTIUM.

De Resolutionibus Regiis post Repraesentationem Commissionis Pestiensis, et variabili Protestantium Statu.

§ I. Non deerant Augustanae et Helveticae Confessioni addictis sub decursu etiam Religiosae Commissionis concatenatae molestiae et perpetuae ab adversariis vexationes. Qui dum alibi medelam non invenirent ab Augustissima Aula quaerere necesse habuerunt. Unde ad Repraesentationem querelarum suarum hanc obtinuerunt Resolutionem favorabilem:

Carolus VI Dei Gratia Romanorum Imperator etc.

Reverendissimi, Reverendi, Honorabiles, Spectabiles etc. Fideles Nobis Dilecti! Ex demissa repraesentatione fidelium aeque nostrorum Augustanae et Helveticae Confessioni addictorum in praefato Regno Nostro Hungariae degentium displicenter intelleximus, qualiter iisdem contra positivas Patriae Leges et publicata etiam iterata nostra benigna edicta omnia in statu quo in negotio Religionis, usque ad finem articulariter institutae,

et jam Majestati Nostrae demisse delatae, a clemente nostra decisione dependentis Commissionis exitum manere debere jubentia, per nonnullos Legum et benignorum Edictorum ejusmodi contemptores, diversis in locis in publico et privato Religionis suae exercitio turbarentur, Ecclesiarum Ministri et alii in rebus Religionis et Sacrorum suorum, ad Sacras Sedes citentur, ad cerimonias Religioni suae contrarias compellantur, subditi sub specie juris Dominalis violento modo ad deserendam suam Religionem cogantur, mutationem vero Religionis renuentes ex bonis expellantur, et rebus etiam propriis priventur.

Istius et hujusmodi benignorum Mandatorum nostrorum contemptores ad debitam Majestati Nostrae obedientiam redigantur, quies demum et tranquillitas publica hoc etiam pacto stabiliatur et conservetur benigne decrevimus, anno videlicet 1719 die 5 Decembris; in negotio Religionis, usque ad finalem decisionem, supra scriptae Commissionis eatenus institutae, et jam uti praemissum est, Majestati Nostrae demisse relatae, omnia in statu quo manere debere innuentium, quaepiam mutationes, per quoscunque, quomodocunque in negotio Religionis ab utrinque intervenissent, illae ad statum eum, in quo tunc fuerunt, usque ad finalem modo fatae Commissionis exitum, cum plena injuriatis per injuriantes danda satisfactione reponantur. Templa ab illo tempore adempta et subditi expulsi in bona sua restituantur, ad cerimonias Religioni suae contrarias non compellantur, Ministri Ecclesiarum et alii quivis ad Sacras Sedes in rebus Religionem aut Ritus spectantibus non adigantur. Huic autem benignae dispositioni Majestatis Nostrae contravenientes, ab utrinque tanquam publicae quietis et tranquillitatis turbatores, ac benignorum nostrorum Mandatorum Regiorum contemptores, poenae legali per Fiscum Majestatis Nostrae Regium acquirendae et indilate exequendae subjiciantur. Quae dum pro debita observantia ex uberiori Fidelitatum vestrarum directione ac exequendorum executione, Fidelitatibus vestris, hisce benigne significanda et simul etiam firmiter committenda et mandanda habuimus. Fidelitates vestras in reliquo gratia nostra Caesareo-Regia benigne jugiterque complectimur. Datum in Castro Nostro Luxemburg die 12 Junii 1723. Eodem anno die XIX mensis Octobris severius adhuc Mandatum edidit Carolus Sextus, cum superiora Mandata parvi haberentur, Evangelicique pro lubitu Cleri Romano-Catholici variis in locis gravissime vexarentur.

§ II. Plenam a Clementia Regis expectabant medicinam Helveticae et Augustanae Confessioni, addicti, qui variis exagitati modis favorabiles saepius accipiebant Resolutiones. Dilata tamen hactenus erat ad Repraesentationem Actorum Commissionis Pestiensis plenaria Resolutio Regia. Quam voto suo contrariam anno 1731 die XXI Martii ubi acceperunt spe illa, qua in pristinum reponi statum laesi confidebant exciderunt: ex eoque

tempore retro sublapsa res eorum ferri visae sunt. Resolutio Regia novem Punctis materiam hactenus agitatam complectens est haec:

Resolutio ad Acta Com. Pestiensis. — Carolus Sextus Dei Gratia Romanorum Imperator etc. Reverendissimi Reverendi etc. Demisse relata sunt nobis Acta Commissionis Articulo XXX anni 1715 denotatae, quae nimirum anno 1721 in Libera et Regia civitate nostra Pestiensi inchoata, anno vero sequente in altera libera et Regia civitate nostra Posoniensi reassumpta et terminata fuit. Rite proinde ponderatis et discussis materiis in ejusmodi Actis specifice ac uberius deductis, visum fuit nobis, hac vice sequentem eatenus impertiri Resolutionem. Et quidem

Primo. Benignam pientissimae memoriae Imperatoris et Regis Leopoldi Genitoris Nostri desideratissimi Resolutionem sub dato secunda Aprilis anni 1691 Typis mandatam et suo modo publicatam pro Regiis Explanationibus Articulorum XXV et XXVI anni 1681 et XXI anni 1687 per praecitatum Articulum anni 1715 pro confirmatis habendam, juxtaque illam sensu Articuli XXV omnibus Augustanam et Helveticam confessionem profitentibus Regnicolis ubique concessum Confessionis ipsorum exercitium privatum duntaxat, dictamine porro sequentis Articuli XXVI ad certa nonnisi loca restrictum Exercitium publicum fore. Ac exinde

Secundo. Praedicantes ad Articularia duntaxat loca, quoad Confessionis suae erga hanc profitentes, tam ibi degentes, quam et aliunde eo confluentes exercitium restringi. In talibus autem locis tot, quot necessitas et multitudo gregis exigit Ministros, praevie tamen remonstrata istius modi necessitate, acceptaque desuper benigna Regia Concessione, iisdem admitti debere, qui ibidem aegrotos quoque ac captivos visitare iisdemque opera sua adesse poterunt.

Tertio. In locis proinde non Articularibus neque plebejae conditionis homines in domibus suis, a Librorum Confessioni suae deservientium pro se et familia sua a propria lectione tanquam ad privatum exercitium spectante arcendi erunt, absque tamen eo, ut alios loci ejusdem incolas eorsum admittant. In quibus quidem non Articularibus locis, licet ipsi quoque Acatholici, quoad munia Parochialia Romano-Catholico Parocho subsint, is tamen non audebit ab iisdem majorem, quam a Romano-Catholicis stolam desumere.

Quarto. Jure Terrestrium Dominorum per Articulos et praeallegatas Explanationes in salvo relicto, hoc deinceps quoque admitti: eo tamen modo, ut si Terrestres Domini, quoad Religionis negotium in memorato nostro Hungariae Regno, quid operari aut immutari vellent, teneantur id ipsum cum rationibus, eosdem ad hoc aut illud instituendum permoventibus, praevie nobis, vel Terrae Principi et Religionis defensori humillime repraesentari facere, superindeque clementissimam dispositionem et ordinationem nostram praestolari.

Quinto. Superintendentes seu Superiores Augustanae et Helveticae Confessioni Addictorum, ubi modo fatarum Confessionum alterutram confitentes superinde in quot et qualibus locis ejusmodi Superintendentem seu Superiorem sibi admitti petant, apud nos Instantiam fecerint, iisdem admittentur. Quorum quidem Superiorum muneris erit, moribus Ministrorum sibi subjectorum invigilare et in excessivos condigne etiam animadvertere. In reliquo autem Acatholicorum Ministri in causis profanis Jurisdictionato Seculari Magistratui ac in hoc duntaxat, ut constet, num ejusmodi Ministri suos rite baptizent? Seu an ad valide baptizandum sufficienter sint instructi, etiam visitationibus et Examini Archidiaconorum Catholicorum subesse debebunt. Matrimoniales porro causae, fundamento positivarum Regni Legum, Judiciis Dioecesanorum Episcoporum ita substerni, ut hi illas plane juxta Principia Augustanae et Helveticae Confessioni addictorum dijudicent, admissa, inde ad Archiepiscopum appellatione.

Sexto. Apostatae dein praesertim, qui ex Augustanae et Helveticae Confessioni addictis Catholicam Fidem praeprimis amplecterentur, dein vero ab eadem deficiendo rursus eo redire attentarent, gravi arbitraria poena, per Jurisdictionatum Secularem Magistratum sunt puniendi. Antequam vero ejusmodi arbitrariae poenae effective infligantur, de casu in casum praevie ad Augustissimam Aulam nostram mittenda erit relatio.

Septimo. Ut disparis Religionis homines tam in Articularibus locis praecise coram Parocho loci Catholico matrimonium inire possint, admittitur.

Octavo. Feriae porro et Festivitates Catholicorum, etiam ab Acatholicis, quoad Forum publicum et externum celebrari mechanici item fundamento Privilegiorum suorum consuetis Processionibus interesse debebunt.

Nono. In materia demum juramenti a profitentibus Augustanam et Helveticam Confessionem deinceps in praefato nostro Hungariae Regno desumendi, clementer decerni, ut Judices aliaque officia tenentes, prout Advocati, interea et donec aliud statuatur, jurent ad Formulam decretalem expressis nempe verbis Deiparae Virginis et Sanctorum. A Testibus autem desumatur Juramentum in forma vulgari; ne cursus Juridicus tam civilis quam criminalis remoram patiatur.

Ceterum contraventiones quasvis in materia Religionis hucusque factas, pro hac adhuc vice oblivioni tradi. Quodsi tamen in futurum alterutra partium, seu quicunque privatorum Regnicolarum benignis Resolutionibus et Dispositionibus nostris in praeallegato Religionis negotio interventis privata authoritate contravenire, et sive Catholicus Acatholicum, sive Acatholicus Catholicum eatenus turbare et molestare attentaret, poena conveniente ad instantiam Fisci nostri Regii desumenda irremissibiliter puniatur. Deinceps porro, si quis privatorum in Persona vel

causa Religionis se aggravatum existimaverit, desuper suo privato et non communi nomine ad Regiam duntaxat Majestatem pro remedio recurrat.

Quam benignam Resolutionem nostram Fidelitates vestrae Universis Regni Comitatibus insinuare, hoc modo pro singulorum notitia et directione publicare noverint. Datum Viennae die XXI Martii An. 1731.

Carolus

Comes Ludovicus de Battyán.
Elias Vanyetzi. (*manu propria*).

§ III. *Episcopus Vaciensis protestatur contra Resol.* — Locum tenentiale Consilium sexta Aprilis superius relatam hic Resolutionem Regiam ex officio publicavit. Quae etsi parum favens esset Helveticae et Augustanae Confessioni addictis, tamen displicuit quoque Episcopis Catholicis. Cui Protestationem opposuit Episcopus Vatziensis sequentem:

Michael Fridericus Divina Miseratione titulo Sanctae Sabinae S. Rom. Ecclesiae Presbyter Cardinalis e Comitibus ab Althan Episcopus Vatziensis Con-Protector Germaniae Regnorumque ac Provinciarum haereditariarum Augustissimae Domus Austriacae Sacrae Caesareae Regiaeque Majestatis Actualis intimus Consiliarius.

Cum per Epistolas Consilii Locumtenentialis, diebus retro elapsis ad me pervenerint nonnulla Puncta in materia religionis fundata in aliquibus Diaetalibus Articulis (ut ibi innuitur) contra quos non solus Clerus, sed et totus status Catholicus Regni se opposuerant, quae non sine acerbitate et etiam simul horrore animi perlegi, utpote in iis contenta, quae Catholicae Fidei, Divino Cultui, animarum saluti, et Apostolicae Sedis auctoritati, Jurisdictioni Libertati, Privilegiis, Praerogativis ac Juribus quibuscunque officiunt et diametraliter opponuntur. Hinc est quod inhaerendo Protestationibus peractis a toto praefato Clero et statu Catholico Regni contra non dissimilia praejudicia de annis 1608, signanter vero Diaetalen contra Articulum XXV anni 1681 et omnes alios subsequentes in negotio Religionis ut gravissimo Pastoralis mei debito, pro ovibus mihi commissis pretioso Christi Sanguine redemptis satisfaciam per praesentes coram Sacro-Sancta Trinitate et B. V. Maria, sine labe concepta et omnibus Sanctis, totaque universitate inclyta Comitatuum Pest, Pilis, Solth articulariter unitorum in civitate Pestiensi congregata, solemniter protestor contra omnia et singula praejudicia, quae inferri seu intulisse vel alias nocere vel nocuisse quoquo modo dici, censeri praetendi vel intelligi possent, simul omnia et singula inde secuta et quomodocunque inde secutura ipso jure nulla irrita, invalida, inania, injusta, reprobata ab ipso initio fuisse, et esse, ac perpetuo fore, nec ad illorum observantiam ullum Catholicum meae Dioecesis teneri, imo nec contenta in illis ullatenus a quopiam observari potuisse, ac debuisse aut posse et debere,

neque ullo tempore statutum facere, vel fecisse, sed proinde ac si non emanassent, nec facta fuissent, pro non exstantibus et non factis perpetuo quantum in me est et per meos Dioecesanos haberi volo, et iterum sic solemniter protestor, et interea per Praesentes appello ad Sanctissimum Dominum N. in terris Christi Vicarium D. Clementem Divina Providentia P. P. XII ejusque Sanctam Sedem Apostolicam, quae in materia Fidei sola infallibiliter, utpote columna et firmamentum veritatis, decernere, declarare, definire et decidere novit, cui ego omnimode et firmissime adhaereo et obedientissime me submitto. Datum in Episcopali Civitate Vatziensi die XXII Maji Anno D. 1731.

Michael Fridericus Cardinalis e Comitibus Althan
Episcopus Vatziensis. (L. S.).

§ IV. Eodem anno interatis Mandatis Carolus Sextus prohibuit ne Templa Helveticae et Augustanae Confessioni addictorum occupentur. et Ministri ab Ecclesiis amoveantur. Tale etiam est sequens Rescriptum ad Clerum Catholicum:

Carolus Sextus Dei Gratia Romanorum Imperator etc. Reverendissimi, Fideles etc. Relatae sunt nobis demissae Fidelitatum Vestrarum Literae circa continuationem benignae Resolutionis nostrae in materia Religionis impertitae sub quarta currentis ad nos datae. Quarum etiam continentiis perceptis, ulterius quoque clementer insistimus iis, quae Sub XVIII proxime praeteriti, ac I et II[da] currentis mensis, hoc in passu intimavimus. Quantumvis nimirum ulterius. quaevis Templorum ab Acatholicis hucusque tentorum occupationes et Praedicantium amotiones sistantur. Et in reliquo per universos Comitatus mox publicetur, ut dum sive Dominorum Terrestrium quis in particulari sive vero ipse Comitatensis Magistratus in sui gremio ejusmodi Templa occupare vel etiam Praedicantes amovere cupiat, de casu in casum specificare: idcirco repraesentationem cum motivis eatenus occurrentibus fidelitatibus vestris praevie super eo exhibeat, medio eorundem cum voto et opinione nobis humilime submittendum et quoad talium effectuationem a superventura eatenus benigna Resolutione nostra praestoletur.

Et hanc benignam Dispositionem nostram tam in Comitatibus Articularibus Articulo XXVI anni 1681 specificatis, quam et ibidem specificari omissis, adeoque per totum Regnum ad praecavendas ulteriores confusiones, mox publicari, firmiterque observari volumus et jubemus, ubi autem praecitati specificati Actus debite nobis repraesentabuntur conveniens desuper Resolutio primo quo fieri poterit tempore utique subsequetur. In reliquo Fidelitatibus Vestris etc. Datum in Castro nostro Laxemburg die XV Julii an. 1731.

§ V. *Quaestiones Visitatoriae.* — Archidiaconi Catholici hoc anno penes

Patentes Imperatoris literas coeperunt Augustanae et Helveticae confessioni addictas visitare Ecclesias. Quaestiones quas V. D. Ministris in cursu Visitationis proponebant praecipuae fuerunt sequentes, hodieque examen instituunt secundum illas.

1. Quot sunt Sacramenta? 2. Quid est Sacramentum in genere? 3. In specie quid est Baptismus? 4. Quae est materia Baptismi? 5. Quae forma Baptismi? 6. Qualis aqua requiritur ad S. Baptisma? 7. Num sit validus Baptismus si aqua abluatur apud privatas aedes infans? an demum forma Baptismi reiteretur in Templo? 8. Si infans aliquis offendatur in campo, vel promontorio cui non sit annexa schedula, ex qua quis dignoscere possit, num iste infans baptizatus sit, necne? Quaeritur an possit baptizari per Ministrum et quomodo? 9. Si abfuerit Minister et infans jam jam moribundus num possit baptizari per alium aliquem extraneae conditionis virum vel mulierem? 10. Cujus authoritate Parochiam inhabitat, an cum consensu Domini Terrestris? 11. Quamdiu fungitur officio Pastorali et in specie in hac Ecclesia? 12. Nomen quod est?

Pro illustratione materiae qualiter Visitatio in Ecclesia Losontziensi Helveticae Confessioni addicta peracta est et in Protocollum relata huc transferam, quae ita se habet:

Visitatio in oppido Losontz per Illustrissimum ac Reverendiss. D. Comitem Sigismundum Berenyi de Karants Bereny, Episcopum Mallensem Suffraganeum Strigoniensem, Archidiaconum Neogradiensem, penes Clementissimum Mandatum suae Majestatis Sacratissimae Caesareo-Regiae Caroli Sexti et suae Celsitudinis Reverendissimae D. D. Emerici e Comitibus Eszterházi Principis, Archiepiscopi Strigoniensis benignam Commissionem die III Julii 1731 peracta sic habet:

Ecclesia sive Templum Honori Dei Unius et Trini dedicata est, tota subtabulata, Aram habet nullam, Mensam autem lapideam rotundam in qua Pelvis stannea cum Infusorio pro Baptismo collocata est, alias pro conficienda in eadem Coena deservit Chorus ligneus et sedes similes per totum. Habet Matriculam in qua ab anno 1714 Nomina Baptizatorum descripta sunt, Copulatorum autem et aliorum in aliis (ut adserunt) libellis annotantur. Minister loci Joannes Miskoltzi et Georgius Janosi ambo in Hungaria studiis operam dederunt, et plures exteras Provincias peragrati fuerunt, gnari Linguarum Latinae Hungaricae et aliquantulum Sclavonicae. Primus in Ministerio annis quindecim in hujate Ecclesia quatuordecim, alter annis quinque, hic loci annum secundum agit. Ob incuriam illorum testimonio Populi ex parvulis nullus sine baptismo decessit. Stola a Baptismate nulla est; pro arbitrio Patriciorum datur jam plus jam minus. Domini Terrestres jure Forgatsiano D. D. plures Nobiles et Successores sexus Feminei Familiae Nyarianae.

Numerus animarum 1500 omnes Helveticae Confessionis praeter

unum hospitem Catholicum et alios servos ac ancillas numero 30 et confessionis Augustanae 100.

Uterque Minister, quoad materiam ac formam baptismi et intentionem faciendi, quod Christus instituit cum Romano-Catholicis convenit.

A tempore Resolutionis Sacratissimae suae Majestatis Festa Decretalia observant. Obstetrix loci Catharina Zanyik adiurata super eo, ut quantocyus insinuet neo-natos et si periculum mortis sit Ministros de eo informet. Ad baptizandum tamen nunquam admittitur.

Sigismundus Berényi.

§ VI. *Superintendentes a Visitatione Eccl. prohibiti.* — Superintendentes Helveticae et Augustanae Confessioni addictorum a Visitationibus Ecclesiarum sibi subjectarum coeperunt prohiberi in muneribusque suis constringi. Eo faciunt duae Locumtenentialis Consilii Circulares, quarum prima haec est:

Illustrissimi Reverendissimi etc.

Ex quo contextu benignae suae Majestatis Serenissimae super statu Acatholicorum in Regno hocce Hungariae degentium clementer impertitae et ab hinc sub 6 Aprilis anno 1731 proxime praeterito per Universos Regni hujus Comitatus publicatae Resolutionis inter alia Puncta 5to et hoc declararetur: Quod Superintendentes seu Superiores Augustanae et Helveticae Confessioni addictorum, ubi modo fatas Confessiones profitentes superinde, quot et in quibus locis ejusmodi Superintendentem, seu Superiorem sibi admitti petant apud suam Majestatem Sacratissimam Instantiam fecerint, iisdem admittentur.

Cum autem a tempore factae etiam ejusmodi benignae Resolutionis, eo in passu, nulla facta sit apud eandem Majestatem Sacratissimam Instantia, bonus interim ordo exigat, ut si Augustanae et Helveticae Confessioni addicti Regnicolae superiores aliquos habere cupiant, eosdem a sua Majestate Sacratissima sibi admitti suppliciter petant.

Hinc Consilium hocce Locumtenentiale Regium benigne id mandante altefata sua Majestate Sacratissima Praetitulatis Dominationibus Vestris praesentibus intimandum esse duxit: Ut eousque nullus pro Superintendente vel alterius ordinis Superiore Augustanae et Helveticae Confessioni addictorum in Hungaria agnoscatur, vel ad aliquod exercitium istiusmodi jurisdictionis admittatur, priusquam indultum et Concessionem Regiam desuper petierint et impetraverint. Dat. ex Consilio Locumt. Regio Posonii die 7 Martii Anno 1732[1]).

Georgius Eszterhazi, Adamus Baro de Meskó Emericus Gyurtsányi.

Pressi modo praescripto ratione Superintendentium Helveticae et

[1]) Altera exhibebitur infra Cap. V § IX.

Augustanae Confessioni addicti, tandem anno 1733 die 3 Supplici adierunt libello Regiam Majestatem, benignamque anno 1734, 29 Octobris, obtinuerunt Resolutionem, jam superius[1]) descriptam, ubi quatuor Superattendentes Augustanae, quatuor Helveticae Confessioni addictis clementissime conceduntur, ab Ecclesiis eligendi, Regi vero repraesentandi ac ejus authoritate Diplomatibus muniendi.

CAPUT QUARTUM.

De Statu Religionis in Transylvania sub Carolo VI.

§ 1. *Eleonora Imperatrix confirmat omnes libertates.* — Eleonora Magdalena Theresia Romanorum Imperatrix, exempto humanis Rege Hungarorum et Imperatore Josepho, cum Regimen susciperet, non solum in genere omnia Pacificationis Szathmariensis Puncta, sed etiam in specie libertatem Religionis loco suo reliquit et anno 1711 die 8 Julii Publico Pacificationis Instrumento confirmavit. Carolus Sextus datis ad Transylvanos die 13 Martii anno 1712 literis eos assecuravit de omnibus Libertatibus Ecclesiasticis et Politicis in vigore suo conservandis ita illis rescribendo ad gratulatorias de felici reditu:

Carolus Sextus Dei Gratia Romanorum etc.

Illustres etc. Redditae sunt nobis Vestrae XVI mensis proxime elapsi ad nos datae, nobis gratissimae: quibus Vos felici nostro Reditui effuso corde gratulari ac pro auspicato Regimine et incolumitate nostra preces et vota nuncupare nobis demisse significastis. Quae omnia sicuti pro insigni indubitatae Fidei et devotionis in Nos Nostramque Augustam Domum argumento benignissime accipimus, ita et vos et medio vestri fideles nobis delectos charae nobis Transylvaniae Trium Nationum, et Quatuor Receptarum ibidem Religionum universos et singulos Status et Ordines reddimus securos et alios quosvis, cujusvis gradus et conditionis subditos nostros; nullum Principis et Regis boni munus intermissuros, quin imo omnes et singulos in communi et particulari tam Sacra quam profana quod spectat in eorum Juribus, Legibus et Privilegiis, immunitatibus et indultis, quae videlicet a Sacratissimo quondam Principe D. Leopoldo Romanorum Imperatore ac Germaniae

---

[1]) Lib. II. Cap. VIII § XIV.

Hungariae, Bohemiaeque Rege Genitore nostro desideratissimo, seu Diplomatice, seu aliis Sacrum hoc Diploma secutis benignissimis Resolutionibus et sanctionibus charae nobis Transylvaniae concessa et indulta fuere. Prout per gloriose defunctum Sacratissimum quondam Principem D. Josephum, aeque Romanorum Imperatorem ac Germaniae Hungariae Bohemiae Regem Praedecessorem et Fratrem charissimum, factum. Nos quoque pro paterno prorsus, quo in vos charamque Patriam gerimus affectu, non modo clementer confirmaturos, verum et illibate conservaturos, cunctaque et singula benigne promissa effectui mancipaturos, ac demum omnes curas et solitudines nostras eo directuros esse, quo chara nobis Transylvania recuperata jam externa pace intestina quoque tranquillitate perfrui possit atque restauratione omnium quae novissime sopitis tempestatibus confusa, aut immutata viderentur, in pristinam gloriam et amplitudinem reponi quemadmodum benignissimam eatenus intentionem nostram, circa celebranda quam primum dicto fine legitima Comitia, jam ex aliis nostris procul dubio intellexistis. Qui propterea tam universam charam Nobis Provinciam, quam vos quoque Gratia nostra Caesareo-Regia quam benignissime complectimur. Datum in civitate Nostra Viennae Austriae die 13 mensis Martii anno D. 1712, Regnorum Nostrorum Rom. 1, Hispan. 9, Hung. et Bohem. 1.

CAROLUS. B. Sigismundus Kornis
Ad Mandatum C. Regiaeque Majestatis
Andreas Szentkereszti.

Rursum 30 Martii an. 1712 in Literis confirmatoriis, quibus Compositionem Szathmariensem a Josepho Imp. inchoatam, ab Eleonora Imp. absolutam ratihabuit, pro Transylvanis omnia Jura, Privilegia ac Libertates benignissime confirmavit.

§ II. *Ordines Religiosi.* — Leopoldo Imperatori cum Transylvani se submisissent, cavebant solicite in Tractatu cum Imperatore: Ne unquam in Transylvania erigatur Jus Patronatus et Sacerdotale aut aliae introducantur Personae Ecclesiasticae, quam quae actu ibidem sunt. Quibus terminis respectus erat ad varios Religiosorum ordines praecise vero Jesuitas Legibus Regni e Transylvania exclusos, et etiam Jus Episcopatus. Episcopus enim Catholicus sub Sigismundo adhuc Bathori Principe fuerat proscriptus et possessiones ejus ad intertentionem Aulae Principalis conversae aut Magnatibus benemeritis donatae. Factum tamen est per varios discursus et diversas inter Religiones altercationes, Generale Commendante in Transylvania Francisco Stephano Steinvillio rem nomine Imperatoris acriter perurgente ut anno 1716 Georgius Martonfi de Karatzfalva in Episcopum catholicum introdu-

ceretur, cui Albae Juliae tandem Carolinae dictae Residentia designaretur. Superintendens Reformatus cum Collegio ejusque Professoribus inde migrare jussus. Pro Templo aliisque Residentiis pro Catholicis vel Militaribus officialibus ibidem occupatis quindecim florenorum millia promissa, quae adhucdum desiderantur.

Ordines quoque Religiosi omnes fere Civitates occuparunt. Jesuitae Claudiopolim, Albam Carolinam, Cibinium, Coronam, Udvarhelyinum, Maros Vasarhellyinum. Francisci filii Claudiopolim, Tordam, Nagy Enyed, Albam Carolinam, Szasz Város, Hunyad, Devam Szasz Sebes, Cibinium Fagaras, Coronam, Udvarhely, Mediem, Sespurgum Mvasarhely Dés et alia minoris momenti loca. Piavistae Mediem et Bistricium, Paulini Töris et Illyefalva.

§ III. *Conservatoria Literarum Canonicis committuntur.* — Mandatum anno 1727 die 11 Decembris ex Aula ad Gubernium Regium est datum de Conservatoriis in Transylvania Literarum, quae Canonicorum Albensium curae erunt committenda; ita illud est: „Ad Demonstrationem praeterea nobis factam, qualiter in duobus illis nostri Principatus Literarum et Literalium Instrumentorum conservatoriis, Capitulo videlicet Albensi, et conventu de Kolos Monostra non pauca etiam magni momenti Literalia Instrumenta tam publicum illius nostri Principatus, quam privatas ibidem Personas et Familias concernentia, partim corrupta, partim subtracta hac praesertim ratione extiterint, quod eadem Conservatoria quibusdam mediocris sortis Secularibus Personis custodienda concredita fuerint; quibus privatorum suorum cura ut plurimum distentis, ea quae in Conservatoriis ex officio peragenda erant rite ac debite procurata non sint. Benigne publici Boni causa resolvimus, ut praespecificata bina literarum Conservatoria Capituli et Canonicorum Albae Carolinensium a Majestate nostra fundatorum curae et fideli custodiae consignentur ita tamen ut qui Seculares modo in iisdem Conservatoriis funguntur maneant: in casu vero eorum vacantiae apta et idonea subjecta, subintellectis etiam aliis ibidem Religionibus addictis, per dictum Capitulum vobis Regio Nostro Gubernio, inde vero Nobis pro benigna electione et Resolutione Nostra congruo numero repraesententur. Bini ab eo tempore sunt in Conservatoriis Requisitores literarum Seculares, alter Romano-Catholicus, alter vero Reformatae addictus Religioni, ceteri sunt Canonici. Idem vero Capitulum ut Sessionem ac votum suum inter fideles nostros Status et Ordines ejus Principatus pro convenientia habeat, clementissime decrevimus: Commissa erunt Conservatoria literalium instrumentorum Secularibus. „W. Bethlen Lib. VI pag. 292 anno 1571."

§ IV. *Templa. Oratoria. Gymnasia absque indultu erigere non licet.* — In iisdem Mandatis interdictum Templa, Oratoria Gymnasia absque praevio Principis consensu erigere ac fundare. Injunctumque est ut Superin-

tendens Unitariorum ad confirmationem impetrandam repraesentetur. Articulus de his ita est: „Non secus repraesentatum Nobis fuit, quod nonnullis in illo Nostro Principatu Religionibus addicti, Templa, Oratoria Scholas, et Collegia, seu Gymnasia propria auctoritate erigere et fabricare, Unitarii vero sibi Episcopum eligere absque Principatu et consensu Nostro praesumant. Cum autem ea jus summi Principis directe tangunt et concernunt, benigne statuimus, ne ullis sive Catholicae, sive alteri in illo Principatu Nostro Religioni addictis, Templa, Oratoria, Scholas et Collegia seu Gymnasia absque praevia a Nobis eatenus indulta ipsis facultate erigere et fabricare licitum sit. Verum si qui ejusmodi fabricas inchoare vellent facultatem a Nobis praevie suo modo humilime implorent. Unitarii vero Episcopi seu Superintendentis sui praesentationem Nobis submittere et confirmationem a Nobis humilime petere teneantur. Nostri enim qua summi Principis juris ea omnino sunt."

§ V. *Semel Catholicis factis relabi non licet.* — Fuit quoque Regio in iisdem Mandatis injunctum Gubernio, ut serio iis attenderent qui semel Catholicam Religionem susceperunt, ne ullo modo relaberentur. Mandatum tale est: „Non sine displicentia demum intelleximus, qualiter nonnulli, aliis in illo Nostro Principatu Religionibus addictorum vel ex agnita Sacrae Fidei veritate, vel consequendi alicujus officii aut gratiae fine, vel vero evitandae commissum ob reatum poenae causa Orthodoxam amplectuntur Fidem, ex quibus aliqui postquam scopum suum consecuti fuerint, ad priorem suam Religionem relabantur. Alii vero quibusdam persecutionibus, injuriis damnificationibus et vexis, diversis viis ac modis praetextuose afficiantur. Nec competentem habeant protectionem et manutentionem. Ratione quorum benigne ac positive resolvimus ut ii qui relabuntur animadversionem poenamque contra tales a Nobis statuendam incurrant. Perseverantes vero post conversionem ut a superius dictis persecutionibus injuriis, damnificationibus et vexis etiam per Vos Gubernium Nostrum Regium pro Vestra quam a Majestate Nostra indultam habetis auctoritate omnimode protegantur et manuteneantur, benigne volumus. ac serio jubemus".

§ VI. *Correctio Juris Patrii urgetur a Catholicis. — Declaratio Reformatorum.* — Non parvos animorum motus inter Romano-Catholicos et caeteras in Transylvania Receptas Religiones causaverat praetensa Patrii Juris Correctio. Post factam in Transylvania Sacrorum Decimo Sexto seculo Reformationem admodum pauci sequebantur Religionem Romano-Catholicam, qui fuerunt illi plena fruebantur libertate sub Principibus Reformatis. Providerant iidem Principes de securitate Religionis Reformatae ac Augustanae, ut etsi temporibus subsecuturis mutaretur Princeps cum Sacris, tamen ea subsistere posset. In hunc quoque finem facta est Unio arctis sub conditionibus inter Quatuor Receptas Religiones,

superius fuse tradita[1]), quae tabulis Legum Transylvanicarum solicite diligenterque est inserta. Translato ad Principes Austriacos Regimine non intermiserunt catholici Transylvani eosdem suplicibus solicitare libellis ut perruptis Legum repagulis jura Catholicorum extenderentur, aliarum vero Religionum contraherentur. Hinc natae sunt sub gloriosissimo Imperatore Leopoldo post Diploma Regium, quo assecurati in Juribus suis Transylvani, tot Resolutiones Regiae, tot disceptationes inter Religiones, tot querelae, compositiones in negotio Religionis alibi memoratae. Erant in Tabulis Legum Transylvanicarum quaedam de obsequio erga Portam Ottomannicam praestando, tempori cum sub Jugo Turcico gemeret provincia accommodata; quae merito expungenda censuit Carolus Sextus, eorumque loco successionem Domus Austriacae feminei sexus inserendam. Urgebatur haec materia praecipue anno 1729 et sequentibus ubi Reformati in Diaeta Sequentibus mentem suam scriptotenus declararunt:

Nos ex parte nostra quemadmodum Excellentissimi quondam Comitis a Virmond ejus temporis Commissarii Regii circa haereditatem masculini et feminei sexus Augustae Domus Austriacae praeivimus bono exemplo aliis omnibus, sic et ea, quae antea jam pridem per Tractatum Serenissimi quondam Lotharingiae Ducis, et postea Excellentissimi quondam Generalis Comitis a Karaffa, hic in Patria constituti, tempore renunciationis Portae Ottomannicae, et omnia quae in securitatem Dominii Augustae Domus Austriacae spectare videbantur suis solemnitatibus, et quidem adhuc per regnantem ejus temporis ipsum etiam Principem, acta sunt, bene novimus: ita etiamnum in delenda omnia, quae Dominio Augustissimi in Approbatis et Compilatis Principatus hujus Constitutionibus praejudiciosa quomodocunque continentur, omnino consentimus, non modo nunc, sed et jam pridem consensimus eo lubentius, quo compertum habeamus nos etiam proximo Bello Turcico per Dei Gratiam unice armis gloriosis Augustissimi liberatos sub umbra ejusdem suavissimae Dominationis placide quiescere, indiesque majoribus atque majoribus Gratiis et Benignitatibus cumulari et ita quandocunque Augustissimo Nostro placuerit Corpus Approbatarum et Compilatarum Constitutionum, quod jam pene deficit, typis novis mandari permittere, omnium Nostrorum voto ea omnia ex textu omittenda, cassanda, et annullanda, exterminandaque, taliumque loco sancita Pragmatica, ipsum etiam Haereditatis masculini et feminei sexus Instrumentum inserendum esse non modo judicamus, verum et ut id fiat Suam Majestatem Sacratissimam supliciter orabimus.

§ VII. *Postulata Catholicorum.* — Occasionem istam quoque in rem suam vertebant Catholici, qui omnia e Legum tabulis expuncta esse

[1]) Lib. III.

voluerunt, quaecunque aliquomodo Religioni Romano-Catholicae praejudicare videri poterant, atque ita etiam illa quae pro stabilimento aliarum Religionum fuissent. Apparet hoc ex eorum Postulatis in Comitiis anno 1730 aliis Religionibus propositis, ubi ita Romano-Catholici:

Inclyti Domini Status aliis Religionibus Addicti!

Si quidem Sua Sacrat. Caesarea Majestas cursum Juris et accelerandam Justitiae administrationem clementissime jubeat Legum et consuetudinum nostrarum Articulariumque Constitutionum examen per Deputatos ex Jurisperitis, probisque viris institui, omniaque eo spectantia summa accuratione peragi, et pro moderno rerum statu et exigentia accommodari cum vero publicus privatusque Transylvaniae status vigore ejusdem clementissimi Decreti id exigat, et Approbatae Constitutiones Part. I. Tit. 1. id dictent, hinc status Catholicus reliquos Inclytos Status aliis Religionibus addictos fraterna charitate requirendos duxit, quatenus occasione instituti examinis hujus et indagationis Legum et consuetudinum nostrarum Articulariumque Constitutionum. Articuli nimirum

1. Contra Religionem Catholicam et quoquo modo illam ferientes.

2. Haereditariae Successioni per liberam et conditionatam Principis electionem derogantes.

3. Adhaesionem Portae Ottomannicae injungentes.

Omnes denique et singuli Hereditariae Augustissimi Principis sexu in utroque Successioni, ejusdem S. Religioni aliquomodo praejudicantes expungantur, cassentur et annihilentur; iisque pro moderno rerum statu contrarii ac in perpetuum valituri condantur, et pro benigna confirmatione Altefatae Majestati praesententur. Horum enim Articulorum omni usu carentium expunctio et contrariorum sanctio non solum Catholicorum, sed indiscriminatim omnium Religionum homagialis obligatio debita incumbit. Quod tanto facilius nos consecuturos a praetitulatis Inclytis Dominis Statibus speramus, quo plus aequissimae petitioni nostrae, mutuae que ac fraternae in nos propensioni ac benevolentiae eorum confidimus, manentes

Inclytorum Dominorum Statuum aliis Religionibus Addictorum Fratres et Amici addictissimi, Status Catholicus in Transylvania.

§ VIII. *Declaratio trium Religionum in hac materia.* — Subsecutae sunt haec Catholicorum Postulata eorundem Protestationes, quibus declarabant nolle se iis Legum Articulis amplius teneri, et pro Legibus Regni eosdem habere. Vicissim tres aliae Religiones opposuerunt eorundem Protestationi Reprotestationem, id est declarationem, qua significarunt, Catholicorum huic zelo et actui debebunt imputari, si quas inopinatas et malas consequentias secum haec materia agendique modus ferat. Post varias ultro citroque inter Romano-Catholicos et tres alias

Religiones agitatas disceptationes, tandem tres Religiones sequenti scripto ad Regium Plenipotentiarium et Commissarium directo declararunt.

Demissa Informatio, quare Acatholici in vota circa Puncta a D. Catholicis praetensa se immittere non potuerint.

Primo. Qualitercunque intueamur Puncta porrecta in Protestationibus Dominorum Catholicorum et Reprotestationibus Acatholicorum, ea ipsa sunt, quae Sua Majestas anno adhuc praeterito 1729 die 25 Febr. ad excelsum suum hujas Gubernium Regium dato Rescripto discutienda pollicendo sibi reservare dignata est, ut citatum Rescriptum sub Litera D, jusseritque sepositis illis insistendum esse coepto operi correctionis remoratae Justitiae, quo ipso intellecto in negotio, uti nobis videtur consequentias forte nobis ignotas secum trahente et inter partes vertente, ubi partes de sese votare nequirent, non videtur nobis integrum in ulteriorem disputationem, quae ex votis tot differentium Religionum evenire possent nosmet immittere.

Secundo. Optare quidem nos et optasse pridem cum D. concivibus Catholicis circa quaevis Religiosa concordiam in Unione Legali fundatam, sed quia in Articulis Constitutionum Regni, quaecunque pro libertate Religionum Acatholicorum comprehenduntur ea omnia sibi praejudiciosa esse assererent. In quorum particulare examen descendere esset ansam dare disceptationi Religiosae, collisioni et contristationi animorum, quam declinare prudenter, arbitramur esse servitii Suae Majestatis eo magis, dum videmus in citato Rescripto nostrae controversiae discussionem, et decisionem sibi reservasse.

Tertio. Vident ipsimet D. concives Catholici sibi in hac Patria nihil, deesse, Suamque Majestatem Sacratissimam Dominum et Principem haereditarium Patriae nostrae de ipsis plenissime et clementer prospexisse, neque amplius esse, quod desiderari queat, omnibus tamen iis non contenti in dies quantis contristationibus nos affecerunt et afficiunt etiam hodie, quot Templa nostra via facti contra positivas Leges occuparunt, et vel proxime privati Nobiles, ut sunt D. Lazarus Apor in Kend, Matthias Kun in Kal, Stephanus Frenk in Moss, item David et Alexius Henter in Sepsi Szentivany, et alii plures ex Magnatibus occuparunt, de qualibus jam multae querelae, in Aula Decimas et Quartas Legibus et sacro Diplomate sartas sectasque in bonis suis Pastoribus nostris cum vitio legum et Diplomatis abstulerunt, Parochias occuparunt, ansamque dederunt Apaffiano Fiscali Administratori D. Szendrei etiam militari adsistentia adhibita, contra mentem Legum occupandi.

Porro: Quantum in D. Concivibus Catholicis est contra mentem Legum et Diplomatis Acatholicos ab officiis omni nisu arcent, et negligunt, dum apud Excelsum Gubernium Regium Religiosas querelas aut impedimenta decenter deponimus, neque auditu, minus resolutione favo-

rabili dignamur, sed relegamur ad Suam Majestatem; adeo ut nisi Sua Majestas Sacratissima D. Catholicos benignissimis et seriis Jussis ad observandum legalem et Diplomaticam adque sempiternam Patriae quietem directam ordinationem adigat, sempiternam contristationem nobis subvie necesse erit.

Dignetur ergo sua Excellentia gratiose considerare et perpendere, qualiter nosmet et qua spe in particulare Legum, contra quas talia fiunt, examen immittere possimus. Et haec fuit causa, quod etiam in initio operis correctionis remoratae justitiae in examen particulare Legum nos immittere non potuerimus, imo ipsam etiam Sacratissimam Majestatem ex variis Scriptis nostris desumptis motivis et argumentis tactam et motam controversiae decisionem sibi reservasse demisse supponimus.

Ut tamen porro quoque appareat erga praedictos D. concives nostros noster sincerus amor, complacendique cupiditas quemadmodum et in proxime antecedenti nostro scripto uberius declaravimus, sic et nunc id ipsum summo complacendi studio diligenter iteramus: Nos D. Catholicos concives nostros absit ut ab Episcopatus introductione praeclusos R. P. Societatis Jesu in statu quoad mentem prioris nostri scripti cum circumscriptione necessaria et suos Fautores criminis notae obnoxios saltem cogitemus; quin imo, quemadmodum in ipso statim Dominii Austriaci exordio in hac Patria absolutos indicavimus, sic etiamnum introductionem Episcopi et absolutionem dictorum R. Patrum et eorum Fautorum ab onere notae ipsis per legem antecedenter sancitam inflictae, non modo pro parte nostra pronunciamus et declaramus, verum etiam si Suae Majestati Sacratissimae hoc ipsum benignissime placuerit ut in Articulis Regni publicis declaretur, amice consentimus, praestolamurque in quibusvis obviis reciprocam ad securitatem Religionum nostrarum Diplomaticam Concordiam et mutuam Harmoniam. Quod vero primum et maximum est, ut loco conditionum Principum Electivorum, ea quam in proximo huic scripto nostro de Dominio Augustae Domus Austriacae prolixe declaravimus sanctio eatenus Pragmatica articulariter publiciter etiam medio Excell. D. Commissarii Regii suplices oramus.

Suplicamus ergo Excellentissimo Domino Commissario Regio Plenipotentiario D. nostro gratioso, hoc ipsum scriptum nostrum Declaratorium una cum antecedente proxime suae Excellentiae exhibito, Sacrae Caesareae Regiaeque Majestati Domino, Domino nostro clementissimo, pro ocyori et ulteriori difficultatum et suae Majestatis in Aula jam cumulatarum et pro re nata Excellentiae suae in posterum etiam porrigendarum religiosarum Precum benigne promissa discussione et decisione referre. Qui pro Patria manebimus

Excellentiae Vestrae

Obsequiosi et humilimi servi, Universi Proceres,

Nobiles et Civici, Status, Ordines, haereditarii Principatus Transylvaniae Partiumque Regni Hungariae eidem annexarum Tribus Receptis Religionibus addicti.

Datum ex Generali Principatus Transylv. Partiumque Regni Hungariae eidem annexarum Diaeta Claud. die 17 Julii 1730.

§ IX. *Projecta Religiosa.* — Cum lis ista ferveret exiit rumor in publicum de quinque Personis Gubernialibus, quasi illae nova Projecta in Aulam anno 1731 Mense Junio ad ratihabendum, Systemati vero Juris novo substernendum transmisissent. Fuerunt autem in his Punctis circumlata:

1. Articulus Approbatarum Constitutionum de Receptis Religionibus tollatur: maneatque in beneplacito Principis Libertas exercitii Religionis Acatholicorum.

2. Unio Articularis quatuor Receptarum Religionum tanquam Pestis eliminetur.

3. Praescriptio in Possessione Bonorum a Joannis Regis donatione, nulla esto.

4. Omnia Templa et Scholae Catholico-Romanae fundationis cum beneficiis restituantur, nominanter vero Templum et Collegium Claudiopolitanum Reform. Religioni addictorum.

5. Peregrinatio sive studiorum sive culturae causa extra Provinciam interdicta esto.

6. Jurisdictio in Matrimonialibus causis sit penes Clerum Romano-Catholicum.

7. Tutoratus, et Pupillorum educandorum bonorumque ad ipsos devolvendorum cura committatur Principi usque ad perfectam aetatem, annum videlicet 24tum.

8. Collegium Societatis Jesu Claudiopolitanum Privilegio Academiae fruatur, amplietur, et beneficiis dotetur, ut et Cibinii, Coronae, Maros, Vasarhelyini Scholae majores aperiantur.

9. Typographiae absque publica auctoritate nullae erigantur, nec in iis, quae actu sunt absque censura et approbatione Libros imprimere, neque Libros Acatholicos invehere fas sit.

10. In quartum usque consanguinitatis gradum Acatholici Matrimonia ineuntes in notam infidelitatis incurrant et omnia Bona perdant, nisi nova Donatione impetrata fuerint, Catholicis vero cum dispensatione Pontificis et Matrimonia inire et Bona cum consensu Principis possidere integrum esto.

§ X. *Considerationes in Superiora Puncta.* — Quos animorum motus haec Puncta in tribus Religionibus Receptis conciverunt, apparet ex sequenti scripto tunc adhuc publicato.

Considerationes generales super praespecificatos Articulos.

Rumor communis in Provincia, per quinque Personas Guberniales novas Constitutiones systemati Provinciae contrarias antehac nec in ultimis Comitiis vel motas vel postulatas nunc jam propositas et Suae Majestati Sacratissimae ad ratihabendum praecipitanter submissas esse, eandemque in proximis Comitiis, quae propediem celebratum indicuntur publicandas fore, non absque consternatione incolarum exspectatur eventus. Interea autem cum suspicationum augmentis, mutua odia, simultates, animorumque discordiae servitio Principis et Tranquillitati publicae perniciosae invalescunt, maxime ob negotia quibus et Religiosa et Politica mixtim cum Familiarum detrimentis subversantur, et quidem ubi via facti multa quotidie fiunt impune et absque querelarum remedio.

Male opinandi ansam praebet ad id, quod quicquid publicum Principatus Statum concernit vel a Principe mandante ad Status proponenda vel a Statibus petenda sunt, per manus Commissarii Regii, cui incumbit ad Statum Politicum aeque ac Militarem attentis oculis et auribus semper invigilare, repraesentare hucusque moris et consuetudinis fuerit. Nunc vero praeterito Commissario Regio, ea quae et Statuum Consensum requirunt et Fisci Regii rationes concernunt Commissario Regio ne quidem communicata, verum immediate ad Cancellariam Aulico-Transylvanicam transmissa esse tanto majori incolarum offendiculo. Quo

Sanctiones fundamentales Provinciae aggredi et consilia fidem publicam Principis ac Systema fundatae tranquillitatis incolarum absque praescitu et consensu Statuum solicitare, multo minus innovari velle stricte lege poenali et quidem sub nota infidelitatis prohibitum sit. Videtur enim

Conventiones publicae a Serenissimo Lotharingiae Duce a Caesareo Plenipotentiario Commissario Comite a Karaffa et aliis publico nomine factae, Diploma item Caesareum Provinciae indultum, nec non Caesareae, gloriosae reminiscentiae Leopoldi, Josephi, Eleonorae ut et actu regnantis augustissimae Resolutiones, sunt hoc fundamento uti possidetis roboratae labefactari et revocari per Articulos projectatos praeter intentionem Augustissimi Principis. Si quidem

Horum summaria capita ad tolerantiam Religionum Acatholicorum beneplaciti duntaxat temporaneam, et subjectionem Episcopo Romano-Catholico, nec non ad Jura Cleri amplianda et in Bona secularisata extendenda directa esse perhibentur. E contra

A parte Acatholicorum obtenditur mutua sanctione fundamentali interesse, et Principum confirmationes prout et diplomate Caesareo-Regio stabilitam esse Religionum libertatem, qua sublata vel circumscripta metuitur, quodlibet audendi potestas in exercitio et beneficiis Religionum Acatholicorum consequenter et exclusio a publicis officiis cum periculosa Tranquillitatis publicae concussione.

Et jus Cleri in Bona quaelibet a Sua Majestate definitum esse, spesque Secularisata rehabendi abscissa, siquidem Episcopo determinati Proventus Episcopales una cum bonis territorialibus jam dati sunt. Et Societati Jesu certae Decimae Saxonicales cum 5000 Rhenens. e censu Cathedratico assignatae a Provincia vero Possessio Monostor deposita summa inscriptitia ad manus tradita.

Donationales, Collationales, Armales Principum Transylvaniae a tempore Regis Joannis de Zapolya omnes confirmatas ratihabitas et in vigore hucusque manutentas fuisse, consequenter et in possessionibus collatis omnes Praescriptiones pro validis et securis habendas esse, juxta clara verba Diplomatis prout et ante tres annos in Productionibus a Sacratissima Majestate in Hungaria demandatis Literales Donatiales ut et Armales a Principibus Transylvaniae exaratas ipsis etiam in Partibus Hungariae Transylvaniae annexis ratihabitas et in valore relictas esse constat. Principum Collationales per Confirmationes roboratas Augustissimam Majestatem in dubium revocare velle non videtur.

In Juribus Ecclesiasticis exercendis diversa Principia diversas instantias postulare, nec Judici qui et Actor sit causarum Ecclesiastici Fori decisionem committi posse.

Et Peregrinationes in exteras Provincias Studiorum et culturae cujuslibet causa suscipiendas impedire velle gravi Anathematis interminationi subest juxta Comp. Const. Part. III Tit. IX. § 1. Caetera ex memoratis capitibus seu jure praetenso ingratis eventibus secutura vereri.

Tandem ingratam hanc Provincialibus litem ortum cum Gallis bellum suspendit magis quam terminavit.

§ XI. *Magnates Reformati quidam incaptivantur.* — Bellum exarserat cum Turcis in finibus Transylvanicis anno 1738, unde brevi ut solet fieri orta est etiam Pestis in Provincia, quae brevi multa hominum millia absumpsit. Non parva igitur fuit formido hinc a Peste inde ab irruptione hostili, cum vicinam Valachiam hostis jam in potestate haberet, et loca quaedam in Banatu occupasset. Praeter commune hoc cum omnibus Provincialibus malum, alius multoque gravior Reformatos invasit metus qui nimio plus eos concussit, et pene exanimavit.

Nam XXIX Martii aliquot Magnates Reformati in suis Residentiis cum Superintendente Reformatorum per milites Caesareos subito incaptivantur, et in varia fortalitia abripiuntur. Domus Superintendentis Enyedini simul cum Collegio per aliquot Equitum Peditumque turmas circumsessa, officialis omnes domus angulos cistasque excussit, et quicquid literarum aut scripturae invenire potuit Cibinium transmisit ipsum autem Superintendentem Albam Carolinam comitantibus Cataphractis abduxit, Illustr. D. Joannes Lázár L. Baro de Gyatascuta Cibinii in proprio hospitio primum arestatus, inde mox in aliud transpositus arcta

in custodia habetur. Illustr. Ladislaus Rhedei Samsondino Devam, Sigismundus Torotzkai Gyeres Szentkiralyino Claudiopolim, Franciscus Rhedei Bistricium, Michael Toldalagi, qui praeter senium caecus, surdus, et podagricus erat, Fagaerasinum deducuntur, et ab omnibus necessariis secluduntur, ab accessuque domesticorum severe arcentur.

Illustr. comes Samuel de Betlen similiter XXXI Martii Cibinium deducitur, captivitatique subjicitur exclusis omnibus domesticis. Tandem Sigismundus N. Borosnyai Th. Dr. et Professor Collegii N. Enyedensis die secunda Aprilis itidem per milites Caesareos Albam Carolinam severae custodiae dandus abductus est. Non sine ratione formido singulos invaserat Proceres, imminentemque similem quisque sibi metuebat sortem, cum nemo incaptivationis causam conjicere valeret. Expositi hoc modo sunt Reformati, quasi opprobrio aliarum Religionum, traductique sunt per Novellistas in universa Europa detenti Proceres, quasi Factionis alicujus aut Proditionis capita. Additi etiam sunt alii ex infima sorte expressis nominibus, ac ne quid facinoris celebritati deesset per eosdem publicos Nuncios Illustrium Baronum titulis gratis ornati.

§ XII. *Incaptivantur et alii.* — Abusi eadem occasione maleferiati quidam nebulones, praeconceptum odium in suos exseruerunt malevolos. Joannem enim Turotzi Nobilem de Tsapo virum probum et honestum Adamus Tordai detulit quasi colludentem cum Josepho Rakotzi apud Turcas tunc haerente, certioremque ut fidem inveniret delator, literas ipse nomine Rakotzii ad Turotzium finxerat, et casum quo in manus inciderint callide efformaverat. Post arctam aliquot mensium custodiam Turotzius vocatus est in examen, deprehensus est innocens, omnisque tragoedia recidit in caput delatoris Tordaii; quem nisi intercessio quorundam Magnatum, Religio, quam ceperat profiteri, Romano-Catholica, et lenitas accusati poenae talionis exemisset debebat eadem manere.

Stephanus quoque Törsöh Szigeti V. D. Minister in Ecclesia Szantsaliensi, delatus quasi pro hostibus Principis Preces ad Deum publicas concepissit, clam Cibinium abreptus est et aliquamdiu in miserima detentione habitus: tandem ad intercessionem quorundam Procerum in examen vocatus, et delator irrisus, ipse innocens dimissus est. Similem fere sortem subierat Andreas Szoboszlai Pastor Ecclesiae Ujfalvensis penes Maerusium, qui levissima de occasione in custodiam datus, primum Albam Carolinam per milites inde Cibinium deportatus, ac errore deprehenso post aliquot dies liber ad sua dimissus est.

§ XIII. *Deputatus pro captivis Em. Betlen Viennam mittitur.* — Circumspiciebant modum, quo in arcta custodia detentos Fratres et consanguineos liberare possent Reformati. Nec alter inveniri potuit nisi ut in Aula captivorum eliberatio urgeretur per eorundem Deputatum. Imponi

sibi hanc provinciam passus est Illust. Comes Emericus de Bethlen. qui accepta a Statu Reformato Instructione, a Gubernatore vero exeundi libertate XXVII Junii iter ingressus Viennam adiit. Ubi communicatis cum Agentibus Reformatorum Sigismundo Tartzali et Samuele Szilágyi consiliis, gnavissime causam sibi commissam ubi intererat ursit. Primum Aulae Cancellarium Comitem a Sintzendorf Sequentibus Supremorum in Transylvania Ref. Ecclesiarum Curatorum literis requisivit, ejusque ambivit favorem:

Excellentissime S. R. J. Comes
Domine Dne. Gratiosissime!

Victi lamentis conjugum, liberorum fratrumque et sororum ineunte vere arestatorum, sanguinis nobis ac etiam Sacrorum necessitudine junctorum assentiri debuimus, ut e suis nostrisque perinde fratribus Illustrissimus Comes, Dominus Emericus de Betlen, eorum nostrique quantum par est, nominibus preces ad Haereditarium Principem Dominum videlicet nostrum naturaliter clementissimum depositum mitteretur. Consternati sunt omnes finitimae hujus Provinciae Haereditariae cives et simili casu perculsi, quorum animos ne cogitatio quidem detestando se crimine polluendi subiit, et a metu, dolore, ac admiratione varias in partes distracti, quid agant? nec de sui securitate persuasi, ignorant, et quovis malo plus timent. Ut igitur Excellentia Vestra veluti cui pax et tranquillitas Suae Majestatis Domini et Principis nostri Haereditarii Subditorum curae cordique est, praefatum expressum nostrum negotia miserorum arestatorum acturum quoties res postulaverit gratiose admittere, ei benignas aures praebere, precibusque ejus apud Augustam Majestatem, pro constanti suo, quo erga iustitiam flagrat amore opitulari dignetur Excellentiam Vestram submisse oramus. Habitura est Excellentia Vestra pro isthac justitia distributiva omnino in coelis remuneratorem Deum, a quo longaevam Excellentiae Vestrae, Excelsaeque ejus Domui felicitatem ex corde precantes manemus

Excellentiae Vestrae humilimi Servi
Comes Adamus de Bethlen
Cibini XIX Junii Baro Sigismundus Banffi
1738 Baro Josephus Nalatzi

§ XIV. *Libellus supplex pro incaptivatis.* — Concinnatoque tandem Libello supplici in personali audientia Deputatus die XVII Julii de genu Imperatori pro captivis porrexit, sequentem

Augustissime Imperator, Princeps Haereditarie Domine
Domine naturaliter nobis Clementissime!

Gemebundi benignissimis Sacratissimae Vestrae Majestatis pedibus

suplices provolvimur, coram justissimo Sacratissimae Vestrae Majestatis throno innocentiam incaptivatorum Maritorum, Patrum, Fratrum consanguineorumque declaraturi, ne dum eos ob crimen conspirationis prout ubique fama fert incaptivatos, silentium criminis ejusdem arguat.

Non imploramus tamen Augustissime Imperator Misericordiam neglecta Justitia, sed ita utramque conjunctam esse capimus, ut major tamen hujus quam illius habeatur ratio, si enim conspirationis, si proditionis, perduellionis criminis laesae Majestatis publicaeque Patriae tranquillitatis turbatores, violatores atque rei sunt, propria nostrum sententia ipsos condemnamus, eandemque ad vigorem legum Patriarum exequi desideramus. Quod si vero innocentissimi deprehensi sint si nullam legalis suspicionis ansam pro tanto horrendo crimine praebuerint, per Misericordiam Dei, per ipsa Christi Domini Vulnera, pretiosissimaque Sanguinis ejus effluvia Vestram oramus Sacratissimam Majestatem, ne eos diutius cum tanta honoris, vitae, bonorumque jactura detineri patiatur, imo quantocyus libertati restitui benignissime jubeat.

Equidem penetrare non possumus quid delatorem induxerit ut Pientissimi Haereditarii Principis nostri animum ab ipsis fidelissimis alioquin subditis aut alienare, aut eorum in Augustissimum Principem fidelitatem suspectam reddere intenderet, nam seu vitam, mores, conversationem, studia, atque aetatem sive Majorum merita, propriaque erga Domum Augustam fidelitatis Documenta, statum, conditionem, fidem ac Religionem trutinare libuisset nil, certe nihil, Deum in testem vocamus, ad eruendam criminis laesae Majestatis, perduellionis, infidelitatisque notam firmi producere potuisset.

Samuel quippe comes de Bethlen atque Joannes L. B. de Lázar, duobus abhinc annis ut in numerum Regiae tabulae Judiciariae Assessorum promoverentur Vestrae sacratissimae Majestatis effecit benignitas. Ille nunquam infidelis ad demerendam tanti Principis clementiam, filium primogenitum militaribus Vestrae Majestatis Sacratissimae servitiis obstrinxit, qui actu in Inclyt. Legione Vetesiana qua Vexillifer servitium praestat. Cujus et Pater tam in conflictu contra Turcas et Tökölianos anno 1690 ubi Generalis Heisler incaptivatus ad Törtsvár, contra nefandam ultimae Revolutionis colluviem ad Szent Benedek inito, cum ipsa vitae sanguinisque jactura fidelitatem et quidem ad tumulum usque constantem testatus est. Hujus quoque Pater erga Augustam Aulam ad ultimos usque dies semper fidelis et ipse praeterito saltem anno Matrimonium iniens, nulla unquam infidelitatis vel suspicione notatus, Vestrae Majestatis Sacratissimae munificentiam studiis diligentia ac fidelitate demereri totus intendit.

Michael Toldalagi, homo fere septuagenarius, prorsus coecus et surdus, quem ita visus atque auditus destituerunt ut nec camelum prae

oculis existentem videre, nec sonum nisi fragoris intensissimi audire amplius posset.

Sigismundus Torotzkai sexaginta et quod excurrit superavit annos, quem apoplectica aliqua ita debilitavit species, ut corporis partem vix amplius sustinere possit, eaque oneri potius quam obeundis corporis muniis inservit. Hic a longo jam tempore, neque oeconomicarum tanto minus publicarum rerum cura tangitur.

Franciscus Rhedei fere sexagenarius, hunc et podagra et singulis noctibus ephialthes ita infestant, ut jam tumorem etiam pedibus induxerint; unde lecti potius custodem quam Reipublicae turbatorem merito dixerimus.

Ladislaus Rhedei XXVI praeterpropter annorum, natura mitis, humanus, modestus, cujus indolem phlegma et sanguis, ita tamen ut illa potiorem occupasse videatur partem, temperarunt. Hinc audita criminis, ob quam in captivitatem ducendus erat, atrocitate, in deliquium incidit animi, contractoque exinde moerore, saepius in captivitate diem obiisse fama spargebat.

Stephanus Szigeti Reformatorum non pridem factus Superintendens, homo totus canus, semper fidelis, quem aetas, studium prudentia, ipsaque professio, imo per eum ordinatae in Ecclesiis pro felicibus Augustissimae Vestrae Majestatis armis Preces, Devotionesque publicae ab ejusmodi crimine facile absolvunt.

Sigismundus Borosnyai adhuc juvenis, vix finitis scholasticis suis studiis ac peregrinationibus redux ad tradenda humaniora uno ante incaptivationem mense accommodatus, nullis plane indiciis tanti criminis vel suspectus nedum reus censeri posset.

Nihilominus tamen hi conspirationis rei, hi publicae tranquillitatis turbatores, hi contra Augustissimum ac Clementissimum nostrum Haereditarium Principem, contraque Augustam ejusdem Aulam clandestinas fovere machinationes, cum profugo ac perfido inire Rakotzio amicitias ad promovendasque ejusdem intentiones mille jam et ultra conscripsisse milites publicis etiam traducuntur literis, et quidem tunc quando Sacratissima Vestra Majestas copiosissimam in Transylvania haberet militiam, quando in hybernis ad confinia Transylvaniae omne plane exercitus robur haberet, cur igitur nunc potius, quam tunc cum tota Transylvania imo ipsa etiam Hungaria militibus nudaretur? cum Gallicis omnia implicarentur armis? cum ipsa occasio nefandae talis intentionis successum perversis subministrare videbatur.

Sed quis eorum seu rerum Patriarum tam ignarus ut intollerabile nec e memoria obliteratum adhuc Turcicae Tyrannidis jugum Clementissimae Majestatis Vestrae Sacratissimae Regimini praeferret, seu tam protervus Christianitatis contemptor, ut Paganismo potius quam isti sese

submittere velit? seu tam juratus Patriae hostis ut omnia intestinis involvere bellis ultimumque ejus maturare excidium studeret?

Certe nefanda haec crimina vel cogitationi horrorem incutiunt, quibus semper obsequium et avitica fidelitas pro gloria fuit.

Patiatur igitur Sacratissima Majestas Vestra hisce motivis in pura veritate fundatis se in eorum commiserationem commoveri, atque cum jam a XXIX Martii excussis omnibus Literis, Literariisque instrumentis, trutinatisque iis, quae ad suspicionem quoquo modo detegendam faciebant indiciis, et tamen nihil praeter magis aegre factum animum, quod nostra literaria etiam de Bonis Haereditariis exsistentia ad multorum et nescimus quorum perlustrationem contra expressivas Patriae Leges devenerint, elicitum sit; ad minus nihil in publicum, quo causa eorum aggravari, tanto magis cadere possit prodierit, ut sic a tanto silentio facile ad eorum absolutionem concludere nobis liceat.

Supplices proinde coram justitiarum Majestatis Vestrae Sacratissimae Throno prostrati, humilime instamus dignetur Vestra Majestas Sacratissima, eos partim morbis, partim senio gravatos, omnes omnino innocentes fidelesque Vestrae Majestatis Sacratissimae Subditos competenti cum honore, legalique consolatione pristinae reddere libertati, et simul ablata nobis omnia literalia Instrumenta salva ac illaesa restitui facere ob quam Caesareo-Regiam justitiam ac clementiam Deum supplices pro glorioso Vestrae Majestatis Sacratissimae Regimine pro felicibus contra immanem Christiani nominis hostem armis venerabundi emoriamur.

Sacratissimae Vestrae Majestatis

humilimi perpetuoque fideles Subditi
incaptivatorum necessarii.

§ XV. Instantiam hanc subsecuta est Aulae Ministrorum conferentia, ubi Commissio pro captivis serio examinandis ordinata tam e Provincialibus quam vero Militaribus officialibus, post serium ac severum examen deprehensi sunt innocentissimi. Eliberatio tamen eorum procrastinata est ad diem XV Januarii anni 1739 quo omnes cum honore dimissi sunt. Perque publicas Literas eorum innocentia orbi Christiano volente ac jubente ita Imperatore uberrime declarata est. Quis tamen eorum fuerit delator, ac quo crimine detulerit? Aula manifestare nolente resciri non potuit.

§ XVI. Non possum mihi temperare, quin elegantissimum Illust. Baronis Joannis Lázar carmen interseram, quod Stephano Szigeti die Stephano Protomartyri Sacro, cum adhuc uterque in aresto detinerentur, exaraverat.

ELEGIA

In diem Nominis Reverendissimi D. Reformatorum in Transylvania Superintendentis Stephani Gyuta Szigeti maesto quidem at sincero animo composita.

Torva Tibi quantumvis eat Natalis, et ultra
Fas, custoditum janua limen amet,
Carmen ad obsessas penetrat custode remoto,
Et subit occlusas quas vetor ipse fores.
Grataque molestis ferret solatia rebus
Ni foret Autoris mens quoque torva sui.
Et me carcer habet, cor et mihi laesit adempta
Libertas. Misero sunt quoque fata mihi.
Parce igitur laetis, si quantum tristia distant
Ille salutiferi carminis error erit.
Quid precer ignoro? nam cum Tibi nulla cupido
Aestuet, et Phrygias hinc superaris opes;
Cum Tibi Mens rerum foecunda, et pectus honesto
Incoctum caleat. Quid tibi vota dabunt?
Vota, Precesque tenes. Hoc ergo non precor unum,
Ut par labenti, qui venit annus eat.

Gratus in suum olim Magistrum Discipulus, nunc Fati ejusdem socius tristi Natali tristem Elegiam canit Megyesini XXVI Decembris an. 1738. L. B. J. Lázár.

CAPUT QUINTUM.

De Statu Religionis in Hungaria regnante Maria Theresia Hungarorum Regina.

§ I. *Maria Theresia Hungariae Regina.* — Nullam Carolus Sextus decedens post se reliquerat Masculam Prolem; successit ergo illi secundum Pragmaticas Sanctiones Primogenita Filia Maria Theresia, coronataque in Hungarorum Reginam ingenti cum Populorum adplausu. Priusquam coronaretur anno 1741, uti et Praedecessores faciebant omnia Jura et Libertates se servaturam sancte promisit, Sacroque suo Diplomate se obstrinxit, ubi ita primus Articulus est: Quod praeter ab antiquo deductam Haereditariam Regiam successionem, coronationemque, in reliquo universas et singulas communes istius Regni Hungariae, Partiumque eidem annexarum Libertates, immunitates, Privilegia statuta, communia Jura, Leges et consuetudines a Divis quondam Hungariae

Regibus et gloriosissimae memoriae Praedecessoribus Nostris, hactenus concessas et confirmatas in futurumque concedendas et per nos confirmandas — — in omnibus suis Punctis Clausulis et Articulis prout super eorum usu et intellectu Regio, et communi Statuum consensu diaetaliter conventum fuerit, firmiter et sancte observabimus, per aliosque omnes et singulos inviolabiliter observari faciemus.

Ex antiqua consuetudine omnia etiam Juramento religiosissime firmavit[1]).

§ II. *Suplex libellus August. et Helveticae Confessioni addictorum.* — Pietas et clementia Reginae omnem non tantum promittebat Protestantibus in Hungaria tranquillitatem verum etiam insuper firmam conceperant spem ea omnia restitutum iri, quae illis antecedentibus temporibus erant ablata; praecipue cum et illi omnem fidelitatem in bellicis Expeditionibus ut decuit fideles Subditos sponte demonstrassent. Evenit tamen ut cum ab initio nihil respirii in Gravaminibus suis invenirent, imo Deputati eorum communi nomine ad Aulam admissi non essent, medio libelli supplicis misericordiam Reginae cum lacrymis gemebundi expetebant, anno 1741, d. XXVI Octobris:

SACRATISSIMA REGIA MAJESTAS!

Domina Domina Clementissima!

Ex innumeris, quas Nos Evangelici Augustanae et Helveticae Confessioni Addicti, a longa retroactorum annorum serie in Regno Hungariae patimur, afflictionibus et angustiis, moeror et dolor nobis sane non inusitatus, sed quasi proprius factus est. Vix unquam tamen animos nostros magis adfecit, magisque consternatos reddidit, quam dum praeterito mense Julio, Deputati nostri pro exoranda Majestatis Vestr. Sacratissimae benignitate, et implorando remedio Viennam missi, ab aditu Sacratissimae Majestatis Vestrae Throni exclusi, nullam exspectatae consolationis, desideratique remedii spem reportassent. Ac nisi ulterior propitiandae Sacratissimae Majestatis Vestrae Clementiae et Misericordiae fiducia nos sustentaret, sane moerore contabescere et de permansione nostra desperare deberemus. Cum praesertim, non hac duntaxat vice id denegatum esse, verum ne posthac quidem Instantiam communi nomine instituendam nobis licitam esse debere sub specie Legis adstrui, taliterque nos ab aditu Augusti Majestatis Vestrae Regiae Throni in perpetuum arceri, et semel pro semper excludi advertamus. Utinam vero positivae Leges Regni et Publicae Pragmaticae Sanctiones, quoad concessam omnibus Religionis libertatem et civilem aequalitatem, secundum expressos et

[1]) Articul. I anni 1741.

directos earundem tenores potius a parte alia observarentur, quam tale quid praeter expressiones earundem Legum, coram Majestate Vestra Sacratissima contra nos obtenderetur, ut pro benigna nostri ad mentem Legum conservatione et manutentione agere et suplicare haud sit licitum. Taliter certe cessarent aut saltem rarescerent non solum nomine publico, verum etiam privato in materia Religionis instantiae sed cum Evangelicis lacessendis nec finis nec modus ponitur, privatimque ac publice immensae injuriae et afflictiones iisdem inferuntur. Naturalis ratio et ordo suadet, imo exigit, ut pro ponendo legali remedio, consolationeque obtinenda, non utique aliorsum, quam ad Sacratissimam Majestatem Vestram, maternamque ejus Gratiam et Clementiam in communi causa, non alias quam nomine communi profunda cum humilitate recurramus. Qui actus, quemadmodum summo Principis fastigio et humilimae devotioni Subditorum comveniens, ita indispensabiliter necessarius ubique gentium censetur, ac igitur nulla etiam lege prohibitus dici potest. Revolvantur enim Leges in negotio Religionis conditae et signanter Articulus XXVI ann. 1687 nullatenus via instantiae Evangelicis nomine communi praeclusa, quin imo in Diaetis quoque instantias suas promovendi facultas data, ac per compositionem etiam Szathmariensem Articulo XLIX anni 1715 stabilitam et ratihabitam iisdem permissa fuisse reperietur. Sed nec Articulo XXX anni 1715 si in sensu genuino et naturae rei et aliis legibus consentaneo et practicabili sumatur eadem communis instantiae via in causa communi praecluditur. Nam

Primo. Hic ipse Articulus respectu communium eorum repraesentatorum Gravaminum conditus est, in communique omnibus complanatio et secundum Leges ulterior conservatio per benignam Regiam Resolutionem publica fide promissa et decreta, hocque fine Commissio ordinata exstitit, quae cum plene et finaliter propter varias temporum vicissitudines et impedimenta per gloriosissimum Imperatorem et Regem Genitorem Sacratissimae Majestatis Vestrae desideratissimum terminata et conclusa non sit, ut mox ex inferius adductis ipsius quoque Commissionem secutae benignae Resolutionis tenoribus patebit, quid clarius esse potest, quam quod communium Gravaminum, quibus hucusque allatum non est remedium. Remedium et complanationem utique non alia, quam communi nomine humilimo adurgere et supplicare possimus et debeamus. Unde

Secundo. Facile patet contradistinctum esse sensum hujus articuli ad calcem, dum de tali casu loquitur, ubi quis duntaxat privatorum in persona vel causa Religionis se gravatum existimaverit, ut videlicet talis suo privato et non communi nomine ad Regiam Majestatem recurrat. Diffiteri namque non possumus antea privatos, etiam personales casus communi instantia mediante pro meliori repraesentari solitos, ac respectu dandae satisfactionis promotos fuisse, adeoque cum alia ratio sit commu-

nium Gravaminum; respectu horum articulariter ordinata quoque complanatio non alias quam in communi praestanda intelligi potest, et alia iterum privatarum sive personalium laesionum sit consideratio. Hinc igitur ultro citroque patet, quod sub hac posteriorem privatarum instantiarum considerationem venire, eo talia Gravamina et afflictiones nostrae trahi non possint, quin potius ad communem instantiam spectent, quae ita sunt comparatae, ut eas non tantum unus aut alter privatorum, sed omnes in communi sentiamus tanquam unius corporis membra, non unius aut alterius sed innumerorum fidei nostrae consortum persecutionibus, incarcerationibus exiliis et aliis adversitatibus ingemiscamus omnes in communi, quid ex persecutione illorum qui tam Religione quam justitia causae nobiscum sunt uniti, nobis exspectandum sit, admoneamur, fataque ipsorum in nos aeque redundatura, adhuc priusquam evenerunt ultro adsumere cogamur. Omnes in communi a publicis Regni aeque ac ejus Dicasteriorum, imo magna in parte a Comitatuum quoque ac Civitatum officiis excludamur, ac fere ubique ubi adhuc usum applicationis retinuimus, sive in aditu quorumpiam officiorum, sive in casu adjudicati aut delati in processu causarum juramenti, sive denique in obtinenda civilitate ad formulam Juramenti Religioni et conscientiis nostris contrariam stringamur ac denique omnes in communi in causis matrimonialibus, Judiciis Sacrae Sedis Catholicae subesse, ac contra Religionis nostrae principia judicium subire, ac talia innumera Religionis nostrae ac libertatis ejusdem praejudicia perferre. Omnes item Religionis nostrae varias persecutiones et aerumnas benigno Sacratissimae Majestatis Vestrae conspectui, infra uberius expositas, mox hic mox alibi per Regnum ferentibus et oppressis compati et ingemiscere cogimur, quae cum omnibus aequaliter praejudiciosa sint, et omnes si non facto ipso jam premant, futuri tamen consideratione aequaliter tangant, naturaliter omnibus instandi humilime et nomine communi ad Sacram Majestatem Vestram recurrendi necessitatem imponunt. Porro

Tertio. Cum Articulo XXX an. 1715 praecitato, quo nimirum Commissio in negotio Religionis ordinata erat, particulares etiam quorumvis privatorum laesiones ad particulares et privatas instantias relegatae haberentur. Commissio vero vel ex eo nondum adaequate terminata esset, quod multa eandem ingressa communia nostra Gravamina hucusque complanata non sint. Profecto citra omnem articuli transgressionem non communia duntaxat omnium Evangelicorum Gravamina, sed et ipsae particulares laesiones et injuriae Sacratissimae Majestati pro remedio proponi de justoque et aequo humillime promoveri possunt et debent. Si quidem pro

Quarto. Et Sacratissima Caesarea Regiaque tum gloriose regnans Majestas eandem Resolutionem suam in Punctis nos aggravantibus interminatam duntaxat esse voluerit, hoc ipsum per terminos: hac vice,

item, interea et donec aliud statuatur, satis expressit, ut adeo viam instantiae intuitu subversantium communium Gravaminum in communi haud praeclusam esse longe magis pateat, quam ut in Quaestionem vocari queat.

Sed et Quinto exprimi nequit quanta consternatione percellantur Evangelici prae expectatione millenarum miseriarum et persecutionum, si praesertim eas nomine communi Sacratissimae Majestati Vestrae repraesentare iisdem integrum non esset quin imo hactenus inaudito et tristi exemplo, nulloque suo demerito ab accessu Augustissimi Throni Regii prohiberentur taliter enim spes iisdem omnis, vel minimum saltem solatium ac aerumnarum suarum levamen ex gratia ac clementia Majestatis Vestrae obtinendi prorsus tolleretur. Cum praeviderent hac praecludendae communis instantiae intentione Venerabilem Clerum Catholicum directe eo tendere ut gravamina et instantiae Evangelicorum, quae omnes in communi aequaliter concernunt, vel ex eo quod particulariter sive in forma Personalis Gravaminis repraesentari nequeant, per neminem adsumantur, adeoque omni cursu suo destituantur. Accederet porro

Sexto Quod ex multitudine particularium instantium numerus instantiarum nimium quantum excederet, consequenter fatigationes et sumptus in immensum multiplicarentur: cui oneri ferendo dum Evangelici impares sunt necesse est ut in casu etiam gravissimae injuriae et laesionis vel instare desistant, vel si institerint, mole fatigationum ac sumptuum fessi et enervati ad ultimum totaliter collabascant. Porro

Septimo Per restrictionem communis instantiae ad privatam via ad clementiam Regiam recurrendi plurimis ac praesertim tenuioris sortis hominibus, maxime vero subditis per Dominos Terrestres in libero Religionis exercitio et tranquillitate conscientia e turbatis reddita plane inpracticabilis. Metus enim et horror, quem vigor Dominorum Terrestrium in causa praesertim Religionis miseris subditis incutit, eosdem a refugio ad Thronum Regium repraesentationeque etiam gravissimarum persecutionum deterret. Quas si communi reliquorum Evangelicorum nomine repraesentare non licet, profecto nullus in hoc casu amplius obtinendae consolationis et Protectionis Regiae modus erit. Quin imo Magistratibus Comitatuum et Civitatum, sive Dominis Terrestribus, sive Plebanis et aliis privatis contra publicas Regni Leges et sanctiones imo contra benignas etiam Resolutiones Regias pro lubitu in miseram plebem grassari, ac vim conscientiis inferre, impune licebit, atque afflictissimum populum Evangelicum, pari cum Catholicis subjectione et fidelitate onera publica ferentem in lacrymis et angore spiritus vitam morti similem agere, ac una nobiscum in dies extrema quaeque et ab ipsa dulcissima Patria quoque exterminium praestolari oportebit.

Per pretiosissima itaque communis omnium nostrum Salvatoris Jesu

Christi vulnera, per gratiam et misericordiam omnipotentis Dei iisdem Salvatoris nostri vulneribus Populo Christiano partam, Sacratissimam Majestatem Vestram exoramus millenas afflictiones et aerumnas nostras materno cordi sumere ac humilimas suplicationes et instantias nostras vel ex eo quod communi huic omnium nostrum causae per naturam rei ipsius aequaliter una duntaxat benigna ac legibus Regni conformi Resolutione, remedium adferri queat, quod qui obtinendae communis consolationis nulla alia via sit, ad Augustissimum Thronum suum nomine etiam communi clementer admittere, ac ita spem de materna Majestatis Vestrae clementia per nos conceptam cum exoptato populi etiam Evangelici solatio adimplere dignetur.

Quod dum per clementiam Sacratissimae Majestatis Vestrae nobis ultro citroque ac benigne permissum iri speramus in fiducia ejusdem gratiae et clementiae intimum animorum nostrorum dolorem alterius etiam in eo exprimere cogimur. Religionem nostram, quamvis publica fide, publicisque pactis et legibus Regni recepta sit, non amplius qua acceptam, sed contra expressum Legis sensum toleratam duntaxat passim in hoc Regno haberi, et ideo continuas et infinitas persecutiones in nos moveri. Quae ut Sacratissima Majestas Vestra revera praeter et contra sensum Legum ac Sacrorum et Regiorum Diplomatum dictamen fieri benigna mente perspiciat, ideo statum nostrae Religionis, qualiter videlicet eadem Legibus Regni et Sacris Regum Hungariae Diplomatibus Recepta stabilitaque et conservata sit. Majestati Vestrae Sacratissimae in eadem Regiae maternae gratiae et clementiae fiducia, profundaque cum submissione ac humilitate exponere summe necessarium existimamus.

Anno 1606 ex mutuo Regis et omnium Regni Statuum consensu per publicum Pacis Instrumentum, virtute articuli primi Religionis exercitium omnibus et Singulis concessum ac praecedentes et in oppressionem Religionis nostrae interventae Regni constitutiones pro non obstantibus declaratae, cassataeque fuerant. Assecuratio praeterea fide publica interposita erat, nusquam et nunquam Evangelicos in Religione sua turbatos iri. In Diaeta anni 1608 demum per Articulum primum non tantum iterato Libertas Religionis omnibus et singulis eam profiteri volentibus concessa, verum etiam ut quaelibet Religio suos habeat Superiores et Superintendentes statutum, ac insuper ut omnia officia sine discrimine Religionis distribuantur per Articulum ejusdem anni III et XIII decretum exstitit. In anno porro 1608 per Articulum VII praecitatae Leges renovatae, imo in anno 1622 per Diploma Regium in Articulo II contentum et quidem conditione sexta, hoc etiam ne quisquam cujuscunque status et conditionis in libero Religionis usu ac exercitio a Majestate Regia, aut aliis quibusvis Dominis Terrestribus quovis modo turbetur statutum erat. Anno demum 1625 per Articul. XIX item 1638

per Articulum primum et Diplomatis ejusdem anni conditionis 5 et 6, 1647 per Articulos V, VI, VII, VIII, IX, XI, XII, XIII, XIV, item 1659 per Leopoldinum Diploma Punctis V et VI. Tandem 1681 per Articulum XXV et XXVI praeinsertae Leges confirmatae sunt, et insuper per hunc postremo loco citatum articulum XXVI determinatum fuit. Primo. Pro aedificatione aliorum Templorum Scholarum et Parochiarum sufficientia loca exscindantur, et quidem in omnibus signanter autem in undecim ibidem denominatis Comitatibus. Secundo. Tot Templa per Evangelicos aedificata et ritu Catholico nondum reconciliata Evangelicis resignentur. Tertio. Sensu ejusdem Articuli id quoque explanatum est, quod in reliquis Comitatibus loca Templorum articularium ideo designata non fuerint, quod in actuali fere omnium Templorum usu Evangelici fuerint. Unde id quoque articulariter determinatum erat, ut in usu eorum relinquantur. Quarto. Ut in omnibus liberis Civitatibus loca pro Templis, Scholis et Parochiis adsignanda concedantur. Quinto. Templa vero in quorum actuali et pacifica possessione Evangelici eo tunc fuerant, ut alterius etiam in eadem una cum Parochiis, Scholis et Proventibus permaneant, statutum erat. Sexto. Insuper ut Evangelici Plebanis Catholicis non solvant. Septimo. Ut Magistratibus et Nobilibus in Residentiis suis Sacella aedificare et dotare liberum sit. Octavo. Ut ad cerimonias Religioni suae contrarias non cogantur. Nono. Ut posthac nullae Templorum occupationes vel exercitii turbationes sub poena in Articulo octavo Ulad. Decr. VI statuta fiant. Decimo. Ut in futuris Diaetis Evangelicis instantias suas promovendi, non obstantibus Cleri aut aliorum contradictionibus via minime praecludatur.

Hae Constitutiones non obstante Cleri contradictione in Diaeta anni 1687 per articulum non tantum renovatae, sed etiam in quantum effectuatae non essent, ut in effectum deducantur, statutum erat. Non secus in anno quoque 1715 per articulum XXX praecitatae Regni Leges renovatae, et in quantum per partium contraventiones effectuatae non essent, ut effectuentur determinatum, ac eo in fine articularis quoque Commissio ordinata fuit. Quae postquam in anno 1721 prius Pestini assumpta demum vero Posonii continuata fuisset, Commissariis articulariter denominatis, inter se convenire nequeuntibus Catholici in aggravium Evangelicorum, Evangelici vero Legibus et Diplomatibus Regiis innixi pro amoliendis ulterioribus persecutionibus, ac in ulteriorem sui conservationem et in statum legalem repositionem, opinionem suam, quoad occurrentes quaestiones piae reminiscentiae Caesareae Regiae Majestati sub spe adipiscendi legalis remedii submiserunt: quas utriusque ordinis opiniones demum in anno 1731 benigna Resolutio Regia subsecuta est.

Ex his brevi modo deductis Sacratissima Majestas Vestra, benigna mente prospicere dignabitur in legibus et constitutionibus Regni Reli-

gionem Evangelicam ejusdemque libertatem ac jura tenentibus nullum esse defectum, cum eadem pro nobis satis clare loquantur. Eo tamen non obstante experiri cogimur, quod ubi Religionis nostrae exercitium omnibus liberum ubique esse deberet, ibidem existat circumscriptum et ita restrictum, ut in multis locis ne umbra quidem alicujus libertatis appareat, quippe libertas exercitii non tantum in multis Comitatibus et Civitatibus non conceditur, sed insuper etiam ubi prioribus temporibus juxta praecitati articuli XXVI an. 1681: Templa demum etc., concessa fuerat, subsequentibus temporibus sublata sit, Ministri verbi Dei ex integris etiam Districtibus, uti inter alios signanter ex Örszeg et Totság in Comitatu Castriferrei exclusi, et passim incolae exercitio Religionis suae destituti, pro audiendo verbo Dei, proque usu Sacramentorum ne quidem ad vicina loca ire et Ministrorum suae Religionis ope uti. Sed nec libros Evangelicos legere audent. Ire autem volentes in publico capiuntur, libris ac interdum vestibus sine discrimine aetatis sexus et conditionis privantur ac diversis modis divexantur. Alibi per sedes Dominales carceribus vinculis, et poenis pecuniariis afficiuntur. Alibi ut Romano-Catholicas Ecclesias frequentent sub mulcta pecuniaria aliisque poenis adiguntur. Alibi praetextu Juris Dominalis in conscientias etiam usurpant, ad amplectenda Sacra Romano-Catholica, vi et potentia exilioque et carceribus compelluntur, bonisque et facultatibus privantur. Alibi ad cerimonias Religioni suae contrarias frequentationes utpote Processionum sub gravi mulcta adurgentur. Imo ubi etiam mulctam deponere volunt, tamen ex coetu et contuberniis ejiciuntur, ubi vero casus deponendi per Evangelicos juramenti occurrunt, ad juramentum uti jam superius attactum est, cum clausulis Religioni suae contrariis deponendum passim adstringuntur, et quidem non tantum illi, qui in gerendis officiis praeficiuntur sed etiam ii a quibus testimonium perhibendum exigitur, et quibus Juris necessitate hoc secum ferente in causarum processibus deponendum in persona juramentum adjudicatur; jurare autem hoc modo reluctante conscientia nolentes, in plerisque Comitatibus et Civitatibus ab officiis excluduntur, ac nonnullis Bona quoque abjudicata esse comperiuntur. Alibi matrimonium inire volentes a copula, puerperae ab introductione citra mutationem Religionis arcentur, alibi mortui, eo quod in vita sua Religionem mutare noluerint sepultura excluduntur, sepulti autem effodiuntur, aut cadavera eorundem ad loca infamia abjiciuntur; alibi mulcta gravis imponitur illis, qui moribundorum domesticorum statum Plebanis locorum significare, eosque ad moribundos, quamvis Religionis suae tenaces invitare praetermittunt. Tales etiam personae, quae longe ante praedeclaratam anni 1731 Resolutionem Regiam Evangelica Sacra amplexae sunt, praetextu Apostasiae incaptivantur, mulctantur, verberantur, relegantur. Alibi scholae Evangelicae unice ad Grammaticam restringuntur alibi

prorsus interdicuntur. Libri Evangelici uti sunt Sacra Biblia et libelli Precationum, ac alii Dogmatici in Regnum invehi vetantur, illati vero auferuntur. Alibi ubi etiam concessum est liberum Religionis exercitium, Ministri Evangelici nec aegrotos, neque captivos visitare multo minus ad mortem condemnatos et ad suplicia eductos comitari audent. Alibi ut in liberis et regiis Civitatibus fere omnibus, extranei ac plerisque in locis Patriae filii Evangelicam Religionem profitentes, ex solo Religionis odio utilitate et bono publico neglectis, a jure concivilitatis arcentur. Imo nobilitari Praerogativae quoque gaudentes Patriae filii, unice propterea, quod Religioni suae contrarium Juramentum deponere nequeant, tam in Comitatibus quam in Civitatibus a gerendis officiis quantumcunque idonei et habiles excluduntur, et loco eorum inhabiles idiotae impossessionati constituuntur consequenter publicum opera hominum inhabilium perperam administratur, et quod altius ferit, verorum Regni Nobilium et Sacrae Coronae commembrorum vota in congregationibus edita in plerisque Comitatibus susque deque habentur, in plerisque autem nec admittuntur.

Modus medendi Gravamina. — Quae omnia imo his longe plura et majora ad casus etiam et species reducere, ac in particulari afflictiones nostras Majestati Vestr. Sacratissimae remonstare parati essemus, nisi pari calamitatibus nostris prolixitate nos graves futuros provideremus promptitudinem tamen nostram hac in parte ubi opus fuerit humillime offerimus. Si praedeclaratorum tot, tantorumque malorum fons et origo investigabitur, tristis omnium nostrum experientia docebit, non esse aliam quam quod negotium Religionis, licet quidem Supremae auctoritati Regiae juxta Leges Regni tractandum competat et reservatum sit, ubi tamen in eo quispiam gravatorum ad Thronum Regium confugerit, inde ad consilium Regium Locumtenentiale, hinc autem ad Magistratum Comitatensem vel Civitatensem, vel vero ipsos Dominos Terrestres pro danda informatione relegatus fuerit, et vix non semper instantiae supplicantium vel ipsum persecutionum et illatarum injuriarum auctorem vel in ipsius promotores et fautores inciderit, atque adeo impossibile fuerit apud illos quibus dictamine ipsius naturae acta sua, quantuncunque illegalia potius excusare et palliare, quam incusare et se ipsos reos pronunciare proprium est remedium aliquod vel sperare longe minus invenire. Quod ipsum si alterius etiam ita continuatum fuerit, nos fidelis Majestatis Vestrae Serenissimae Populus, quid aliud quam persecutiones, aerumnas, exilia ultimam denique ruinam et exterminium nobis polliceri possumus. Cum nihilominus sciamus Majestatem Vestram sacratissimam aliorum etiam Regnorum et Provinciarum suarum curis distractam in altissima sua Persona negotio Religionis revidendo incumbere Leges et Constitutiones Regni eatenus conditas indagare et afflictiones nostras in particulari examinare haud posse.

Proinde summam humillimarum Precum nostrarum in eo concentramus, dignetur Altefata Majestas Vestra nos fideles suos subditos Evangelicos, qui nimirum pari cum Statibus Romano-Catholicis promptitudine, devotione et fidelitate vitam et sanguinem Majestati Vestrae consecramus, dignetur inquam nos in clementissimam Protectionem Regiam sumere et in conformitate supradictarum Legum sequentia clementissime ordinare et in effectum deduci facere.

Primo. Ut nos quoque Augustanae et Helveticae Confessioni addicti, tanquam commembra Statuum et Ordinum Regni aequaliter cum Catholicis tractemur, et pro ratione cujusvis Status et capacitatis in adipiscendis publicis Dicasteriorum Regiorum et Regni, nec non Comitatuum et Civitatum Magistratualibus officiis, bene meritorum ratio habeatur. Tandem vero

Secundo. Sive in accessu officiorum, sive in casibus perhibendi testimonii, sive submissionis in personam in processibus causarum juramenti, sive denique in adipiscenda concivilitate ac aliis quibusvis occurrentiis nos in usu nostrae Religioni consentanei et ab antiquo recepti, sed nec Christianae Catholicae Fidei ullo modo contrarii per Deum Triunum deponendi Juramenti benigne relinquere et confirmare, nec ad pronuntiandum juxta formulam Religione et conscientiis nostris contrariam adstringi nos permittere. Demum id quoque benigne ordinare

Tertio. Ne vota Evangelicorum sive occasione electionis officialium Magistratualium, sive denominationis ablegatorum, sive decisionis causarum judicialium per Comitatus aut liberas et Regias civitates rejiciantur aut supprimantur, sed pariter cum votis Catholicorum admittantur et observentur.

Quarto. Ut Ministri Augustanae et Helveticae Confessionis suis solum superintendentibus et superioribus et nullatenus Jurisdictioni Sacrarum Sedium subsint ac matrimoniales quoque causae secundum Principia Evangelicorum dijudicent. Porro

Quinto. Ut in Comitatibus ubi Evangelici in possessione suorum Templorum oratoriorum et exercitii persistunt Oratoria Evangelicis restaurare, reaedificare, imo nova quoque loco ruinatorum et lapsum minantium cum accessoriis Parochiis et Scholis extruere; item Magnatibus et Nobilibus Evangelicis tam in gremio restrictorum, quam non restrictorum Comitatuum residentibus, in Residentiis et Curiis suis ulterius quoque oratoria erigere et dotare et concomitanter Ministros suae professionis intertenere ac alios quoque sponte venire volentes ad cultum admittere liberum sit, nec ire volentes quocunque sub colore impediantur. Imo rustici quoque in restrictis Comitatibus extra loca articularia residentes, opera Ministrorum suorum Evangelicorum ordinarie, tanto magis quopiam extraordinario id exigente, sub tectis aut in sessionibus suis

uti ac frui libere possint ac valeant: nec eatenus ullo sub exquisito colore inhibeantur, nec per Regnum Hungariae ullibi miserrimi etiam rustici, ac quocunque nomine tandem censendi, plebejae quoque conditionis homines Juris Dominalis, seu quovis alio sub praetextu in libero Religionis suae exercitio turbentur.

Sexto. Ut Augustanam vel Helveticam Confessionem amplectentes nomine Apostatarum nunquam imposterum exagitentur puniantur, aut ex Regno proscribantur; proscriptis vero reditus permittatur, pariformiter.

Septimo. Ut pro nunc vel saltem a condito Articulo XXX an. 1715 adempta Templa restituantur, ac si quae restitui non possent, liberum publicum exercitium, Ministrique intertentio concedatur. Non absimiliter

Octavo. Ubi hactenus in liberis et Regiis Civitatibus Ministris peragendis non patent, ibi admissio eorundem Magistratibus benignissime committatur ac studia et literas citra ullam restrictionem aut limitationem doceri permittatur.

Nono. Demum ut Magistratibus Civitatensibus, ut Opifices et Negotiatores etiam extraneos Evangelicos ad concivilitatis jura admittant, benignissime demandetur. Ad ultimum

Decimo. Ut omnes Templorum, Scholarum, Nosocomiorum, ac beneficiorum, quorumvis occupationes, ac Ministrorum, Nobilium, Civium, Subditorum persecutiones et afflictiones sub poena declarata in perpetuum cessent, atque taliter mutuae concordiae communisque tranquillitatis et utilitatis causa ad statum articularem reducantur et in eo conserventur. In eo vero casu si contra sensum Legum et praeter expectationem nostram ulterius quoque in praejudicium et aggravium nostri quaepiam evenerint et Sacratissimae Majestati Vestrae repraesentata fuerint, illa et talia ad consilium Regium Locumtenentiale Hungaricum, a quo hactenus nullum solatium, nullumque injuriarum remedium sumus consecuti, nec consecuturos nos esse speramus, quin potius contrarias opiniones et dispositiones sumus experti, neutiquam relegare: quin potius per consilium suum Aulicum clementer in conformitate praecitatarum Legum revideri curare ac consolatorio remedio nobis benigne succurrere dignetur, ita quidem ut si de casu repraesentato dubium quoddam exortum fuerit, ejusdem uberior inquisitio ac debita et circumstantialis superinde informatio per denominandas ex utraque Religione in conformitate Articuli XIV an. 1647 pari numero et capacitate personas repraesentetur, atque adeo praesentaneum injuriarum remedium in conformitate juris et justitiae subsequatur; denique ipsa etiam executio per Majestatem Vestram pro consolatione nostra resolvendorum, immediate ad Magistratus locorum dirigatur et iisdem committatur. Cum alioquin experti simus benignas quoque Resolutiones effectu destitutas mansisse.

Quo facto fidelis Populus curae et Protectioni Majestatis Vestrae

concreditus a tot et tantis querelis atque lamentis immunis et quietus manebit, nos vero omnem spem et fiduciam in eo, quod humiles preces et obsecrationes nostrae hac prima instantiae nostrae vice ad Thronum gratiarum Majestatis Vestrae Sacratissimae supplici de genu propositae utique locum sint habiturae, ponentes, et de consequenda hujusmodi consolatione alacres et spe tranquillioris permansionis pleni in aeternum obstringemur, ac hujusmodi clementiam et aequanimitatem Sacratissimae Majestatis Vestrae subjecto populo Evangelico depraedicare ac conjuncta et perpetua veneratione colere, imo vitam et sanguinem nostrum tanto ferventioribus animis, contra quosvis hostes consecrare in lucro ducemus. Prout etiam hac spe et fiducia pleni perpetuo perseverabimus et emoriemur

Majestatis Vestrae Sacratissimae

Humilimi perpetuoque fideles subditi
Augustanae et Helveticae Confessioni
addicti Evangelici in Hungaria existentes.

Repraesentaverat hocce Memoriale Abrahamus Vaji Posonii 1741 die XXVI Octobris.

§ III. *Resolutio ad Instantias.* — Facta est tandem ad Preces et varias Evangelicorum querelas Resolutio, quam consilium Locumtenentiale Regium per omnes Regni Comitatus et civitates sequenti forma publicari fecit:

Prudentes ac circumspecti Nobis honorandi!

Suae Sacrae Regiaeque Majestati a tempore suscepti Regiminis ad praesens usque variis tam Catholicam Religionem profitentium, quam et Augustanae et Helveticae Confessioni addictorum Regni hujus Hungariae Incolarum, querimoniis in pluribus idcirco exhibitis Memorialibus deductis demisse repraesentatis existentibus. Eadem summefata sua Regia Majestas tanquam communis Mater omnium fidelium subditorum, veluti Catholicis, ita etiam praenominatas Confessiones profitentibus Regnicolis, Regiam benignitatem, Maternumque suum affectum demonstrare, et a quibusvis injuriis liberos eosdem conservare benignissime cupiens clementer confirmat pientissimae memoriae Genitoris et immediati Praedecessoris sui desideratissimi benignam Resolutionem ad Acta commissionis Articularis in negotio Religionis habitae Anno 1731 impertitam et sub sexta Mensis Aprilis Anni ejusdem per Regnum publicatam [1], benignissimeque vult ut ita ambabus partibus Catholicis nempe et Acatholicis pro norma serviat, quam quoad Juramentum stricte observetur, ac in quantum ab eo tempore contraventiones quapiam factae fuissent seu quiscunque Regnicolarum prae allegatae benignae Resolutioni Regiae, privata autho-

---

(1 Superius Lib. IV. Cap. III. § 11.

ritate contravenire, et sive Catholicus Acatholicum, sive Acatholicus Catholicum eatenus turbare aut molestare attentasset, vel etiam imposterum attentaverit, desuperque privato nomine apud Altefatam suam Majestatem Regiam ac Regium hoc Locumtenentiale consilium instantia facta fuerit, re seu factis quorum intuitu gravamen et instantia ponitur, citra longiorem moram et non admissis eatenus ponendis impedimentis, fundate examinatis riteque discussis superinde conveniens et opportunum remedium pro supremo Regio munere suo realiter et effective decernere.

Quam in praemissis deductam alte memoratae suae Regiae Majestatis benignam Resolutionem ex speciali eoque benignissimo Regio jussu Civitatis hujus Magistratui pro ejusdem ac omnium et singulorum notitia et ulteriore directione hisce intimandum esse duxit Consilium istud Locumtenentiale Regium. Datum ex Consilio Regio Locumtenentiali Hungarico Posonii die XXIV Decembris An. 1742 celebrato.

Eorundem Benevoli comes Leopoldus de Nadasd, Georgius Fabianhovits, Andreas Moritz.

§ IV. *Mandatum de baptismo per obstetrices in casu necessitatis.* — Mandatum de Baptismo contra Principia Reformatorum eodem anno per omnes Regni Hungariae Comitatus et Civitates publicavit Consilium Locumtenentiale Regium, cujus copia ad Eperjesienses data est sequens:

Prudentes ac Circumspecti Nobis honorandi!

Helveticae Confessioni addictis Ministris in Regno hoc Hungariae, notanter in Dioecesi Quinqueecclesiensi per Dioecesanum debite et suo ordine visitatis inter alias eorundem pravas Doctrinas et id compertum est, quod iidem Ministri in Puncto Baptismi perversissimo et in plurimarum animarum interitu tendenti principio insistant: in nullo videlicet plane necessitatis casu, imo in ipso etiam proximae mortis discrimine, a nullo alio quam Praedicante infantes posse baptizari perverse asserentes, et nullatenus admittentes, insuper et id pertinaciter statuentes, quod infantes Sacro etiam fonte non renatos Deus aliter salvare possit. Baptismus enim quod solis Praedestinatis ad aeternam Salutem deserviat, et nec infantes nisi praedestinatos etiamsi in infantia decedant, salvet pari pertinacia statuentes.

Quae damnata principia cum novae haereseos indicia ac specimina trahant, in hocque perversissimo Dogmate, si iidem Praedicantes pertinaciter versari ulterius permitterentur, consequenter iidem obstetricibus in casu necessitatis Infantum Baptizationem ultronee interdicerent, plurimae animae in aeternum exitium praecipitarentur. Complurium itaque animarum salutis periculum cum subsit, Sacratissima sua Regia Majestas pro innata sibi pietate ac Apostolico munere, de congruo remedio prospicere pientissime cupiens hujus Regni Comitatibus ac Civitatibus serio ac districtim injungendum clementer commisit, ut tales Praedicantes ab

hujusmodi perverso et contra totius Christiani orbis Praxin ab immemorabili tempore, inter Catholicos pariter et Acatholicos, praecipue vero in Regno hoc Hungariae semper observatam introducto ac obstetricibus observari per dictos Praedicantes impie inculcato principio compulsivis etiam mediis retrahant, et ne quid simile imposterum dicti Praedicantes attentent sub gravi animadversione eosdem inhibeant. Obstetricibus vero in casibus necessitatis baptizandi licentiam singula civitas in gremio sui publicet. Neve obstetrices id quo facto omittant, aut a Praedicantibus idcirco impediantur sedulam vigilantiam gerat, contravenientes vero aut impedientes exemplariter puniat.

Hanc benignam suae Majestatis Regiae Resolutionem ac serium Mandatum Civitatis hujus Magistratui pro ejusdem debita observatione solenni item publicatione ac in contravenientes etiam statuenda exemplari animadversione, consilium hoc Regium Locumtenentiale praesentibus intimandum esse duxit. Datum ex Consilio Regis Locumtenentiali Posonii die XV mensis Septembris An. 1742. Eorundem Benevoli

Comes Leopoldus de Nadasd, Georgius Fabianhovits, Michael Domsits.

§ V. *Posonienses Decretale Jurament. deprecantur. — Decretali Juramento Evang. non obligantur.* — Excludebantur Protestantes ab officiis per indirectum, cum quilibet in Magistratum electus Juramento decretali adstringebatur, id est imponebatur illi necessitas jurandi per Beatam Virginem et omnes Sanctos; hoc cum adversaretur principiis Protestantium renuebant juramentum, atque ita etiam a gerendo removebantur officio. Illustrat hanc materiam Libellus supplex Posoniensium, ubi casum referunt huc facientem, ac insuper rationem reddunt cur Decretale recusent Juramentum.

SACRA REGIA MAJESTAS!

Domina, Domina naturaliter Clementissima!

Postquam excelsum Consilium Regium Locumtenentiale Magistratui hujus liberae ac Regiae Civitatis per Decretum suum die 5ta Mensis Januarii currentis emanatum serio demandasset ut in locum Josephi Klobusitzki rite ac legitime in Camerarium hujus Civitatis constituti, ubi idem Decretale Juramentum deponere recusaverit, alter constituatur, illico ad Majestatem Vestram Sacratissimam demisse recurrimus, fusius demonstrando, qualiter clementissima Genitoris Majestatis Vestrae Sacr. desideratissimi Resolutio Anno 1731 publicata in puncto Juramenti sit ea conditione donec aliud statuatur instructa, qualiter praeterea anno 1733 dignabatur idem Dominus Rex et Imperator aliud respectu nostri statuere et resolvere, qualiter demum nos in pacifico usu ultimae Reso-

lutionis Regiae semper fuerimus et sub Augusto Majestatis V. Sacr. regimine, eo magis quod Resolutiones desideratissimi Genitoris confirmare dignata sit porroque mansuros confidamus. Interim priusquam ad nostras humilimas preces oblatam Resolutionem obtinuissemus evenit quod in Magistratuali sessione die XI currentis mensis celebrata readsumpto ante fati Excelsi Consilii Regii Decreto, non obstante eo quod prior Camerarius non tantum rite candidatus et tempore consueto electus, sed etiam jam adjuratis et in functione officii positus fuerit, consequenter alter absque praejudicio et laesione Privilegiorum immunitatum et consuetudinum civilium in consueto tempore eligi et constitui non potuerit, non obstante item eo, quod materia hac jam ad Thronum Majestatis Vestr. Sacrat. per demissum Memoriale delata, abinde praestolandum fuisset. Contra reclamationem nostram et ad Majestatem Vestram Sacr. factam provocationem per cives pure Catholicos inconsueto et solito tempore et termino Josephus utpote Finatzi constitutus et cassa etiam Civitatis actutum ipsi adsignata fuerit.

Clementissima Domina! hic casus nos eo altius ferit, quo periculosiores consequentias praevidemus et instantia mala, continuae afflictiones, persecutiones et finale nostri exterminium luculentius prae oculis versantur. Si enim haec cum Camerario extra tempus consuetum, citra scitum et benignum assensum Majestatis Vestrae Sacratissimae contigerunt, quid continget consueto tempore restaurationis, ubi juxta alternationem hucusque in civitate hac a memoria hominum practicatam ex parte Evangelicorum Judex, Senatores, Centumviri et alii subalterni officiales erunt constituendi et adjurandi? Quid eveniet filiis nostris jus civitatis adire, nec hoc titulo jurare volentibus, scil. nostri ab omnibus officiis, filiorum autem nostrorum a jure etiam civitatis exclusio, ab exercitio opificiorum (quae hucusque pro promovendo Principis servitio et pro vita sustentanda didicerunt) amotio, hincque secutura calamitas, servitus et vita ipsa morte acerbior.

Obvertitur quidem nobis: haec volentibus obventura cum Decretale Juramentum deponere detrectamus? Sed adhuc Divo Imperatore et Rege Carolo in vivis agente abunde ex parte nostra demonstratum est quod licet nos B. Virginem Mariam tanquam Matrem Dei et inter omnes mulieres benedictam omni excogitabili modo post Deum, veneremur, omnesque Sanctos tanquam amicos Dei honoremus, Juramentum tamen per B. Virginem et omnes Sanctos deponere nec salvis nostris dogmatibus possumus nec de lege obligamur.

Non possumus: quia credimus Juramentum esse adorationem qua Deum tanquam scrutatorem cordium et renum inveritatis sub juramento edendae testem, etsi cor ab ore dissentit severum vindicem invocamus. Cum autem cor scrutari et in corde conceptum facinus punire

unice omniscientiae et omnipotentiae Divinae atttribuamus, hoc igitur Divinitatis attributum alteri attribuere salvis Religionis nostrae dogmatibus et principiis non possumus. Praesertim cum per creaturas jurare non tantum Sacro codice sed etiam Concilio Carthaginensi quarto Canone LXI severe prohibitum esset.

Non tenemur: nam quamvis alia etiam formula ad Fidem Deo et Fidelitatem Regi debitam jurare consuetum fuisse Decretum Regni signanter Titulo XL Part. 2dae meminit, sed si etiam nulla alia, quam quae a nobis praestanda praetenditur Juramenti formula reperiretur, adhuc tamen nos non ligat, quia quando est Religio nostra, consequenter dogma ejus Legibus Regni recepta, tandem haec formula etiam tanquam dogmatibus nostris contraria respectu nostri sublata exstitit. Nam quemadmodum duo contraria simul stare non possunt, ita Religio et dogma nostrum recipi, et simul etiam illud quod dogma nostrum in fundamento vitiat retineri non potuit. Potissimum cum praeter generales Regni Leges et Diplomata Religionem nostram in Regnum recipientia specialis etiam Lex Articulus utpote XXVI anni 1681 per expressum probibeat: Ne Evangelici ad cerimonias suae Religioni Contrarias adigantur; si ergo ad cerimonias adigi non possunt, quomodo adigi possunt ad actus edendos Dogmatibus et Religioni suae contrarios. Et hinc est quod summe fatus gloriosissimae memoriae Genitor Majestatis Vestrae Sacratissimae pondere hujusmodi Rationum commotus, et in priori humilima instantia nostra productam in Anno 1733 dederit Resolutionem, qua mediante conscientis nostriis in casu deponendi Juramenti provisum, et Legibus etiam Regni, vi quarum ad officia applicati sumus consuetum exstitit.

Cum autem etiam de materno Sacrat. Majestatis Vest. erga nos affectu illam indubiam spem conceperimus quod nos et posteritatem nostram a praedeclaratis periculosis consequentiis sit clementissime praeservatura, ideo in his nostris angustiis finale exterminium nostri minitantibus ad pedes Majestatis Vest. Sacratiss. humilime provolvimur et per Misericordiam Dei demisse supplicamus, dignetur clementissime cordi sumere, quod in usu modo Religioni nostrae conformi jurandi non privata auctoritate, sed ab antiquo et penes benignissimam Carolinam Dispositionem, Resolutionemque perstiterimus. Quodve Majestas Vest. Sacr. eandem Resolutionem in benignissimis suis circularibus ideo sustulerit. Quod praeterea degradatio Josephi Klobusitzki sit ipso non audito facta, Augustanae Confessioni addictis contradicentibus, ac ad Majestatem Vestr. Sacrat. demisse provocantibus, imo facta est absque voto Consulis, Senatorum et civium Evangelicorum, inconsueto tempore, adeoque contra jura et consuetudines civitatis, imo facta est contra benigniss. Vestr. Majestatis Resolutionem similes casus supremae Regiae auctoritati reservantem. Dignetur denique Majestas Vestr. Sacrat. novissime publicatam Resolutionis paternae anno

1731 emanatae confirmationem etiam ad subsequentes signanter respectu Juramenti per Protestantes deponendi anno 1733, extradatam Caesareo-Regiam Resolutionem extendere et in Tesseram hujus Clementiae Regiae praefatum Camerarium Nostrum Josephum Klobusitzki in functionem officii restituendum benigne committere, hocque modo nos et posteritatem nostram sub alis clementiae suae conservare. Pro hac materna clementia Deus ex altis benedicet Majestati Vest. Sacrat. Nos autem cum Posteritate nostra emoriemur.

Majestatis Vestrae Sacratissimae

Humilimi, perpetuoque fideles subditi, Consul, Senatores, Centumviri, Camerarius et reliqui Cives Posonienses Evangelici.

§ VI. *Studiosi ex Academiis revocantur.* — Mandatum prodiit ex Consilio Locumtenentiali die XI Januarii an. 1743 ne quispiam Regnicolarum extra haereditarias Regiae Majestatis provincias proficiscatur, nisi prius rationes et motiva intentionis apud Consilium Locumtenentiale insinuaverit, et ponderatis ejus rationibus Regiae Majestati recommandatis veniam impetraverit abeundi; qui vero actu in exteris essent oris intra semestre spatium sub gravissima animadversione revocarentur a suis necessariis. Revocati igitur sunt Juvenes studiorum causa in Academiis Belgicis et Germanicis commorantes singuli, ne Regiorum Mandatorum contemptores haberentur, indignationemque Regium incurrerent. Ab hoc tempore Helveticae et Augustanae Confessioni addictorum Juventus, propter culturam ingenii exteras provincias adire cupiens munire se debet Passualibus ex Cancellaria Aulica penes taxam impetratis.

§ VII. Varia hac aetate acciderunt, quae vehementer gravarent Ecclesias Helveticae et Augustanae Confessioni addictas. Multis in locis Templa via facti non juris occupabantur simul cum proventibus, Ministri amovebantur, et Sacerdotes Catholici obtrudebantur, acceptare nolentes variis minis et vexationibus impellebantur. Casus acciderat sequens in Osgyán: grassante ibidem lue pestifera Pastor Ecclesiae Augustanae Confessioni addictae e vivorum numero sublatus est, cui successor obtrudebatur Romano-Catholicus, renuentes Evangelici acceptare a Fiscali Comitatus in jus vocati veluti Regii Mandati non observatores. Defendebat causam Osgyaniensium Stephanus Bornemiszsza velut advocatus, qui visus est inconvenienter quaedam allegare Judicibus Romano-Catholicis, unde a munere Advocati suspensus et per Fiscalem ipse quoque evocatus. Per circulares Consilii Locumtenentialis die VII Januarii anno 1744 emanatas publicabatur. Nemo non videt quo factum istud adversus Stephanum Bornemiszsza Advocatum tenderet; videlicet ut Advocatis in

defendendis Evangelicorum causis terror injiceretur. Tandem Stephano Bornemiszsza munus Advocati Regia auctoritate redditum est, honorique suo restitutus.

§ VIII. *Resolutio de Oratoriis reparandis.* — Non tantum occupabantur Templa variis in locis, sed etiam oratoria vetustate collapsa ne reparentur severe interdicebatur. Fatigata tandem Regia Majestas innumeris Protestantium Querelis libertatem oratoria reparandi concessit et circumscripsit. Quam Consilium Locumtenentiale Regium per totum Regnum Hungariae publicavit, ad Szathmarienses sequenti forma pervenit:

Prudentes ac circumspecti Nobis honorandi!

Ad plures jam interventas Acatholicorum in eo, quod ipsis oratoria sua reparari non admittantur Querimonias Sacra sua Regia Majestas sub XXI praeteriti mensis Junii benigne resolvit quatenus Acatholicis in locis illis, ubi nimirum Confessionis suae exercitium publicum sibi admissum habent, summe necessaria oratoriorum suorum reparatio admittatur quidem, ita tamen ut praevie per Magistratum revideatur, et cognoscatur, sicque non secus quam juxta priorem formam et extensionem concedatur, et fiat, ubi vero prioris oratorii cujuspiam extensione, vel novi alicujus structura opus habuerint, talis modi Acatholici pro obtinendo eatenus Regio indultu et benigna concessione apud suam Sacram Regiam Majestatem supplicare teneantur in casu contrario gravissimam animadversionem et ejusmodi structurae demolitionem subituri.

Quae benigna suae Majestatis Regiae Resolutio Civitatis hujus Magistratui pro sui directione et fine etiam eo intimatur, quatenus eandem ad notitiam Acatholicorum in gremio sui existentium suae Confessionis publicum exercitium sibi admissum habentium fine debitae observationis suo modo publicare, ac in eo, ne eidem quo facto contraveniatur sedulam vigilantiam gerere noverit. Datum ex consilio Regio L. Posonii die XXVIII Julii Anno 1745 celebrato. Eorundem Benevoli

Com. Leopoldus de Nadasd, Georgius Fabianhovits, Michael Domsits.

§ IX. Visitationes in ecclesiis Augustanae et Helveticae Confessioni addictis institutae penes Mandatum Regium per Episcopos Romano-Catholicos eorumque Praepositos et Archi-Diaconos. Visitatio secundum tenorem Mandati debuit institui solummodo de Baptismo, verba enim Mandati illa sunt: Augustanae vero aut Helveticae Confessioni addicti, et signanter horum Ministri in hoc duntaxat: Num iidem suos rite baptizent, seu ad valide baptizandum sufficienter sint instructi? Ast vero extensa est ad alias etiam causas Ecclesiasticas, quarum revisionem ac discussionem sibi vendicabant. Manifestum hoc est ex Literis Baronis Alexandri Barkotzi Generalis Vicarii Colocensis anno 1748 die XXIV Februarii ad communitatem Posses-

sionis Bogyiszlo datis, ubi dissensionis inter Ministrum Reformatum et Ecclesiam ejusdem discussionem sibi vendicabat, minasque intentabat, quare revisionem intervenientis differentiae ad suae professionis detulerint Seniores. Episcopus Weszprimiensis vero Martinus Birò de Padány ordinationem a se factam die XX Julii an. 1748 in Dioecesibus sibi subjectis sub poena severae animadversionis publicavit, ordinatio autem fuit haec: Ut venerabile Sacramentum Corporis Christi ad aegrotos in plateis ardentibus facibus deportaretur, quod cujuscunque Religionis homines in plateis vel vero domibus obvii, cernui adorarent.

§ X. *Superintendentes prohibentur a Visitatione.* — Interdicta est etiam Helveticae et Augustanae Confessionis Superintendentibus Ecclesiarum Visitatio, publicatumque est in Comitatibus et Civitatibus Mandatum:

Illustrissimi Reverendissimi etc.!

Quantumvis activitas Muneris Superintendentum Acatholicorum in benigna Resolutione Regia anno 1731 emanata circumscripta jam habeatur, sua Sacra Caesareo-Regia Majestas nihilominus ex superabundanti eosdem Superintendentes medio Comitatuum in quibus hi degunt, sub gravi animadversione inhibendos clementer ordinat, ne iidem in posterum quaspiam generales visitationes contribuenti plebi onerosas, et aliunde ipsis tantummodo Dioecesanis et eorum subalternis competentes, quasve nec ipsi Dioecesani absque praevia insinuatione et benigno assensu ac mandato Regio eatenus expedire solito instituere valent, peragere praesumant. Verum ad tenorem saltem praedenotatae in anno 1731 emanatae benignae Resolutionis Regiae moribus sibi subjectorum Ministrorum invigilent, et in excessivos condigne animadvertant; cui activitati et obligationi suae satisfacere poterunt ita, ut si ab uno vel altero Ministro seu Praedicante quempiam excessum contra bonos mores commissum haberi inaudiverint, talem excessivum in praesentiam sui vocent, aut necessitate ferente privative eo excurrant, et re investigata pro demeritis condigne puniant.

Quam benignam Altefatae suae Majestatis Caesareo-Regiae ulteriorem Resolutionem praetitulatis Dominationibus Vestris pro debita ex parte etiam sua observatione et in quantum in gremio Comitatus istius quispiam Superintendentum Augustanae vel Helveticae Confessionis degeret, eosdem praemissa modalitate inhibendo, hisce intimandum esse duxit Consilium Regium Locumtenentiale. Datum ex Consilio Regio Locumtenentiali Posonii die X Maji anno 1748 celebrato.

Praetitulatarum Dominationum Vestrarum
ad officia paratissimi Com. Josephus Illyesházi,
Georgius Fabianhovits, Andreas Moritz.

§ XI. *Episcopus Agriensis visitat.* — Ingenti splendore, nec minore strepitu Visitationes Ecclesiarum in aliquot Comitatibus Reformatarum anno 1748 perfecit Comes Franciscus Barkotzi, Episcopus Agriensis. Copia

Literarum quibus Ministros Helveticae Confessioni addictos in Tractu Szathmariensi convocavit est ista:

Dilecti Filii! Veni faventibus Superis ad oras istas ut Visitationem in iis Canonicam peragerem. Hac occasione etiam Ministri Acatholici, de his praesertim quae ad sacramenta Baptismi spectant, tum de praecepto Legis, tum de recenti suae Majestatis Sacratissimae Mandato interrogari debent, ut ad singula ubi tales Ministri degunt Loca excurram ratio circumstantiarum non admittit. Muneri tamen meo satisfacere, Regiisque Mandatis parere et debeo et volo. Igitur opus est, ut dum ego ad Dominationes vestras singillatim venire nequeo, eaedem ad me N. Bányam pro die XVIII mensis currentis praemissum in finem indubie concurrant. Quibus in reliquo omnem gratiae Divinae affluxum precatus persevero.

Dominationum Vestrarum verus Pater

N. Karoly IX Junii 1748 — Franciscus Episcopus Agriensis Com. Barkotzi.

Puncta visitatoria eadem fere fuerunt, quae superius[1]) descripta sunt, nisi quaedam adhuc sunt addita, de Templi fabrica, vetustate, Patrono, Proventibus Ecclesiae, Campanili et Campanae antiquitate et similibus. In discursu modo paterne modo Episcopali gravitate Ministros tractavit, variasque in eos invectivas formavit. Libertatem Religionis ejusque exercitii non a Diplomatibus Regiis, nec Articulis Regni, sed a duabus vocibus adhuc tolleratur dependere, subinde inculcavit. Cetera.

§ XII. *Mandatum de Apostatis investigandis.* — Qui ex Romano-Catholicis Helveticae aut Augustanae Confessioni addictorum Sacris accedebant, abominando Apostatarum titulo insigniebantur. Ne id facerent ulli severe prohibitum, qui fecerunt mediante inquisitione erant perquirendi et in pristinam Confessionem retrahendi. Mandatum de hoc ex Consilio Regio Locumtenentiali divulgatum:

Illustrissimi Reverendissimi etc.

Sacra sua Caesareo-Regia Majestas in hoc Hungariae Regno inter reliquos Acatholicorum excessus apostasiae quoque crimen in dies magis et magis invalescere displicenter sane observans, pro hujusmodi criminis apostatarum omnimoda in posterum anteversione, atque in hoc crimen incidentium rursus ad veram fidem reductione, et signanter circa instituendum contra ejusmodi crimine implicitos processum, sequentia exactius deinceps observanda, sub secunda hujus benigne resolvit. Et quidem

Primo. Ut habita fundata delatione, vel graviori suspicione Magistratui Jurisdictionato facta, quod quis a fide Catholica ad Augustanam vel Helveticam Confessionem desciverit, ac testibus idoneis per Fiscalem statuendis aut denominandis legali methodo, habitaque ad aggravantes

[1]) Cap. III § V.

in subjungenda forma examinis expressas circumstantias reflexione examinatis. Nobiles penes communicationem Inquisitionis, aliorumque si quae sint documentorum pro competenti termino, ignobiles vero juxta praxin consuetam ad personaliter comparendum citentur. Atque ubi metus profugii aut alia ratio ignobilium comprehensionem suaderet, comprehendi quidem possint, verum si sufficientem fidejussionem pro se statuerint, usque revisionem causae, seu finalem suae Majestatis Caesareo-Regiae Resolutionem ex aresto dimitti debent.

Secundo. Adveniente termino Processus secundum omnes formalitates, de lege et praxi Regni praescriptas debito Juris ordine instituantur, ita ut relictis sub defluxu ignobilibus quidem pure in merito, Nobilibus vero etiam quoad formalitates defensae mediis idem summarie, hoc est, quo celerius et exactius revideatur.

Tertio. Ut realitas, qualitasque delicti tanto solidius cognosci queat, Magistratus in figura Judicii pro recepto more examen rei instituet, eumque si opus fuerit, sub tali examine cum statutis testibus confrontabit.

Puncta vero Examinis haec erunt:

Primum. Utrum a Parentibus Catholicis vel Acatholicis natus?

Secundum. An Catholicus fuerit ab infantia vel conversus?

Tertium. Quando, ubi cujus consilio, quibus ex motivis apostataverit, et quot tunc annorum fuerit?

Quartum. An non solennem Fidei professionem elicuerit?

Quintum. An non aliquando et quoties fidem Catholicam se servaturum juramento firmaverit?

Sextum. An non suas vel conjugis, aut aliorum proles in sua potestate constitutas data opera ad Scholas Acatholicas transtulerit? vel alium et quem modum adhibuerit, ut luminis verae fidei impedimentum iisdem ponere potuerit?

Septimum. An alios et quos, ubi, quando, quibus consiliis et motivis ad apostasiam pertraxerit?

Octavum. Quoties apostataverit?

Quarto: Delicto, ejusque gravitate secundum circumstantias legaliter cognitis, sententia infligendae poenae pro comperto ferenda, eademque cum tota Processus serie, universisque actis ante pronunciationem et executionem, Consilio huic Regio Locumtenentiali, ab hinc vero cum voto, et opinione suae Majestati Caesareo-Regiae repraesentanda veniet, ita ut ignobiles, nisi fidejussores habeant illico post latam sententiam inarestentur. Ac interea uti etiam deflui Processus tempore per Parochum loci, aut alias ecclesiasticas, religiosasve personas exclusis ab eorum consortio aut accessu Praedicantibus, omnibusque adversae Religionis homi-

nibus, et vel maxime iis, in quos metus seductionis cadere potest, verae fidei principiis imbuantur.

Quinto. Dictandae vero poenae hic modus erit: Ut si nobiles aut ignobiles, sive Latini sive Graeci ritus unitorum apostasia convinci contingat, iis pro praeterito, seu talibus apostatis, qui usque praesentem benignam suae Majestatis Caesareo-Regiae Resolutionem a fide desciverant, poena annui carceris, biennii vero si iteratis vicibus apostataverint, utrobique cum duorum dierum jejunii, Mercurii nempe et Veneris in pane et aqua statuatur.

Quod si autem ad frugem redire noluerint, expleto hoc carceris tempore, liberi dimittantur. Pro futuro porro hoc est. Post hanc suae Majestatis Caesareo-Regiae Resolutionem in apostasiam lapsi si incarcerati etiam non resipiscant, nobiles quidem graviori pecuniae mulctae facultatibus ipsorum commensurandae subjicientur. Ignobiles vero vel ad publica opera per plures annos perficienda vel exilium condemnabuntur.

Sexto. Ad haec: Acatholici alios quacunque arte ad apostasiam seducentes, communi cum Apostatis simplicibus poena, sub poena tamen inter nobiles et ignobiles posita classificatione, plectentur. Minorennes vero, quacunque ratione a fide Catholica deficientes magistratualiter comprehendi et ad locum quempiam idoneum, uti sunt Religiosi, Conventus, Seminaria, vel aliae pro juventute destinatae Fundationes, pro studiis, si capaces applicandi, et in rudimentis fidei instruendi, affabiliterque tractandi erunt. Qui si usque legitimam aetatem non resipuerint, id Consilio huic Regio Locumtenentiali, abhinc vero suae Majestati Caesareo-Regiae repraesentabitur. Qui autem studiorum incapaces erunt, tales praevie in fide bene instructi, eandemque denuo amplexi, ad opificia vel alia servitia, non tamen Acatholicorum, cum quibus quantum fieri potest omnis conversatio praecavenda accommodabuntur, eorumque cura a Magistratu specialiter habenda.

Septimo. Ut orphani in fide Catholica educentur, Magistratus Jurisdictionati, non minus quam Dioecesani et horum Parochi sedulo curabunt. Et praeterea etiam tam in resciendis ac denominandis apostatis, quam instituendo contra ejusmodi rescitos et denunciatos Processu, ut muneri et obligationi suae sub onere strictae de neglectu reddendae rationis satisfaciant altefata sua Majestas serio demandat.

Octavo. Ut Parentes Catholici sub gravissima animadversione a mittendis ad Acatholicorum Scholas prolibus, Ludimagistris vero Acatholicorum sub mulcta duodecim florenorum in illis desumenda et in casu ulterioris contraventionis duplicanda, a recipiendis ejusmodi Catholicis prolibus magistratualiter inhibeantur.

Nono. Ut in locis ubi necessitas postulat, Parochiae, harumque Ministri seu Parochi Catholici instituantur. Et si Acatholicorum Ministros

ultra loca mansionum suarum excurrere, aut in Jurisdictionem Catholicorum Parochorum involare, hosque turbari contigerit, talismodi contradictiones suae Majestati Caesareo-Regiae, medio hujus consilii Regii Locumtenentialis illico repraesententur. Ac demum Magistratus quoque sedulo invigilent, ne Ludimagistri et Notarii Acatholicorum in locis ubi Ministri seu Praedicantes non habentur, sub amissione officii populo conciones faciant, aut Postillas praelegant, neve Domini Terrestres Acatholici exercitium suae Confessionis hujus extraneos ad sua oratoria admittant, aut ipsorum Praedicantes ad alias Domus excurrant serio pariter inhibendi.

Quae benigna suae Majestatis Caesareo-Regiae Resolutio, praetitulatis Dominationibus Vestris Praesentibus finem in eum intimatur, quatenus in ordine ad illius debitam observationem, et effectuationem, quasvis necessarias dispositiones mox facere. Praecipue autem in quosvis in gremio hujus comitatus reperibiles apostatas strictius inquirere. Contra inquisitos et rescitos aut denunciatos juxta praevio modo praescriptam methodum debite procedere. Nec secus quoad reliquorum praerecensitorum observationem, monendos et in praemissis inhibendos quoque illico et serio monere atque inhibere. Et in quantum pro nonnullorum praemissorum exactiori effectuatione et observatione Dioecesanorum cointelligentia et concursus praerequirerentur, in illis semet cum his cointelligenter habere et effectuanda hoc modo quoque exactius effectuare. Denique omnia quae ad praemissorum exactiorem effectum opportuna videbuntur, media talia pro re nata modalitatibus praescriptis adhibere, et pro munere suo Magistratuali eatenus sibi incumbentia agere, et curanda solerter curare, ac de effectu Consilium istud Regium de tempore in tempus et de casu in casum semper informare noverint, nec intermittant, secus vero et in casu cujuspiam neglectus strictam eatenus rationem, uti jam expositum est semet reddituras sciant praetitulatae Dominationes Vestrae. Datum ex Consilio Regio L. Posonii XVII Januarii Anno D. 1749 Eorundem Benevoli

Comes Josephus Illesbazi, Georgius Fabianhovits,
Michaël Domsits.

§ XIII. *Jaurinenses a cultu Sacro prohibentur.* — Florentissimam habuerunt Ecclesiam Jaurini tam Augustanae quam Helveticae Confessioni addicti, scholasque sic satis celebres inde a prima in Hungaria Reformatione. Anno 1749 liberum utriusque Confessionis exercitium abrogatum. Ministri Ecclesiarum et scholarum amoti civesque a cultu publico prorsus prohibiti, et oratoria in alium usum sunt conversa. Consilii Locumtenentialis Regii Mandatum de Jaurinensibus est istud.

Sacra sua Caesareo-Regia Majestas super Acatholicorum Jaurinensium tam videlicet Augustanae, quam Helveticae Confessioni addictorum publici

suae Religionis exercitii ad praesens ibidem in suburbio incompetenter usurpati, ejusque accessoriorum qualitate genuine informata sub decima hujus benigne resolvit: Ut publicum tam Augustanae quam Helveticae Confessionum exercitium in civitate hac Jaurinensi hactenus incompetenter continuatum cassetur et abrogetur, consequenter ipsorum etiam utriusque Confessionis Acatholicorum Ministri (nisi privatam vitam ibidem ducere velint) cum reliquis oratoriorum et Scholarum subministris inde amoveantur. Fundi vero oratoriorum et Scholarum et Domorum, Ministrorum, aliorumque subministrorum et scholae Rectorum, velut alioquin civiles et publicis oneribus obnoxii, cum aedificiis desuper suis expensis exstructi per civitatem hanc erga condignam aestimationem, pretiique eorundem exsolutionem redimantur etc. Datum ex Consilio Regio L. Posonii die XIV Martii 1749 celebrato. Comes Josephus Illeshazi, Georgius Fabianhovits, Michael Domsits.

§ XIV. *Instantia Evangelicorum ad Regiam Majestatem.* — Cum afflictiones Protestantibus aliae ex aliis nascerentur, modusque et finis molestiarum respectu Religionis nullus esset, non tantum oratoria occuparentur, Ministri ab exercendis ministerii actibus variis in locis prohiberentur; sed etiam plurimi ad Sacras Sedes aut alia Dicasteria evocarentur quasi olim Catholici facti, aut a Catholicis Parentibus nati, multasque subierant vexationes, coacti sunt rursus medelam medio Supplicis Libelli a Regia Majestate quaerere; exposuerunt igitur sequenti Instantia suas oppressiones anno 1749.

Sacratissima Caesareo-Regia Majestas!

Domina Domina nobis naturaliter Clementissima!

A tempore coepti gloriosissimi Majestatis Vestrae Sacratissimae Regiminis de genu exhibitas humilimas Instantias et supplices Repraesentationes nostras cum uberioribus motivis et rationibus deductas dum recenti memoria revolvimus ac nihilominus contra tot et tanta jam ante hac exposita Gravamina, occupationes quippe, restrictiones et afflictiones et praejudicia, neutiquam desideratum remedium adferri, verum sortem nostram tam in communi, quam etiam quoad singulos considerando, in dies afflictiorem reddi videmus, ad eam consternationem et perturbationem animorum redigimur, ut quid amplius repraesentandum, quibusve modis et rationibus remedium a Majestate Vestra Sacratissima implorandum, ac ad minus tranquillae nostrae qui magnam Regni partem constituimus permansioni apud altetitulatam Majestatem Vestram consulendum et providendum sit, inopes nos consilii haerere in ipso statim accessu reiterati supplicis nostri Recursus deprecabundi profiteri debeamus. Sane angimur et multum soliciti sumus, ne dum adductis debitis motivis tanto magis Regiam Clementiam exorare et afferendum necessarium remedium exo-

perari contendimus, quidpiam ita adsumatur, ut indignationem potius, vel aversionem Regiam causasse et mereri censeamur.

Quia vero dictamen ipsius conscientiae pro cujus libertate apud Reginam et Dominam nostram supplices agimus, a nobis exigit, ne in hac parte, qua ipsa vita, omnibusque aliis praerogativis et libertatibus charior est, nobis desimus, curamque et solicitudinem ulterius prosequendarum penes constitutiones Regni interpositarum Instantiarum nostrarum intermittamus, dum suprema hac necessitate adacti ultra rationes, et ex iis deductas supplicationes, praeattactis prioribus Instantiis comprehensas, ea, qua praeterea ad flectendam erga nos Regiam Clementiam magnum momentum additura existimamus, ad Thronum Majestatis Vestrae Sacratissimae proferre, et in benignam Regiam Considerationem humilima petita nostra, aequitate eorum, qua supplices petimus, remonstrata, tanto magis commendata reddere in animis nostris decrevimus, nunquam id alio, quam fidelibus subditis convenienti modo, cum profundissima homagiali submissione, et quam in afflicto etiam nostro statu deponere piaculum ducimus, erga communem Dominam Reginam, ac totius divinitus sibi concrediti populi Matrem, in illa, inquam, quam retinemus fiducia facere nos et sequentia proponere declaramus.

Augustissima et Clementissima Domina! Status Europaeus et orbis Christianus, in quo cum dulci Patria nostra positi sumus, quod in negotio Religionis, ac certis Articulis fidei, cultusque Divini, divisus sit, ac in partes diversas iverit, vel commemorare sufficit, cum res ipsa cuique nota sit. Notum et id, quod Augustanae et Helveticae Confessiones per integros populos, Ditiones, Regna, imi et summi status homines, imo ipsos regnantes Principes, et coronata etiam capita, in Christianitate recepta sit, ideoque vel ex hac sola ratione, etiam si usu ipso inducta, non vero publicis Regni constitutionibus admissa et stabilita esset Religionis et conscientiarum libertas, nos Regnicolae, instar sectae alicujus damnatae et prohibitae, vel particularis coetus, Christianum consortium et civilem societatem turbantis censeri non possemus cum insuper et de doctrina et de vita, ac moribus neutiquam supremis potestatibus, et subalteris Magistratibus, per consequensque civili societati, et ejusdem Regimini, ulla in parte contrariis, sed tanto magis et strictioris, quam in Christianitate olim inculcabatur, quibus adducti sumus subjectionem a Deo ordinatis Potestatibus praestandam exigere, imo quaevis etiam adversa, si irrogentur, ferenda esse, ex verbo Divino adstruere et praecipere palam sit. Neque nova sit Religionum nostrarum in hoc Regnum inductio, sed multis jam praeteritis aetatibus, plus quam in medietate per Regnicolas et populum libere recepta, ideoque amplius tanquam occulte et in angulis subsistens considerari et pro vetita haberi nequit.

Factum hoc olim fuit, humanisque Consiliis et viribus omnimode

prohibitum. O! utinam vero nec tristis memoria eorum superesset, quae dum obtentu Religionis, et ejusdem, quam quis in animo suo agnovit, sive aliis praetulit veritatis ad invicem Christiani dissident, superioribus aetatibus non in hoc Regno tantum, sed et alibi pro et contra egerunt, pia Deo dedita, illique mansuetudini, et charitati, quae omnibus veris Christianis propria, primaque et praecipua esse debet, addicta corda ad memoriam etiam praeteritorum, quae sit humani affectus in Divinis imbecillitas, sub specie et opinione promovendi recti et Deo grati operis ad ea, quae non modo jure Divino, sed et jure ipsius naturae ac societatis humanae testanda sunt, quam primum praeter ordinationem divinam, alia media et consilia adhibet prolabentis. Quid enim pietati et sanctimoniae Religioni Christianae convenienti imo eidem proprie magis consentaneum esse potest, quam ut Christiani obtentu veritatis dissidentes vel zelantes unum alium non ferant et loco charitatis, quae proximo cuique, uno cuivis homini ab homine debetur, odio concepto, nec quiete vivere, et in libertate conscientiarum Deum colere, semet invicem permittant? Imo afflictionibus, aerumnis, et periculis variis modis intentatis, nisi vim conscientiis suis coacti inferant, perditos potius, quam salvos esse velint? At qui externa vis, et coactiva media, sub quacunque tandem specie adhibeantur, tametsi hominem adficiunt, mentem tamen et conscientiam non convincunt, soli generis humani conditori, et reparatae salutis authori Deo alias visum est, dum veri Dei agnitionem et cultum, nempe Religionem Christianam, nulla addita vi, et potentia mediante propagandam ordinavit, sed inermes et omni humano destitutos praesidio Divini verbi Precones misit in Mundum universum. Hoc modo nempe praedicatione verbi Divini, et salvifica Doctrina, religio Christiana coepta, propagata in animis hominum radicata, et cordibus recepta fide implantata est. Si hoc institutum Divinum fuit circa Gentes extra omnem cognitionem veri Dei positas, tanto magis inter Christianos externa vi, et adactivis mediis dissensiones in articulis fidei sufferri non possunt, cum agnitio et fides, non aliis modis, quam praecellentibus et conscientiam stringentibus ex oeconomia salutis divinibus instituta depromptis argumentis: ac remonstrationibus, animus hominum indi, et implantari queat, coactivis vero mediis conscientiae captivari, et sub obsequium fidei, qualis in contrarium asseritur, externa vi nusquam adduci possunt. Quantum enim Religionem et cultum Divinum attinet, nisi ex fide et vero animi affectu fiat; irreligiosus potius actus est, neque a principiis, et articulis fidei, prout quis credit et in quibus conscientiam quietavit, extrinsecis hanc vitam tangentibus modis, vel mediis, sive gratis sive ingratis dimoveri ita potest, ut illud quod non credit, intrinsece sentiat, alta potius mente ex fide Christiana tenet, et fixum habet plus Deo tribuendum esse, quam hominibus, plus item conscientiae, quam ulli respectui humano,

vel potestati, agnovit hoc major pars Christianitatis ac ad exemplum S. Romani Imperii inclytum Regnum Hungariae, dum admissa conscientiarum libertate Augustanam et Helveticam Confessionis non modo tunc eisdem adhaerentibus, sed omnibus acceptare volentibus sequi concessum, et ut iisdem addicti nullatenus turbentur et impediantur, statuum Regni et Regiarum Majestatum consensu, toties sancitum, publicaque omnibus pax, et tranquillitas, ac sine discrimine Religionis observanda, civilis aequalitas inducta fuit.

Et in genere quidem liberum Religionis exercitium per Regnum Hungariae ita concessum, quod nunquam et nusquam turbari deberet.

Fundatur primum in Articulo primo Anno 1606 Pacificationis Viennensis, item Articulo 1, 1608 ante Coronationem, item Ferdinandi Secundi Diplom. an. 1622 artic. 2, Conditione 6, item artic. 22, 1625, item art. 33, 1630 et artic. 29, 1639.

Idem Ferdinandi Tertii Diploma 1638 art. 1. cond. 6. Item Diploma ejusdem 2, 1647 art. 5. cond. 1, 2, 3, 4, 5 et 6, item art. 6, 7, 8, 10, 11, 12, 13 et 14 anni ejusdem 9 et 19, in specie vero quoad loca in iisdem designata. Hi autem praerecensiti articuli omnes confirmantur, denuo per Articul. 18 an. 1655.

Fundatur demum haec libertas Religionis in Diplomate Leopoldi anno 1659 art. 1. condit. 6. Item artic. 25 et 26, 1681 qui confirmatur per per Articul. 21 anni 1687.

Et vicissim horum renovatio et confirmatio continetur in Articulo 30, 1715 quae confirmatio naturaliter ad tenores priorum, quas pro uberiori quoque norma ponit, et stabilit constitutionum, referenda est. Et tametsi praeterea ex gratia et clementia Regia adhuc futura praeattactorum 1681 et 1687 articulorum in suo genuino sensu confirmatio per Regiam Majestatem oblata inserta sit, communi tamen Regis et Regni facto, commissariis Regiis et Regnicolaribus ex omnibus Religionibus deputatis omnia ad articularem sensum deponenda et manutenenda esse non attenda quorumvis contradictione, benignissime resolutum, et sancitum est.

Tandem generalis omnium libertatum et Legum est confirmatio Artic. 3, 1723 secuta, sicut ad totum Regnum, ita etiam ad omnes Regnicolares refertur, quae quibus diserviunt et competunt.

Civilis demum aequalitas, quod quaelibet officia majora et minora tam in militaribus quam politicis sine discrimine Religionis omnibus bene meritis Indigenis conferenda sancitum et constitutum Art. 10, 1606. Item juxta artic. 10, 11 et 13, 1608 ante Coronationem, item juxta artic. 44, 1609, item juxta Diploma Ferdinandi Secundi an. 1622, Artic. 2, Cond. 5. Item juxta Diploma Ferdinandi Tertii an. 1638, Art. 1. Condit. 5, item juxta secundum Diploma ejusd. Ferdinand. an. 1647, art. 5, Condit. 7.

Quae Constitutiones confirmantur per Articul. 18, 1655 et consequenter

per posteriores in salvo relictae, ut praemissum est, sub generali omnium libertatum et Legum confirmatione comprehenduntur.

Taliter statu civili prout, quoad Augustanae et Helveticae Confessioni addictos, in ipsis constitutionibus Regni, ex pactis et conventibus publica fide in unam et mutuam civilis societatis aequalitatem initis fundatus sit, et hucusque subsistat, summarie repraesentato quis esset articularis status, ad quem omnia reponenda et manutenenda per articulum 30, 1715 sancitum est, ipsi expressi tenores ad invicem combinandarum praecitatarum Legum remonstrent, ac in quantum talia puncta occurrere possent, de quibus norma definitionis ex lege sufficiens haberi nequiret, penes Leges concurrentium benignarum Resolutionum et Explanationum Regiarum tenores attendendos esse ex ratione et sensu praecitati articuli 30, 1715 priores leges confirmantis, et Explanationes addentis sequeretur. Cum proprium sit Explanationis non confirmatae Legi, in qua parte expressa adest derogare, sed in minus expressis et ex inadaequato Legum tenore controvertibilibus sive dubiis definire et explanare.

Et quia humilimae Instantiae nostrae a tempore felicissimae inaugurationis alte titulatae Majestatis Vestrae exhibitae deductas per nos rationes et motiva fusius continerent, hinc praeter et ultra leges Regni manutentionem nostri penes easdem sanctiones in humillima adhuc fiducia praemittimus.

Ex principiis ipsius Religionis Christianae deductae, et in Divino ejusdem instituto fundatae rationes clarum redderent, quod non sit externarum humanarum virium ad mutandam Religionem contra aliud sentientes et credentes operari, neque alius modus esse possit religionis inter diversos coetus coadunandae sive in unionem reducendae, quam fuit propagandae, quia fides, quae Dei donum est, et talis agnitio, ut extrinseco animi sensu in unam doctrinam coalescentia sequatur, non a humanis viribus, et potestate, sed ab ipso Deo, et sancto ejus verbo veniret, ideoque in ipsa praedicatione verbi divini, et doctrinae non proficere, nec valere, sed revelationem in praedicationem verbi et Evangelii requiri passim inculcantibus, sed et Articulis Regni adhuc ante receptas confessiones nostras eatenus conditis, hoc medium ipsis quoque Catholicae Religionis conservandae et promovendae esse debere declarantibus. Quemadmodum non deprecamur, neque libertatem conscientiae cujuscunque in Catholica Religione acquiescentis ullo modo impedimus, hoc tamen precamur, et supplicamus, et Deus et verbum ejus, quod juxta scripturae Sacrae sensum ancipiti etiam gladio penetrantius est, non autem humana vis conscientiis nostris dominetur.

In hoc insuper statu ubi in certis dogmatibus fidei et cultus Divini Christianitas divisa est respectu nostri tanto magis alia humana coactiva media ne adhibeantur, nec quibusvis una nobiscum Majestatis Vestrae

Sacratissimae consubditis jus in conscientias sibi vendicare permittatur, ex eo etiam inferimus et aequitatem petiti expendendum supplices inducimus. quod non alia, quaepiam dogmata sequamur, verum quae in Christianitate alibi etiam recepta sint, et quod Antenatis nostris hic libertas conscientiarum admissa esset, quodve et ii et nos in hac libertate constituti, Augustissimae Domui Majestatis Vestrae Sacratissimae, homagiali fidelitate et subjectione in perpetuum nos devincientes. animas quidem et conscientias, illi cui rationes reddituri sumus Deo, vitam vero hanc et sanguinem vires item et facultates pro exigentia et obligamine devotionis et fidei subditalis, contra quosvis hostes Majestatis Vestrae Sacratissimae, communisque Patriae nostrae et status Regni, in uno eodemque Societatis Civilis vinculo consecraverimus, et prout id re ipsa non minori zelo. quam Catholici Regnicolae ad notitiam publicam jam testati sumus, ut tanto majori alacritate, et omni nisu nos, et posteri nostri in futurum etiam necessitate exigente, debitam fidelitatem conspicuam reddere contendamus, benignissima nostri penes Leges Regni conservatione animabimur et obstringemur.

Facile quidem amittimus Majestatem Vestram Sacratissimam delectione etiam illa, et affectu Christiano Materno, quo erga fideles subditos et omnes sibi subjectos populos fertur ad id duci, quod omnes in una eademque fide, eodemque Sacrorum cultu vel ad minus cum majori accessione secum esse ardentissime optaret. Neque tamen ideo de aversione a nobis concludere et querulari possumus. cum Augustanae et Helveticae Confessioni addictos subditos insimul materna clementia complecti, sub initium coepti gloriosissimi sui regiminis per Regnum publicato benignissimo Intimato palam facere dignata sit Majestas Vestra, et nos post Deum in verbo Regio fiduciam ponamus.

Sed quia ea, quae Excelsum Consilium Regium Locumtenentiale regnotenus observanda et effectuanda juxta tenores Lit. A humilime annexos publicavit, ipsam libertatem conscientiarum et receptarum confessionum nostrarum ita tangunt, ut salvis ipsis conscientiis tale onus nobis imponi non possimus non deprecari. Ideo ad sinum oblatae maternae Regiae clementiae confugiendo supplices oramus et fiduciali spe in eo Christianam pietatem et benignitatem Majestatis Vestrae Sacratissimae nos consecuturos credimus, ut adactiva media, sive ad primo suscipiendam sive ad mutandam Religionem non assumantur, verum quae libertati conscientiarum et ipsi instituto Divino contraria tollantur et inhibeantur, adeoque citationes erga tales etiam jam usurpari coeptae, qui nunquam Religionem mutarunt, sed in ea, in qua educati sunt, et quam primo susceperunt persistant, sive ex consideratione, sive sub praetextu tali, quod Parentes sive alteruter ex ipsis Catholici praefuissent, intentatae cassentur et cessent. Cumque Augustanae et Helveticae Confessiones ita

admissae et receptae sint ut ex prima fundamentali in hac parte Constitutione Regni omnibus acceptare volentibus eisdem adhaerere liberum sit, qui in amplexa semel, ideo, quod in ea acquiescerent, religione perseverarent neutiquam turbentur. Verum qui cum scandalo et ex levipensione Religionis Christianae mox una, mox alia Sacra sequerentur, et cum offendiculo Religionem pluries et leviter mutarent, in tales animadversionem Magistratualem non deprecamur, salva caeteroquin et in clementissimam Majestatis Vestrae determinationem insinuata conscientiae, in qua demum Religione permanere velint libertate.

Ex supposito praeterea tali quod aliqui ad amplectendam Religionem suam nonnullos seduxissent, suscitandus Processus, qualem ansam inquietandi et divexandi fideles Majestatis Vestrae S. S. subditos, nisi sub gravi poena indebite vexantibus irroganda praecaveatur, plerisque id ambientibus daturus esset, breviter exprimi nequit. Omnino hic modus foret, ut qui nec ipsi talem molestiam evenire sibi posse unquam opinarentur tamen quia seductores exagitarentur. eam sub praetextu criminis et praetensae apostasiae tales jam citati sint, qui nec Religionem unquam mutarunt, quanto magis ita adsumentes omnem modum exquirerent, ut circa quemvis, qui Religionem mutasset, sive suppositae, sive ab eo expressae minus tamen recte revelatae circumstantiae actiones et citationes contra alios plures, qui cum eo conversati vel locuti unquam essent, enascantur et moveantur. Quod ipsum jam etiam exemplis probari potest, ubi ex mera suspicione facto ipsius Excelsi Consilii incaptivatio talis secuta est, cujus consilio Patris Religionem Catholicam amplectentis, filius ne ad paternam religionem sequendam cogatur, profugisse supponebatur.

Nobis reliqua tacentibus benignissime perpendat Majestas Vestra Sacr. et commiseratione ducatur erga afflictam sortem fidelium subditorum suorum, ut qui per Patriae constitutiones et clementissimas Resolutiones, libertatem Religionum, quas profitemur habemus, tamen nec rationem doctrinae nostrae et fidei sive suscitantibus et quaestionem moventibus, sive scire anhelantibus reddere, et male vel oblique de nobis sentientes melius informare integrum nobis sit. Valentibus et in conscientia sua ita comparatis ut Religionem alterutrius Coetus nostri amplectantur, si etiam propositum eorum innotesceret quis, cordatus et religionis suae, in qua spem salutis aeternae ponit, amans obsistere et impedire non exhorresceret? Vas electum Dei Apostolus ille gentium pro salute fratrum, quae illa fuit ut consortes fidei Christianae esse possent, nec semet devovere formidavit, ut unus plures Christo lucretur; nobis quoque aliis obesse tantum esset, quantum religionem, in qua acquiescimus abdicare, in qua tamen permansionem omnibus rebus et toti Mundo, in quibus realis fides viget, anteponimus.

Temere ad suscipiendam Religionem nostram neminem admitti. tanto minus exquisitis modis disponi optima fide asseveramus, et ideo si qui a Romano-Catholica recessisse comperientur, penes hos ipsos ratio facti subsistere, et non in alios derivari debet, nisi ex clementia Majestatis Vestrae Sacrat. hic modus contra nos agendi praepediatur et inhibeatur; tunc et hoc vereri debemus, quod priusquam diuturnis carceribus plerique nobiles et honesti viri, iique innocentissimi macerentur, id ipsa morte gravius ducentes indebite vexantibus semet opponant, vel a Laribus suis emigrent, idque demum persecutorum nostrorum delationibus eo trahatur. quasi supremae Majestatis Vestrae Sacrat. Potestati contraveniatur, quod nefas avertant Superi, ut vel quis de fidelibus subditis cogitare possit.

Quod demum Magistratibus Jurisdictionatis, Dioecesanisque et horum Parochis orphanorum in fide Catholica educatio committatur, ne et hoc ad talem sensum trahatur, quasi vero indiscriminatim orphani etiam a parentibus Religionum nostrarum relicti, taliter procurandi essent, legalisque et testamentaria Tutela condivisionalibus, sanguine proximis et testamentariis Tutoribus competens cessare debent. cum id absque etiam praejudicio Juris Regni et ex eo competentis cuivis nobili praerogativae fieri nequiret benignissimam Explanationem Altetitulatae Majestatis Vestrae Sacratissimae Resolutionis pro meliori necessariam existimamus et exoptamus.

Non secus ubi Ministri et concionatores nostri ad Loca mansionum restringuntur, necessarium existimamus exponere et humilime declarare. quod dum in Comitatibus in quibus ad denominata Loca, reductio facta non est, in usu fere omnium Augustanae et Helveticae Confessioni addictos existere, prout Art. XXVI an. 1681 recognovisset in tali etiam ubique usu nos permisisset et stabilivisset ac an. 1731 secuta benigna Carolina quoque Resolutio in usu et statu quo tum fuerant, reliquos omnes non restrictos Comitatus, sive Loca reliquisset. et confirmasset. Tam igitur vi Legis, quam praeattactae benignae Resolutionis, tametsi eousque occupata non restituentis, uberiores tamen occupationes vetantis, hoc et id fundate concluderetur, quod in eodem ipso usu et statu prout praefuit et est exercitium sive in filialibus alternatim fieri solitum, sive vero ubi ad unum Templum, aut oratorium per plura Loca aedificatum et conservatum, ex iisdem diversis locis populus convenire solet, prout populo talis usus continuatio, ita etiam eorum Concionatori et Pastori ad eos accessus, per consequensque subsistentia ejusdem ex ordinata per plures pensione per clementissimam prioribus conformatam Majestatis Vestrae Sacr. Resolutionem, et nunc perinde manere debet Artic. 7, 8 et 12, 1647 ita dictantibus et sufficienter declarantibus. Interim quale Intimatum ad Comitatum Hontensem per Excelsum Consilium in forma Explanationis

Majestatis Vestrae Sacrat. Resolutionis directum. in parte hucusque observatum Articularem statum immutare committens intervenit, ejus quoque tenores sub B exhibemus. et pro adferendo tam ibidem maturo remedio, quam et evitanda in aliis similibus Comitatibus et Locis tali consequentia praecitato Art. XXVI et eundem confirmantibus et benignae Carolinae Resolutioni contraria, humilime supplicamus.

Oratoria Dominis Terrestribus et Nobilibus in Residentiis eorundem habere aedificareque et dotare. cum Lege Regni admissum sit, et tum usus, tum vero ipsa ratio liberi Religionis exercitii id secum ferant, quod hic a cultu Divino pro ratione necessitatis, vel per occasionem accedentes arcere prorsus inconveniens, et ipsi conscientiae ita repugnans sit. quod libertatem, quae cum casu Conscientiae incurrendo admitteretur prorsus tolleret et efficeret nullam. Cum igitur taliter ipsa libertas conscientiae captiva redderetur, et nec concipi posset, hoc esse libertatem Conscientiae, quod Conscientiam gravat, evidentem porro nunc et innegabilem, (libertate Conscientiarum et Religionis manente) aequitatem, et ratio Legis hanc libertatem in Residentiis habendorum oratoriorum dantis commendet, et necessitas fidelis subjecti populi consolatione et doctrina verbi Divini in talibus Locis destituti id flagrantibus desideriis pro Clementia Majestatis Vest. Sacrat. sibi ulterius tanto magis sibi indulgendum efflagitet, quod Templa et oratoria per ipsos Locorum incolas aedificata et possessa in multis jam partibus Regni, ea etiam et talia in quorum usu per Articulos an. 1681, 1687 stabiliti fuerunt, quam plurima, imo aliquot centena sint occupata. Cum tamen haec ipsa ratio restrictionis. quae per Articulos praenotatorum annorum facta est, respective causa fuerit Magnatibus omnibus et Nobilibus in Regno degentibus aedificandorum et dotandorum Oratoriorum inarticulatae facultatis.

Jam cum haec facultas articulariter conservata sit et stabilita quae antea sine omni restrictione non modo Dominis Terrestribus et Nobilibus, sed et plebeae conditionis hominibus ubique in puncto religionis exercitii ita libera fuit, quod non tantum Dominorum Terrestrium, sed et subditorum facto publicum induci potuit. Quanto magis postquam in plerisque locis Templorum et oratoriorum, vel cum Dominis Terrestribus, vel praecise per ipsos subditos aedificatorum, et tentorum occupatio sit facta, utique haec facultas Nobilibus in Curiis et Residentiis concessorum oratoriorum eo sensu sumenda est, quod ipsum exercitium, quale per occupationem Parochialis Templi sublatum non est, quoad subditos quoque et quosvis accedere volentes salvum manet. Alioquin si liberum Religionis exercitium suffertur, ipsa quoque libertas Religionis et per consequens conscientiarum suffertur. Prout igitur hoc consequens evidens est, ita stante libertate conscientiarum et Religionis exercitium ejus in locis ubique exerceri potest, nemini inhiberi debet, quia alias aperta est consequentia hoc modo

agendi. quando et quibus Religionis suae exercitium ibi ubi eodem uti possunt, impeditur, hoc induci, ut nullius Religionis existant, adeoque sine rationabili cultu Dei, infra et extra conditionem Christianae libertatis sine omni Religione et cultu maneant Divino, vel ab anno 1731 tempore nempe benignae Resolutionis Carolinae imo a tempore augustae coronationis Majestatis Vestrae Sacrat. quot et qualia Templa ac oratoria, quorum usus articulariter et per Resolutiones tam gloriosi Genitoris, quam et Majestatis Vest. Sacrat. relictus et confirmatus est, attamen adempta et occupata sunt, enumerare longum foret. Quod ea quidem repositionem et manutentionem diaetaliter definitus articularis status et Resolutiones Regiae secum ferunt, liberum vero Religionis exercitium ubi haberi potest ne impediatur, tanto magis et clementia Majestatis Vestrae Sacrat. conservandum et omnibus concedendum supplicamus, quod Domini Terrestres et Nobiles non alibi, sed ubi Templa nostra non habentur exercitium penes Residentias usurpent.

Gravem porro dolorem et in afflicto etiam statu nostro intimum moerorem in fiducia, qua unica post Deum apud Thronum clementiae Majestatis Vestr. Sacrat. residua est exprimere cogimur, quod qui membra Coronae, pars Statuum et Ordinum Regni sumus. et cum subjectissimo una nobiscum fideli populo Augustanae et Helveticae Confessioni addicto plus quam medietatem Regni constituimus, et ideo etiam partem non minorem in Majestate Vestra Sacrat. et ejusdem clementia, ut et populus Israel in Domo Davidica habemus, libertatemque conscientiarum et religionis ita qua praeattactis Confessionibus addicti admissam habentes, tali etiam constitutionibus Regni recepto modo in benignis Decretis et intimatis a Majestate Vestra Sacrat. per directum expeditis appellamur, ab Excelso tamen Consilio Regio profectae Resolutiones altetitulatae Majestatis Vestrae Sacr. intimantes et aliae Expeditiones vix unquam hoc nomine, verum a potiori Acatholicorum, non nunquam etiam Sectariorum et Haereticorum nos designant, prouti id ipsum ex interventis talibus Intimatis aliunde in publicum notum esset, quod in civili Regni Societate, ex ratione etiam mutui in Christianitate inter diversae Religionis Regna, et Provincias, Status, et homines vigentis consortii, utique evitari et abesse deberet: tum non disseminandis et exulcerandis, sed potius uniendis animis studere, civile et salutare esset. Ea propter quos omnes contra hostes nominis Christiani eadem Ratio defensionis fidei Christianae obligat, ne alias quam in Civili societate a seculis usitatum est, nomine Augustanae et Helveticae Confessioni addictorum in Christianitate distinguamur, supplices petimus.

Intimatum idem, circa quod in hac humilima supplicatione versamur, in praeambulo admodum exaggerative ultra apostasiae censuram excessibus Acatholicorum imputat, et criminis arguit, quod aliqui a Religione

Catholica desciverint. Facti sui ratio iisdem qui aliam religionem amplecterentur, constare debet, nobis tamen ideo aut religioni nostrae excessus vel crimen imputatur, in foro civili, in quo Religio nostra pro admissa et recepta habetur utrum conveniat hoc modo assumere Altissimae et Benignissimae Majestatis Vestrae Sacr. subditi in scripto publicis talibus provincialibus non afficiantur, submittimus.

Apostasia quidem, si quis a Christiana Religione, sive a via salutis, verbo Dei, humano generi revelata ad gentilem, extra agnitionem et fidem Triunius Dei et Salvatoris Mundi positam desciscat, in Christiano orbe omnino crimen non modo secundum Theologos, sed et civile foret. Cum autem Confessiones nostrae in primo et summe essentiali Religionis Christianae fundamento Sacrosanctae Trinitatis veri agnitione et adoratione, per consequens ex beatissima Virgine Maria nati Salvatoris et unius Mediatoris Dei et hominum fide conveniant, cum ipsa Romano-Catholica Religione, prout ab agnitione et adoratione Dei in Sacris literis revelati religio nostra non recedit, ita nec apostasia Religioni nostrae applicari potest. Quot in Religione Christiana inde ab initio in articulis differentiae? Apud veteres tamen et Sanctos Patres primitivae Ecclesiae, qui etiam erroris convicti sunt, in religione Christiana manentes apostatae non sunt dicti, ita et Julianus Apostata, qui ad gentilem religionem et idololatriam deflexit; sed cum haec alio pertineant, nos qua recepta membra civilis Christianae societatis, qua Patriae cives, et Christianae pretioso sanguine Filii Dei redemptos nos credentes ad pedes Majestatis Vestrae Sacr. prostrati supplicamus, ut in Provinciali civilique cursu, cujus regimen est sub potestate Majestatis Vestrae, similia in despectum et derogamen nostrum, quin imo ad id, ut et consortium habere nostrum abhorrescant, tendentia, cessare jubeat Majestas Vestra Sacratissima.

De reliquo ne modum supplicibus instantibus convenientem excedamus, quod statum articularem attinet, tam exercitii Religionum nostrarum, quam sine discrimine earum Civilis aequalitatis et applicationis ad munia publica, repraesentata eatenus gravamina et praejudicia cum in prioribus Instantiis deducta sint. Rationes item respectu Scholarum eo, quo semper sub articulis conditis hucusque fuerunt proponendarum literarum et scientiarum statu conservationis vel hoc modo attingere sufficiat.

Instantia demum, qualiter ibi, si quis tantum privatim gravatus fuerit, communi nomine promovenda per articulum XXX 1715 prohibita quidem sit, per contentam nihilominus in eo articulorum 1681, 1687 annorum illimitatam confirmationem, etiam respectu praetensionum, tantoque magis communium gravaminum, afflictionum et restrictionum communi etiam nomine salva maneat.

Juramentum porro, cujus diversae formulae in antiquis Decretis Regni,

tales etiam continentur, quas amplius ipsi etiam Catholici considerationem habentes non usurpant, per nos essentiali modo in radicali Tripartiti Regni Jure contento, et adhuc dum ante Articulos in negotio Religionis conditos in generali Regni usu existentes (Capitularibus atque aliis antiquis Literis testantibus) quod tanto magis post admissum nostrum dogma taliter deponere sufficiat, prout et ante praeattactos articulos et post eosdem suffecit, inque usu fuit.

In his et reliquis Punctis praememoratis Instantiis contentis reiteratione onerosi esse desistimus, verum ad eas humilime provocamus, usque una cum modernis rationinibus et motivis dispiciantur, instamus, ac nihilominus in clementiae Majestatis Vestrae Sacrat. fiducia, quod a fidelibus subditis suis haud gravatim feret, hanc etiam extremam quasi rationem in benignissimam Regiam considerationem sumendam submittimus. Quod etsi vel exigua jam Regni pars et non tantus populus tantaque pars Statuum et Ordinum Regni Legibus Patriis receptis et admissis Augustanae et Helveticae Confessionibus adhaereret, status tamen in quo semel et toties in civili societate coalitum est, salvus et integer, vel minimae parti penes clementiam et manutentionem Regiam superesset, cum uno eodemque modo ac jure prout ad Potestatem, ita et ad manutentionem Regiam omnes subditi ad perpetuam subjectionem et fidelitatem semet devincientes pertineant, ac per consequens omnes etiam, quasi jus in eo datum sibi habeant, ut respectu manutenendae habitae libertatis ad supremam potestatem recurrant.

Etenim nisi benignissima Regia Manutentio pressis et adflictis subveniat, sed vi contra nos agere permittetur, tam de libertate Religionum nostrarum, et conscientiarum actum est, imo etiam publice decerni contra nos quicquid potest, nobis eo postposito, quod membra coronae et pars statuum Regni sumus, exclusis, vel non attentis, nisi benignissima Majestatis Vest. Sacratissimae manutentio et conservatio nostri haec avertat, et statum articularem observari faciat. Quod Antenatis nostris Augustanae et Helveticae Confessioni addictis de communi Republica Christiana, Patria et Augusta Domo, bene meritis, gloriosae memoriae Praedecessores Altetitulatae Majestatis Vestrae Privilegia, tum Diplomatica, tum Donationalia, quoad Personas et Bona mox auxerunt, mox primo contulerunt, honores et praerogativas iis et posteris addixerunt, per idque de jure Regni qua tales omnium etiam jurium et beneficiorum Regni capaces reddiderunt.

Augustissima et Clementissima Domina! Sane dolorosum et peracerbum est nihil tale meritos, sed potius pariter bene mereri contendentes donis ad id et qualitatibus concessis a Deo et studiosa industria comparatis instructos, nos tamen iis, ex publicis Regni constitutionibus, et particularibus etiam privilegiis per gloriose regnantes Majestates collatis nobis

perinde nunc competant, prout competebant, quando collata sunt, tametsi cuivis capaci et possessionato nobili hic character competeret, amplius admittamur: quin imo omni applicatione et beneficiis in plerisque Comitatibus et Civitatibus privati in dulcissima Patria sanguine parta et defensa vitam morti similem transigere debeamus: et quod omnem dolorem exasperat, nec alias exprimi potest, propter Religionem, in qua Antenati nostri et respective nos benemeriti sumus, omnium injuriis, quicunque inferre et nos divexare velint, obnoxii periculum etiam bonorum, honoris, libertatis et vitae ex iis, quae contra nos hic et in prioribus Instantiis declaratis modis intentabuntur subeundum habebimus, nisi haec omnia antevertat, et articularem statum per quosvis observari faciat et benignissime manuteneat Majestas Vestra. Moveant benignum maternum Cor Majestatis Vestrae Sacr. tot singultus tot preces subjectissimi sibi fidelis populi, qui pejori conditione est propter afflictiones et aerumnas, quas a nonnullis Dominis Terrestribus suis perpeti debet, quam si immanem barbaricam captivitatem subiret. Is per se lamenta sua deferre non potest, si nec nobis pro eo supplicare licet, ad minus igitur quid sit dicere liceat, et Unicum ex clementia Majestatis Vestrae petere relationibus et instantiis nostris; quae a parte exhibitae sunt, et quam plurimae adhuc exhiberi possent, in tantum locus sit, ut Majestas Vestra Sacrat. modo Constitutionibus regni ordinato inquiri et referre facere, ac enormitate factorum cognita tandem decernere, ut excedentes intelligant pientissimam gloriosissimae memoriae Genitoris Majestatis Vestrae Sacrat. Resolutionem per Majestatem quoque Vestram Sacr. confirmatam innovationes, occupationes, et afflictiones subditorum vetantem re ipsa observandam esse.

In confiniis, constitutionibus anni 1681 specifice insertis stabilitum Religionis exercitium, prout eo ipso, quod antea in usu omnium incolarum praefuit, ad solos confiniarios servientes milites intellectum et restrictum non erat, quia antecedaneus et subsequens in communi omnium incolarum usus, quod in concreto articulariter stabiliti sint, testaretur. Ita non a designatione accidentali, quod eo tum Confinium fuerit, sed a denominatione Loci, ubi et quibus concessum est, sumendum veniret. Et cum deterior eorum conditio, post remotum et pulsum, quae Dei gratia et Christiani nominis hostem et eo etiam, quod contra eum confinia propugnabant esse non deberet, tum ideo, cum vero, quod publici multum intersit, ut talia populosa Loca in statu quo conserventur. Experientia autem jam clarum reddideret, quod ipse etiam liberae et Regiae Civitates, ubi vel a Magistratualibus functionibus Religionis nostrae cives administrandae communis rei capaces exclusi, tantoque magis libero religionis exercitio privati sunt, ita conciderint, ut nec medietate priori statui respondeant, per hoc publico Majestatis Vestrae Sacr. utili diminuto, preces nostras respectu ipsarum Majestati Vestrae Sacratiss. commen-

datas reddit, ut exercitium Religionis in iisdem locis, ubi praefuit et est, salvum maneat.

Academicorum studiorum et comparandae majoris experientiae causa ad exteros exitus literatis juvenibus ad speciale indultum Majestatis Vestrae Sacr. extrahendae Passuales propter circumstantias eorum benigno Intimato indigitatas restrictus fuit. Quae circumstantiae per subsecutam almam pacem cum cessarint, nec amplius talis modi liber exitus difficultetur, verum, sine remora studiorum et dispendio eorundem benignissime ut antea admittatur, scholaeque nostrae in eo quo semper fuerunt tradendarum literarum et doctrinae cardine ut conserventur, supplices preces nostras commendet Majestati Vestrae Sacr. ipsa ratio publici, ne gens ad ruditatem et barbariem redigatur, verum loco feritatis scientiis culta et mansuefacta ingenia habeat. Misereat Majestatem Vestram Sacrat. prolium nostrarum, misereat nostri quas infelices gemimus, nec vitam Parentes, filiis optare possumus, si in bonis literis Christianis moribus educare non possumus. Redundabit hinc, et nunc quoque redundat, si quod reipsa sit, dicere integrum est, in Catholicos etiam Regnicolas, eorum quae in Scholis suis Patriis, vix in aliqua etiam parte assequuntur ad civilem tamen societatem necessaria sunt, communicatio. Ex ignobilibus Parentibus natos et ad exteros exeuntes quantum attinet, genuine declaramus, quod ii miserae contribuenti plebi nec in minimo alicui oneri sint, sed qui etiam propriis mediis carent, vel Nobilium Patronorum docilitate eorundem ad id inclinatorum impensis mittuntur, vel vero ex fundo et beneficiis pro studiosis Hungaris in Academiis tum per Antenatos religionis nostrae homines, tum vero hac aetate institutis et ordinatis subsistentiam habent. Ne igitur haec beneficia intercidant, neve virtuti et industriae ad meliorem statum per diversas scientias et praxin, quas ibi hauriunt, emergendi via praecludatur, quod in polito Christiano orbe juri et aequitati naturali repugnare videretur, apud Majestatem Vestram Sacrat. humilimas nostras preces interponimus, ut liber prout antea exitus ex clementia Regia admittatur.

Visitationes porro Episcoporum et Archidiaconorum Catholicorum eo fine institutae, ut experiantur, utrum ad valide baptizandum Ministri et concionatores nostri satis sint instructi? cum id hactenus satis superque sint experti, et omnino constet Sacrum baptisma secundum Principia Religionis Christianae, et secundum essentialia ipsorum quoque Catholicorum requisita rite peragi et administrari, ne uberior ansa vexationum per hanc occasionem plerumque sumpta continuetur, talem visitationem, qua sine destinato et comperto terminatam, jam abrogandam sine vero illo, ut de doctrina et moribus Concionatorum in Districtu suo degentium, superintendentes nostri, quibus ut eatenus invigilent, et in excedentes animadvertant, benigna resolutio Regia injunxisset omnino indagare et

muneri suo satisfacere possint, ac sine omni molestia et aggravio miserae plebis, uberius quoque Loca, ad Districtus eorum pertinentia visitare et praedeclaratam obligationem suam effectuare, ut iisdem liceat, humilime instamus.

Magna conscientiis nostris vis in eo etiam infertur Clementissima Domina! quod si quis ex Catholicis Augustanae et Helveticae Confessioni addictam ducat, vel ex Catholicis nubat Augustanae aut Helveticae confessioni addicto, eosdem pluribus in locis Parochi Catholici, quibus talis modi diversae Religionis hominum copula benignissima resolutione mediante, concessa haberetur, nullatenus copulent, antequam religionem, quam profitebantur ejurent. Unde fit ut nonnulli reluctante eorundem conscientia eorum Sacra Romano-Catholicae Ecclesiae acceptent, medio vero tempore cum aliunde nullum violentum durabile sit, redeuntes Magistratuali actioni subjiciantur, taliterque excessivam aliorum in convertendis eisdem nec Divinis, nec humanis unquam Legibus approbatam modalitatem, carcerum squaloribus, injuriis, exiliis, et aliis similibus expiare necessitentur. Nonnulli vero qui Religionis suae tenaciores sunt non obstante sub arrhatione a matrimonio resultum faciant, publicisque per hoc scandalis non minimam ansam et occasionem praebeant: sed in eo etiam antiquo et a seculis praebito usui summopere praejudicatur, ut ubi insimul Augustanae et Helveticae Confessioni addicti cohabitant, alterutra vero pars Ministro suae Confessionis destituatur, Parochi Romano-Catholici, Jus Parochiale in partem Ministro carentem praetendant; imo potentia mediante usurpare occipiant, eosdem ad stolam solvendam compellant, taliterque ab usu praecedaneo via facti Augustanae et Helveticae Confessioni addicti excutiantur, quorum omnium cum reliquis medelam a benignitate Majestatis Vestrae humilime imploramus.

Librorum dogmaticorum ad Religionem Christianam et articulos fidei nostrae pertinentium, ac aliorum ad comparandas diversas scientias necessariorum, qui nihil contra statum publicum, quod injuriosum vel scandalosum esset, continent, inductio ut permittatur et hactenus arestati, ut iis ad quos spectant resignentur benignissime disponere dignetur Majestas Vestra Sacratissima.

In liberis Regiisque Civitatibus, Evangeli cives opifices promiscue ad frequentandas Processiones et alias Religioni suae contrarias ceremonias, sive illi in articulis suis Cehalibus hanc obligationem insertam habeant, sive non contra Articuli XXV, 1681 id ipsum prohibentis verba, compelluntur, et hoc non facientes mulctantur. Illi vero qui nondum Regia Cehalia Privilegia habent, ad similia impetranda et excipienda coguntur, cujusmodi Privilegiis omnibus talis articulus inseritur: Ut Magistri cum sodalibus et tyronibus sine discrimine religionis Theophanicae et aliis per Spiritualem potestatem ordinandis

Processionibus, item singulo Quatembri et in Festo Patroni Cehae, Sacrificiis Missae et Offertoriis interesse teneantur. Illi vero qui semet absentarent a publica processione, Magistri in duabus, Sodales vero in una libra cerae a Patroni vel Quatembrali Sacrificio Missae vero emanentes, toties quoties Magistri in 30 cruciferis et Sodales in 15 mulctentur. Cum autem contra libertatem Conscientiae sit, aliquem ad peragendum vel potius simulandum extrinsecum cultum in eo quod intrinsece non sentit, et non credit adigi, et Deus praecipue sit pura mente colendus, alias vero sine religiosa mente Divinae Majestati ingratus actus sit, si in Spiritu et veritate non fiat, utrum non adactiva in hac quoque parte media praecaveri potius quam imponi debeat in benignissimam et altissimam considerationem Majestas Vestra Sacratissima sumere dignetur.

Denique penes haec petita ad pedes Majestatis Vestrae Sacratissimae provoluti primum pro vera, et imperturbata conscientiarum et religionis exercitii libertate nostra, et populi per fidelitatem nostram et merita Antenatorum, per clementiam Majestatis Vestrae, per misericordiam omnipotentis Dei, et salutem nostram, quam pie credimus, nobis ante omnes alias libertates conservanda supplicamus et in fiducia clementissimae Regiae Protactionis et Resolutionis, quoad contenta hujus et priorum Instantiarum, tandem cum Consolatione nostri, subsequentem vitam et sanguinem ac omnes fortunas et facultates nostras in pignus subjectissimae fidelitatis devoventes emori cupimus.

Sacratissimae Majestatis Vestrae

Humilimi perpetuoque fideles subditi
Augustanae et Helveticae Confessioni
addicti in Hungaria degentes.

§ XV. *Enchiridion Episcopi Weszprimiensis.* — Quid responsi ad prolixam hanc Repraesentationem tulerint, nihil de eo habeo dicere. Episcopus tamen Weszprimiensis occasione Memorialis hujus Augustanae et Helveticae Confessioni addictorum humilime Regiae Majestati repraesentati virulentum edidit scriptum in eosdem minime in Hungaria tolerandos, cujus quidem integer Titulus ita est: Enchiridion Martini Bisonii Padáni Episcopi Weszprimiensis, de Fide, Haeresiarchis, ac eorum asseclis, in genere de Apostatis, deque Constitutionibus atque Decretis Imperatorum et Regum contra Dissipatores Catholicae Ecclesiae editis Diotrephi, seu Acatholicis in Hungaria commorantibus ad S. S. Imperatriciam ac Reginalem Majestatem Mariam Theresiam in negotio Religionis Anno 1749 sub communi Augustanae et Helveticae Confessioni addictorum nomine recurrentibus, responsionis loco, Christiana charitate exhibitum. Jaurini Typis Gregorii Joannis Streibig, Privil. Reg. et Episc. Typographi Anno 1750. Quale illud fuerit Enchiridion satis inde clarum est, quod exem-

plaria Regia auctoritate sunt confiscata atque ita de medio sublatum.

§ XVI. *Epistola Regis Borrussiae. — Episcopi Schafgotsii Literae.* — Status ecclesiarum in Hungaria utriusque Confessionis innotuit Regi Borussiae, qui cum esset afflictissimus Rex, medicinam circumspexit, modum vero medendi non alium invenit, vel adhibere voluit, quam intercessionem Episcopi et Principis Uratislaviensis, qui principia Cleri Hungarici valde esse noxia demonstraret, si ea Principes independentes in suis Regnis sequantur.

Epistola Regis cum sit perquam memorabilis prout exstat in Mercurio Politico Hagiensi, digna est, quae hic quoque locum inveniat.

Epistola Regis Borussiae ad Episcopum Uratislav.

Fridericus Rex Borussiae etc. Procul dubio Dilectio Vestra non minus quam nos intelligere potuit generalem rumorem durarum afflictionum et persecutionum, quas ab aliquo tempore sustinere coguntur Evangelici utriusque Confessionis, qui Hungariam incolunt. Et quemadmodum cum violatione Tractatuum clarissimorum cum ipsis sub mediatione etiam exterarum Potentiarum initorum Templa alia post alia ipsis successive adempta fuerint, sub praetextibus adeo frivolis, ut neminem non aequitatis studiosum pudere debeat. Ut jam taceam varios processus, uti inclementes ita parum fundatos, quibus in dies afffiguntur in sua ipsorum vita privata et civili. Ex quibus propemodum inducimur ad credendum, quod haec cum ipsis agendi ratio eo sit directa, ut ad desperationem adigantur, atque cogantur talia quaerere remedia, quae occasionem ac praetextum possint suppeditare ad eos tandem funditus exstirpandos. Et quamquam cum ipsis hominibus, nullus nobis intercedat nexus, nullaque obligatio, imo e contrario ab una parte recordatio excessivae animositatis, quam illi contra nos exercuerunt occasione proximarum turbarum, ab altera autem parte severissima interdicta Curiae Vindobonensis addictos etiam acerrimis minis impediverint, ne suas de miserabili ipsorum statu querelas nobis exponere, Nostramque Intercessionem implorare possint, ac denique nos ipsi si Politicas tantum Rationes consuleremus, tantum abest ut adsurgere nos ipsis ideo deberemus, ut potius in sinu gaudere deberemus, quod acerbitatem quam contra nos exercuerunt tam severe vindicatam videamus, et quidem per supremum eorum Dominum. Ne jam loquamur de proprio nostro emolumento, quod haud dubie ex hujusmodi Persecutionibus in vicina nobis Regione exercitis alio sensu possemus invenire. Attamen adeo adfecti sumus hac tristi sorte tot innocentium et optime meritorum, qui forte minori etiam zelo et fidelitate possent illius continuationem praevenire, ut unice vera compassione moti, absque omni obliquo principio prorsus optaremus, ut aliquid ad eorum solatium possemus contribuere. Neque neglexissemus

hunc in finem tentamen aliquod facere apud Aulam Vindobonensem, nisi ab hoc proposito advertisset nos minus prosper successus, quem habuerunt omnia studia optimorum Foederatorum et Amicorum. Unde optimo jure potuimus concludere, quod si illae Potentiae, quibus Aula Vindobonensis tantum devincta et obligata est, eam inducere non potuerunt ad mitiora consilia super hoc negotio, profecto nostra interpositione multo adhuc minus esset effectura. Imo forte momentum adderet ad augendam adflictionem miserabilium horum hominum; quin aliquam adderet probabilitatem toties imputato ipsis crimini, quod per vias minus convenientes exterorum auxilium quaerant. Est praeterea alia etiam Ratio, quae nos confirmavit, ut ne ad dictam Aulam nos convertamus. Nempe quod majori ex parte informati sumus, quod Sacra Majestas Imperatoria et Regia, Imperatrix, Regina Hungariae et Bohemiae, quantum aliunde etiam scitur, ex ejus charactere, animi magnitudine, atque principiis sanis et justis, non adeo ipsa sit causa omnium harum Persecutionum, quam Clerus Catholico-Romanus Hungariae. Id quod est praecipuus scopus, quem tanta cum crudelitate prosequitur, ut sapientissima haec Princeps quo motivis quibusdam Politicis obsequatur, eo nimirum tendentibus ut ne Clerum a se alienum reddat, prorsus cogatur vim potius inferre naturali suae et verae maternae propensioni erga omnes suos subditos, quam ut se ipsam pro sua auctoritate opponat machinamentis Cleri, quae ad totalem ruinam fidelium Protestantium subditorum directa sunt. Qua in cogitatione ad evidentiam usque confirmati sumus per scandalosum opus Episcopi Veszpremiensis Padani, quod ille aliquo abhinc tempore in lucem edidit in quo videtur classicum voluisse canere contra omnes quoscunque injuriosis epithetis designat. Nihilque magis sibi proposuit, quam ut Regiam Majestatem ad eorum exstirpationem animaret, quem in finem fidelitatis loco talia ponit Principia, quae odiosissima sunt, atque summe idonea ad destinenda omnia humanae societatis vincula, atque a quibus quivis Romano-Catholicus si modo micam habeat Rationis non debet non abhorrere, nedum ut ea adprobet aut adoptet. Et tamen hic Praelatus gloriae sibi ducit illa profiteri, imo non veretur ea in publicum producere, tanquam totidem dogmata suae Ecclesiae.

In hocce rerum statu venit nobis in mentem, quod si adhuc aliqua supersit spes, ex imminente hacce ruina liberandi domesticos fidei, ejusdemque nobiscum communionis socios, qui sunt in Hungaria, ad ipsum fontem Calamitatis eorum esse veniendum. Cleroque Catholico-Romano notificanda esse effecta nostrae solicitudinis, ut nimirum ei modo convenienti et tamen mascule et vivide repraesentandam curemus notoriam injustitiam Persecutionum hucusque ab ipso contra Protestantes exercitarum, ut agnoscat quantopere ipsius etiam Monarchiae ipsorum gloria et Majestas in discrimen adducatur per ejusmodi Processus, quantumque

aliquando apud Posteritatem detrimenti et nocumenti sit accessurum ejus nomini, alias tam juste comparato si sub ipsius Regno et nomine, illi ipsi, qui temporibus etiam difficilimis maxima inviolabilis suae devotionis specimina dederunt, eousque ut fortunas vitamque suam pro bono Principis suae sacrificarunt. Non aliud Fidelitatis suae praemium referunt, quam amissionem Jurium ac Privilegiorum suorum longe praestantissimorum et charissimorum, quorum jactura non potuerit non eos ad extremam desperationem adducere. Quanta foret indignatio omnium extra partes positorum adversus illum Clerum, si pudenda illa Principia defenderet et sequeretur quibus Padanus tam probrose et sibi et suae Ecclesiae superbit? Porro quantis periculis ipsummet hunc Clerum exponerent talia Principia, si in his rerum vicissitudinibus et revolutionibus, quarum solus omnipotens Deus est arbiter, haec aut illa Regio Ecclesiae Romanae addicta, in manus Principis alicujus alterius communionis deveniret, qui ad extremum usque gradum demigratus et male tractatus fuit, imprimis si novus ille Dominus et qui ejus communionem sequerentur secundum indubitata talionis retorquere vellent in Clerum Hungaricum Principia illa, quae is hodie pro justis et rationabilibus venditare audet, eamque secundum illa judicarent et tractarent.

Jam vero neminem novimus magis idoneum quam Dilectionem Vestram ad suo modo insinuanda haec omnia supra dicto Clero: atque adeo ipsi tanto majore cum fiducia hoc negotium committimus, quanto majore cum gaudio observavimus, idque diversis in occasionibus, quod ejus Zelus, quem pro Ecclesia sua habet, neutiquam sufflaminet apud ipsum Principia humanitatis et observantiam praecipuorum officiorum, quae omnis Religio postulat, quodque Dilectio Vestra longissime absit a superstitioso illo praejudicio, quasi conversio hominum et propagatio Divinarum veritatum per injurias sit procuranda. Imo absque omni dubitatione confidimus, quod quamquam ista Commissio Dilectioni Vestrae non possit non difficilis et onerosa videri respectu sui status. Nihilotamen minus omnem prudentiam et peritiam suam sit adhibitura ad eam executioni dandam, sine alterius cujuscunque praejudicio, atque perficiendam feliciter secundum nostram intentionem, nostram spem, nostrum desiderium. Qua in re Dilectio Vestra servitium nobis praestabit longe gratissimum, atque ubi hoc negotium ad optatum finem perduxerit (quod tamen si secus succederet ipsi nolumus imputari) non parum augebit nostram satisfactionem, suaque de nobis merita. Qua de re expectabimus suo tempore fidelem et accuratam Relationem Dilectionis Vestrae. In reliquo etc. Berolini d. XVI Febr. An. 1751.

Princeps Schafgots Praelatus, quem eruditio non minus quam mo-

derata agendi ratio spectabilem reddiderunt sequens responsum dedit ad Regiam Majestatem Borussicam.

Serenissime Rex et clementissime Domine!

Cum profundissimo Venerationis adfectu intellexi Regiam Intentionem Majestatis Vestrae ex Rescripto, quod gratiose ad me dare voluit sub dato XVI Febr. proximi, super negotio Evangelicorum Regni Hungariae; et quemadmodum semper pro justo aequo principio habui; ut Ecclesia mansuetudine et tolerantia utatur erga illos, qui diversas foverit Ideas, et sententias, optarem profecto quantum ad me attinet ut Protestantes in Hungaria liberari tandem possent ab omnibus duris illis oppressionibus, quibus unica Religionis causa sunt expositi. Quem in finem ne momento quidem negligerem repraesentationem facere super hoc negotio Clero Regni illius Romano-Catholico, et imprimis ad Episcopum Veszprimiensem ea de re scribere, nisi vererer Literas meas responsum, certo optatum successum haud esse habituras, atque adeo me quoque non habiturum opportunitatem relationem faciendi Vestrae Majestati in negotio Commissionis illius, qua me honorare voluit. Quamobrem ita existimo, longe convenientius fore si exemplum Rescripti Majestatis Vestrae Curiae Romanae transmisero, ut suam Sanctitatem, tanto fortius et efficacius possim solicitare. Quo ipsamet suas intentiones notificare velit Episcopis Hungariae, eosque paterne adhortetur, ut desistatur ab omnibus illis violentiis contra Protestantes. Omnem autem adhibebo adcurationem ut Vestrae Majestati cum omni submissione notificem, quemnam effectum sit ipsa res productura, ut qui sum cum profundissima et intemerata Veneratione et Devotione etc.

Princeps Episcopus Vratislaviae.

§ XVII. Respondit eodem anno tertia Aprilis summus Pontifex Episcopo Vratislaviensi in hunc fere sensum: Semet non posse probare molimina Episcoporum Hungarorum. Non defuturum se votis Regis Borussiae pro Hungaris Protestantibus intercedentis. Caute tamen sibi esse agendum ut ne titulum Protectoris Lutheranorum inde reportet, sibi quidem coram tribunali Jesu Christi actionum suarum rationem unice reddendam esse, parvi itaque facere si ab hominibus judicetur, attamen prudentiae etiam esse ut Tribunalium humanorum quantum per conscientiam fieri potest, ratio habeatur. Ideo se immediate nec ad Aulam Viennensem nec ad Episcopos Hungariae daturum literas, sed Instrumentis aliis satis tamen idoneis usurum, quae mentem Episcopis Hungariae aperiant, ut ne zelo intempestivo dum uno in loco corpori Ecclesiae utilitatem parare studerent, alibi creent molestiam, pedumque dolorem ita medeantur, ut capitis cruciatus producant. Hunc in finem instituit Pontifex Cardinalium quoque aliquoties conventum, quid in tanti momenti causa agendum esset? Ubi conclusum est: Pontificem non alia de causa moveri posse, quam quod

sciat, id pertinere ad salutem eorum qui Sacris Romanensibus addicti Terras Regis Borussiae incolunt. Verendum enim est, ne hujus in tutela et gratia qui sunt periculo exponantur. Ideo data sunt mandata ad Pontificis oratorem in Aula Vindobonensi ut cum Aulae Caesareae Administris consultationes instituat, qua ratione Jura Romanensium et Protestantium simul in Hung. Regno ita conservari queant, ut Sacris a Romana alienis Principibus occasio minime praebeatur utendi jure talionis, Fideique Romanae sociis libertas Religionis variis in terris ne interdicatur.

§ XVIII. *De Festis. — Festorum ratio immutatur.* — Non potest satis describi quantas Protestantes in Hungaria ratione Festorum Sanctis dicatorum per aliquot lustra subierint vexationes. Severe injunctum est diebus iisdem omnibus contra principia eorum Religionis, cessare laboribus; non solum iis, quos cum scandalo feriantium propalam exercere possent; sed etiam ab iis, quos in angulo domus clam peragerent. Per occultos delatores investigati, ac denunciati ad carceres, verbera, mulctas pecuniarias damnati, rebus suis exuti. Verbi D. Ministri ut diebus Dominicis e Cathedra instantes dies feriales populo denuncient sub poena gravissima coacti. Praecipue in Festo Theophorias, ut vocant, seu Corporis Christi quales exercuerunt crudelitates in occurrentes, saepe casu, rerumque ignaros cum stupore possunt considerari, ad sanguinem usque diverberabantur non raro eorum cerimoniis morem non gerentes, seque cultui non conformantes, adeo ut iisdem Festum sanguinis dici jure potuerit; neque tam cultus Divinus quam immanis crudelitas in miseros obviantes, captata quavis parva de causa tali occasione peragebatur. Tandem Divino Numine ita animum Sacratissimae Imperatricis ac Hungariae Reginae moderante, Festorum ratio repraesentata est summo Romanorum Pontifici, quod nimirum per crebriorem operum servilium Reipublicae proficuorum, diebus festivis cessationem, non tam coelites coli aut Deum reddi propitium, quam emolliri mores, otium nutriri, et quae inde promanant vitia adaugeri, Baccho Venerique litari. Hinc summus Sacrorum Pontifex anno 1753 die 1 Septembris dispensatoriam edidit declarationem, cuius interventu et otii ac vitiorum ab hominibus amoveret occasionem, tenuioris vero fortunae hominibus, comparandis rebus ad vitam sustentandam necessariis ampliorem suppeditaret temporis opportunitatem. Declaravit enim ut Festis diebus Sanctorum memoriae dicatis, excepto die Dominico, festis Christi Salvatoris beneficiis commemorandis destinatis, et nonnullis aliis, absque omni conscientiae scrupulo, post cultum matutinum devote peractum rusticis et servilibus quibusvis laboribus libere vacare possint. Post editum itaque Breve, ut vocant, Apostolicum resedit paulatim indiscretus ille Protestantes ad festa colenda urgendi zelus, cum nec ipsi ad ea observanda peracto cultu matutino iam amplius obligentur.

§ XIX. *Nagybanyae docentes arcentur.* — Rivulini seu Nagy Banyae celebris semper inde a primo reformationis tempore exstitit Ecclesia Reformata; florentissima ibidem schola, ubi eximii viri scholasticam erudierunt iuventutem quandoque Academici praeeuntes in Linguis, Theologia ac Philosophicis. Hoc seculo coeperunt Pontificiis Sacris ibidem addicti in numerum aliquem coire, ex ea praecipue ratione, quod nemo, nisi Romanis Sacris devotus ad officia ibidem metallurgica vel civica promovebatur. Jesuitae Monachique Franciscani Residentias aedificarunt quorum pollicitationibus quidam ab avita Religione abducti sunt. Horum suggestioni imputatur, quod anno 1755 die XII Aprilis consilium Regium Locumtenentiale Mandatum dederit ad Nagybanyenses de V. D. Ministro altero, inde amovendo et scholis Reformatorum altioribus usque ad Grammaticam inclusive tollendis, iteravit mandatum 2 Junii jussitque quinque docentes in schola ad duos reducere, iisque exutis Scholasticis vestibus, Secularibus indui, nisi gravem Regiae Majestatis incurrere velint animadversionem. Gymnasia quoque Reformatorum summe pro instituenda eorum juventute necessaria, ab olim florentissima Szathmariense ac Papense sunt dissipata, penitusque sublata. Ita quicquid e publico aut ecclesiae Ministris, aut scholarum Rectoribus, ex antiqua majorum ordinatione, cedebat, in omnibus Hungariae civitatibus exhiberi Regio nomine prohibitum.

§ XX. Acerbiore tamen Reformatos in Hungaria dolore affecit Mandatum Consilii Regii Locumtenentialis die XVII Januarii Anni 1757 emanatum, quo repetebatur anni 1747 praeceptio de confiscandis omnibus Catecheseos Palatinae et alterius Minoris dictae exemplaribus. His semper Reformati usi sunt Libris Symbolicis, teneraque in iuventute instituenda ad Fidei fundamenta normis, pronum erat videre quid iis e medio sublatis sequeretur? Crassa nempe ignorantia et Religionis abolitio. Quid acerbius, quid molestius contingere potuit illis, qui fidelitatem erga Regem suum semper demonstrarunt, nec ullam ansam talibus Mandatis subministrarunt, ettamen Symbolicis e medio sublatis Libris in foedum ignorantiae baratrum dejicerentur; et a cultu Divino, instrumentis ablatis prorsus planeque abarcerentur. In moerorem ac metum diu deiecti, praecipue ubi Libellos colligi, ac confiscationem eorum in executionem deduci, quibusdam in Comitatibus ac ecclesiis prae oculis haberent. Tandem libellos supplices ad Regiam Majestatem, Apologiam, seu Demonstrationem ad Regium Locumtenentiale consilium adornarunt, ostenderunt in istis se Libellis istis Symbolicis carere nec posse, nec velle, nec debere. Usus igitur horum ut ipsis concederetur liberrimus, humilime expetierunt.

§ XXI. *Apologia Reformatorum pro Catechesi Palatina, et alia Minore dicta. — Excusatio Typographiae Debr.* — Apologiam Ecclesiae primariae Debretzinensis et vicinarum ad consilium Locumtenentiale Regium, libellumque supplicem ad Regiam Majestatem cum Annexis eo facien-

tibus prout nacti sumus hic fideliter exhibebimus. Ita se Apologia habet:

Excelsum Consilium Regium Locum tenentiale Domini, Domini Benigno-Gratiosissimi Colendissimi!

Dignatum fuerat idem Excelsum Consilium, jubente sua Sacratissima Caesareo-Regia Majestate anno adhuc 1747 nobis iniungere, ut Librum, Christianus Catechismus dictum, velut Religioni Romano-Catholicae injuriosum indilate confiscemus, ut A. Quod cum per conscientiam facere non possemus, submiseramus sequenti statim Anno XVIII Mensis Maji, non tantum rationes et motiva, quibus nos constricti, ac inanimis et cordibus nostris quasi vinculati, Libelli istius confiscationem suscipere non posse declaraveramus, verum etiam alia quaedam, quae ad paulo pleniorem Libelli notitiam pertinere arbitrabamur, ut B, nihil dubitantes fore, ut ubi idem Excelsum Consilium Regium importantiam dicti Libelli, ex praefata Defensione nostra perspiceret, illum pro symbolico, adeoque invariabili libro Ecclesiarum Hungaricarum Helveticae Confessioni addictarum agniturum, et in eius, qua talis usu, nos imperturbate relicturum sit.

Qua de re tanto firmior spes corda nostra alebat, quod sequentibus quinque integris Mensibus, nihil nobis hac in causa reintimatum exstiterat; praesertim vero quod in gratioso suo Intimato post quinque menses ad nos directo ut C, meminerat quidem Excelsum Consilium Responsoriarum nostrarum, sed rationes quibus impressionem et usum eius Catechismi legitimaveramus, nobis non rejecerat, sed eas in suo esse reliquerat; ac proinde neque confiscationi inhaeserat, verum unice effectuationem quorundam aliorum Punctorum urserat; ita quidem, ut nos pensitatis eiusdem gratiosi Intimati continentiis, plane non potuimus aliter iudicare, quam quod respectu Catechismi plenarie satisfactum sit Excelso Consilio, nec quicquam aliud restare, quam ut reliqua eiusdem Intimati Puncta aut in effectum deducantur, aut si quid obstaret, id eidem Excelso Consilio in humilitate repraesentetur, prout id a nobis deinceps factum est.

Jam ab illo tempore integris nempe novem annis, hac dulci spe semet ipsas lactarunt, non tantum hae Debrecinensis, sed universae etiam Ecclesiae Helveticae Confessionis per ambitum totius Regni adhucdum residuae ettamen inter innumeras etiam adflictiones sat numerosae, gratias omnipotenti Deo continuo agentes, quod viscera Augustissimae nostrae Reginae et Dominae Clementissimae ad misericordiam flectere ac Excelsum etiam Consilium spiritu suo ita ducere dignatus sit, ut Defensionem nostri Catechismi, non tantum aequis auribus exciperet, verum uti credi par est, Majestati quoque Caesareo-Regiae eadem aequitate, repraesentaret. Sed o spes inanes!

Supervenit enim aliud Excelsi Regii Intimatum de dato XVII Januarii labentis Anni 1757, inque nobis gratiosissime notificatur medio Ex-

celsae Camerae Regiae Hungarico-Aulicae, demisse repraesentatum esse suae Caesareo-Regiae Majestati, duplicis ordinis Libros (quorum titulus annus et impii contextus nobis adnectuntur) hic Debretzini impressos haberi, ac proinde intimari, ut in praeattactos Libros orthodoxae Romano-Catholicae Religioni praeiudiciosos inquiramus, nanciscendaque Exemplaria, Excelso Consilio illico submittamus. Monemur praeterea, ut nos serio et diligenter reflectamus, qualiter Typographia civica uti debeamus ut D. Mandati vero adnexum cui contextus injuriosus verbotenus insertus est, et ubi astutia etiam, uti quidem praetenditur nostra, circa editionem minoris huius Catechismi notatur, ita se habet, ut hic sub E.

Videmus igitur Excelsum Regium Consilium, quatuor hic nobis agenda incumbere: 1mo ut de Libello Symbolico Christianus Catechismus dicto, eiusque contextu rationem reddamus, 2do ut idem faciamus quoad alteram minorem Catechesin eiusque contextum, 3io ut respondeamus de astutia, quam commisisse dicimur, in huius posterioris editione, imprimi illam curando, sub prioris Typographi Pauli Viski nomine, 4to ut Typographiam nostram purgemus a suspicione, quasi nimirum in illa contra benignam Caesareo-Regiam Resolutionem nobis pro observatione superioribus annis clementer intimatam in hunc diem usque, libri injuriosi et scommatici excuderentur.

Sed ordinis causa primo etiam respondemus, cum submissione ad ultimum Punctum, velut a quo tria priora quodammodo pendent; ita enim ostensa civicae huius Typographiae innocentia, Apologiam utriusque Catechismi tanto melius et commodius praestare poterimus.

Dicimus igitur et coram Excelso consilio humilime protestamur Christianum Catechismum, in hac nostra Typographia absolute non fuisse recusum, a quo nempe illa Anno 1754 per benignam Caesareo-Regiam resolutionem in integrum restituta est, non quod Librum illum tanquam symbolicum, ac uti ex praemissis colligitur, per ipsummet etiam Excelsum Locumtenentiale Consilium pro tali recognitum non fuissemus ausi reimprimi curare, sed quod ab illo tempore Liber iste turpis lucri cupidine, in aliis Typographiis ignoratur quibus, adeo copiose, licet fallaciter et mala fide (praefixo nimirum huiatis Typographiae nomine) impressus sit, ut opus haud fuerit Exemplaria multiplicare. Minorem vero Catechismum, vulgo: Fidei Fundamentum quod attinet, accusamur quidem, quasi certum eius exemplar esset longe recentius, quam Libri titulus praeferret, cui nos non alio fine Annum 1731 et Typographi Pauli Viski nomen praefixissemus, quam ut editio antiquior adpareat, atque ita hac astusta intentione Superiorum censuram effugiamus. Sed Excelsum Consilium Domini, Domini Benigno-Gratiosissimi, negamus et

pernegamus pusillum hunc librum, post mortem Pauli Viski, quae in Annum 1733 incidit, praefixo eius nomine, ut et Anno 1731 in Typographia nostra recusum extitisse, quam editionem, licet nunquam viderimus, credimus tamen firmiter aut eam esse genuinam (id est Paulo Viski inter vivos existente impressam) aut certe per alios Typographiae nostrae impudenter fuisse suppositam, id quod ipsa Typorum forma accuratius examinata sine dubio ostendet, adeoque dolum haerere non in nobis sed in falsariis, sive jam turpi lucro inhiantibus, sive etiam per malevolos, in odium huiatis Typographiae uti suspicamur subornatis. Quod ut Excelso Regio consilio limpidius constet, ecce submittimus hic demisse sub F. aliud exemplar eiusdem Catechismi, nobis malitiose et simul incautissime suppositum de Anno 1700 et quidem praefixo Pauli Viski nomine. Is velut anno 1696 natus non potuit esse anno 1700 nisi puer circiter quatuor annorum, quales pueros Typographiis praeficere velle, esset in re seria ludere. Sed speramus Excelsum Consilium haud sentire tam abjecte de tenuitate nostra (licet alioquin sat magna) ut credere velit nos fucum facere volentes circumstantias temporis tam male conciliasse, ut puerum quatuor annorum pro typographo venditandum, eiusque nomen libro, praesertim symbolico praeficiendum duxerimus. Quo ipso non tantum nostra innocentia sed etiam falsariorum protervia, et delatorum supina ignavia in apricum venit.

Exstat huiusmodi Typographicae avaritiae notabile in Ecclesiis Palatinis exemplum cum Catechismo Christiano commissum, ubi cum Typographi inter quos etiam Romano-Catholici erant, non cessarent Christianum Catechismum nostrum, ad formam antiquam, regnante adhuc linea Reformata introductam (id est Electorali Privilegio et insignium scuto ornatam) inscio Reformatarum Ecclesiarum Consistorio recudere, Serenissimus eius temporis Elector putans hunc Libri adparatum ad injuriam suam pertinere, dolum Ecclesiis nostris imputare voluit; ac ob id nec non ob duriusculas Quaestionis LXXXmae expressiones Catecheses omnes confiscari mandavit. Mox tamen de hac Typographorum licentia, deque libri symbolicitate per consistorium melius informatus ut G sententiam mutavit.

Sed si poneretur etiam, quod nos minorem Catechismum a tempore sepositionis imprimi curavimus, non tamen credimus, Excelsum Consilium id ipsum magni facturum, ex subnexis humillimis rationibus nostris. 1° Non recordamur impressionem istius libri nomine Sacratissimae suae Majestatis nobis prohibitam fuisse. 2° Neque Excelsum Consilium prohibuit, sed tantum reposuit librum velut notatum. 3° Non videmus rationem quare non licuisset, necessitate poscente recudere libellum, cuius antiqua exemplaria eo tum non confiscabantur, sed palam in omnium manibus versabantur. 4° Est liber symbolicus ab Ecclesiis Belgicis pri-

mum epitomatus, et Christiani Catechismi summarium pro parvulis quasi in nucleo exhibitum, uti conferenti. et vel saltem titulum ipsum legenti ad oculum patet. 5º Major licet in verbis paulo durior, non tamen hucusque prohibitus fuit, sed nunc primo prohiberi et confiscari praecipitur. Ex his et sequentibus inter se combinatis credimus Excelsum consilium Regium benignius de nobis judicaturum, et temeritatem. qua delatorum, qua larvatorum Typographorum serio cohibiturum.

Haec ad purgationem Typographiae sufficere existimantes pergimus ad Apologiam Christiani Catechismi. Morum fidei et Religionis nostrae Symbolum ac fundamentum complectentis tali Symbolo nulla unquam Religio caruit. aut carere potuit, quo scilicet aliis, qui cum ipsis sub uno Rege, unaque Lege vivunt. praesertim vero summo terrae Principi constare possit an non aliquid statui publico adversum credant aut doceant? an Symbolis et Religioni suae conformiter vivant etc. Quare tantum abest. ut homines cuiuscunque tandem Religionis prohiberi debeant. ne fidem suam confiteantur, ut potius sicubi gentium reperietur secta tam stolida. quae Fidei suae confessionem edere nollet. penes summam potestatem esse credamus, eam ad hoc per vim adigere.

Cum igitur hac etiam vice prout ante novem annos constituamur, non propter totum librum. sed tantum ob certa eius verba Religioni Romano-Catholicae injuriosa. sed interim experiamur praetextu injuriarum istarum totum librum eripi, e manibus non tantum huius, sed omnium Ecclesiarum Hungaricarum Helveticae confessioni addictarum. videmus praeter omnem spem nunc iam non tantum non sufficere ad exculpationem iniuriarum ea. quae tum temporis hoc fine adtuleramus. sed plane librum symbolicum in periculum adduci. Hinc cogimur libri istius defensionem in humillitate et obsequio suscipere. adeoque eius originem, propagationem, fata. et auctoritatem. quam in Ecclesiis Reformatis hactenus obtinuit, Excelso Regio Locumtenentiali Consilio paulo fusius venerabundi ob oculos ponere. Et quoniam primitus per ipsummet etiam Excelsum Consilium habitus est, pro foetu hic Debretzini concepto, et si ita loqui liceat, nobis obstetricantibus in lucem edito, primo etiam hanc invidiam a nobis amoliri.

Primo. Conscriptus est Catechismus ille non hic in Hungaria. sed in Imperio Romano-Germanico, anno 1563 non privato studio, sed jussu Electoris Palatini Friderici III non per obscuros Magistellos, sed duos magni Nominis Theologos. Zachariam Ursinum et Casparem Olevianum, specialiter a dicto Principe ad hoc delegatos, non clam et subreptitie sed palam publice et manifeste non vi Ecclesiis obtrusus, sed primo Examini earum submissus; dein Synodaliter adprobatus, atque receptus, quin imo mox Anno 1566 per eundem Electorem Augustissimo Romanorum Imperatori Maximiliano Secundo in Comitiis Imperialibus, praesenti

et praesidenti, solenniter exhibitus, ac uti Lehmanni Acta Pacis Religiosae testantur, ad mensam una cum Sacris Bibliis depositus, significando in uno, sicut in alio, unam eandemque doctrinam contineri.

Secundo. Synodus Nationalis Belgica Anno 1619 Dordraci habita, atque Helveticae, de qua nos denominamur plane consentanea, (cui adfuerunt praeter Belgas etiam Theologi Angli, Helvetii, Genevenses, Hassiaci, Veterarici, Nassovienses, Bremenses, Embdani, etc.) vocat sessione 148 Libellum istum Manualem, valde accuratum orthodoxae Doctrinae Chritianae compendium ac proinde in Ecclesiis magna cum aedificatione docendum et omnino retinendum, ut H.

Tertio. Omittimus nunc brevitatis causa, quando et quomodo in Ecclesias et Scholas aliarum Gentium introductus sit; in Hungaricis certe jam 1564 in usu erat. Exstant enim Literae Theologorum Heidelbergensium, ad Ministros Ecclesiae Claudiopolitanae, hoc ipso Anno exaratae, quae ostendunt Catechismum hunc jam ante advolasse in Transylvaniam et Hungariam, ut I, ita ut jam Anno 1646 Synodaliter etiam retinendus iudicaretur, ac confessioni Helveticae indivulse alligaretur, ut K.

Quarto. Al illo tempore in publico usu fuit apud Ecclesias nostras, eoque non interrupto, vel clandestino, sed iugi, perpetuo ac manifesto; unde apparet usum libri in Ecclesiis tam Germanicis quam Hungaricis complecti prope duas annorum centurias.

Quinto. Hic usus nobis ne tum quidem in dubium vocatus est, dum anno hujus seculi XIX et XX in Imperio Romano-Germanico, nominatim vero in Palatinatu Rheni, propter hunc eundem Catechismum dissidia gliscerent, Serenissimo Electore Palatino Carolo Philippo abolitionem Catechismi, aut ad minus Quaestionis octuagesimae in suis ditionibus urgente, corpore vero Principum Evangelicorum libello illi velut symbolico patrocinante.

Sexto. Hac lite per aliquod tempus continuata, tandem post longas Comitiorum Imperialium discussiones, res ad caput imperii Augustissimum nempe Imperatorem Carolum VI delata est, qui librum velut symbolicum non obstante verborum controversorum asperitate, sub 19 et mox etiam sub 24 mensis Martii anni 1720 Reformatis indulgendum esse rescripsit. Huic benigno Rescripto Elector morem gerens, mox 16 Maji eiusdem Anni Catechismum Heidelbergensem denuo edi et doceri concessit; ita tamen ut dicta Quaestio Octuagesima, moderate sine Catholicorum iniuria tractetur, et haec Electoris declaratio novis Catechismi editionibus adiiciatur, uti Historia et Acta comitialia testantur.

Septimo. Et hae sunt causae, quod in Hungaria Catechismus ille tanto temporis intervallo, nec per Resolutiones Regias, nec per Regni Diaetas prohibitus aut confiscatus sit, imo ne quidem publica auctoritate

impugnatus, sed inde a prima sua origine usque ad Annum 1747 imperturbate viguit et quidem quoad Ecclesias Hungaricas semper sub Principibus Romano-Catholicis.

Octavo. Durities verborum per Excelsum Consilium notata nobis imputari nequit. Nos enim Libri istius nec Auctores, nec Mandantes, nec translatores, nec introductores sumus; sed prout illum a Majoribus per manus traditum accepimus, ita in hunc diem usque retinuimus.

Nono. Ac ea propter symbolicitate Libri obstante, ne nunc quidem in eo mutationes aliquas nobis admittere fas est; multo minus integrum librum repudiare, nisi ab omnibus aliarum Gentium Ecclesiis nostrae Fidei resultum facere velimus, quod absit! Libris etenim symbolicis vel sponte nostra repudiatis, vel vero nobis invitis exterminatis Posteri nostri non possent olim provocare ad Leges Regni, vel respective etiam Resolutiones Regias, sub quarum tutela post Deum ter Opt. Maximum hucusque Confessio nostra in hoc Regno perstitit. Quare etiamdum Anno 1754 apud suam Sacratissimam Majestatem pro Typographia nostra humillime supplicaremus Libris Ecclesiarum nostrarum data opera et expressis verbis cavimus ut L.

Decimo. Catechismus nihil continet, quod Helveticae Confessioni consentaneum non sit, imo cum illa per omnia amice congruit, quin insuper cum illa Synodaliter indivulse connexus est, in ipsis etiam Helveticis Ecclesiis. Quo stante non potest nobis, sive qua Lege receptis, sive (uti jam proh dolor! vocari coepimus) qua toleratis Catechismus prohiberi, nisi simul Helvetica Confessio prohibeatur.

Undecimo. Leguntur verba illa non in sola versione Hungarica, sed in omnibus aliis, puta Latina, Gallica, Belgica, Anglica, Polonica, Italica, Graeca, Hebraea, Indica etc. et quod caput rei est in ipso originali Germanico.

Duodecimo. Totus ille Catechismus pro numero Dominicarum integri anni divisus est in 52 sectiones, quarum singulae singulis diebus Dominicis horis pomeridianis in Ecclesiis coram plebe pertractantur. Ubi igitur Dominica XXX in quam explicatio Quaestionis substratae LXXXmae incidit, verba ista necessario adtingenda sunt, illa per Catechisantes, non tantum non exasperantur, sed potius mitigantur, et in spiritu lenitatis tractantur, et quod notandum nulli Romano-Catholico Christiano individualiter optantur, (nam hoc esset convitia ex cathedra spargere) sed in summa generalitate proponuntur, simulque auditores monentur, ut quoad condemnationem diligenter distinguant inter doctrinam et personas eidem adhaerentes, caveant ab illa ad has concludere, et monente Apostolo judicium in alienum servum sibi sumere. Quare etiam Elector Philippus Wilhelmus Genitor fati Caroli Philippi liberum huius Catechismi usum Ecclesiis Palatinis admisit, modo ne Elector ipse,

aliique personaliter pro idololatris declarentur. Cui sapientissimi Principis edicto si aliquis e nostris praesertim ecclesiasticis aperte contrairet, et vel suo Principi vel aliis summis Potestatibus malediceret, is confestim ignominiose deponeretur poenis condignis per Secularem Potestatem adficiendus.

Decimo tertio. Benigna Caesareo-Regia Resolutio, de scommatibus vitandis anno 1754 nobis impertita, respicit non libros Symbolicos, praesertim antiquos et jam ante dudum publici usus factos, sed tantum novos et privatos, quos nosmet ipsi etiam vetamus et improbamus, licet hoc nomine varia ab adverso passi.

Decimo quarto. Concilium Tridentinum plurima nobis Anathemata dixit, et tamen fidei nostrae consortes etiam ubi potiores sunt, Concilium illud non confiscant, sed potius sibi ipsis comparant, legunt Theologi, in scriptis suis allegant, in Bibliothecis suis conservant, et discipulis suis ceu symbolicum Romanae Ecclesiae Librum legendum commendant.

Decimo quinto. Dandum est aliquid etiam tempori, quo nempe Catechismus primo lucem aspexit, nam tunc propter anathemata Concilii Tridentini Anno 1563 finiti, animi hominum erant exasperati.

Decimo sexto. Quemadmodum ex Tridentino Concilio publica authoritate confectus est Catechismus Romanus (quae duo Ecclesia Romano-Catholica ita conjunxit, ut ea ab invicem separari neutiquam patiatur) ita pariter Ecclesiarum Reformatarum corpus, catechismum suum vulgo Heidelbergensem vel Palatinum non potest divellere ab Helvetica confessione, ideo, quod quemadmodum in omni Ecclesia credentes vel sunt adulti vel robusti, vel vero infantes et infirmi, ita vel solidiori spirituali cibo indigent, vel lacte, quorum necessitati, aequaliter succurrendum est.

Decimo septimo. Anno Domini 314 Concilii Arctatensis Canone XIII ita sancitum est: De his qui scripturas Sanctas tradidisse dicuntur vel vasa Domini, vel nomina Fratrum suorum, placuit nobis ut quicunque eorum in Actis publicis fuerit detectus (non verbis nudis) ab ordine Cleri amoveatur. Quae verba nunc nostra facimus nolentes esse aut appellari Traditores.

Decimo octavo. Ministri nostrarum Ecclesiarum tanto magis definitioni huic stare tenentur, quod cum ordinantur, jurejurando promittunt, se symbolicis Ecclesiarum Reformatarum Libris nunquam renuntiaturos. Ut supra sub K.

Decimo nono. Veremur ne post huius Catechismi symbolici confiscationem, reliqui etiam nostri Symbolici Libri idem triste fatum subeant et ne fors ipsa etiam Sacra Biblia, quae (si tamen publica fama verum nunciat) vi huius Mandati iam etiam colligi quodam in loco coeperunt. Saltem innegabile est, plurima exemplaria Bibliorum Versionis Comaro-

mianae superioribus annis fuisse adempta et adhuc detineri; licet illa gloriosissimae memoriae Imperator Carolus VI restituenda esse, semel atque iterum benigne resolverit, iusseritque. ·Sed metum nostrum de libris symbolicis vanum non esse alio etiam exemplo, puta Psalmorum edocti sumus, nam anno 1753 in elencho Librorum per Inclytam Religiosam commissionem ad ulteriorem censuram sepositorum comparuerunt Sacra etiam ista cantica ut sub M.

Vigesimo. Credimus Excelsam Cameram Regio-Hungaricam Aulicam, pro sua, qua maxima pollet tum prudentia, tum aequanimitate, vix fuisse apud suam Sacratissimam Majestatem denunciaturam Catechismum nostrum pro libro scommatico, adeoque prohibendo, si de praemissis detensionum punctis, aut saltem eorum nonnullis praevie fuisset informata. Nam cum non recordemur, causam horum libellorum symbolicorum apud idem Excelsum Dicasterium aliquando fuisse agitatam, vel Ecclesias nostras, superinde ibidem auditas, facile intelligi potest, inspectos et consideratos illos ab Excelsa Camera fuisse, non qua symbolicos, et cum Helvetica Confessione inseparabiliter quasi ferruminatos, verum qua privata cura et studio elaboratos, nunc recenter in lucem protrusos, et Ecclesiis hoc unico fine propinatos, ut hominum animi contra Ecclesiam Romano-Catholicam irritarentur. Ast vero contraria omnia obtinent, uti ex praemissis liquet.

Supplicamus proinde apud Excelsum Consilium Locumtenentiale cum omni submissione animorumque et affectuum summa contentione, dignetur gratiosissime, primo etiam Excelsae Camerae Regiae Hungarico-Aulicae praemissarum Rationum nervos et pondera insinuare, quo idem Excelsum Dicasterium perspecta totius huius Questionis gravitate, apud Caesareo-Regiam Majestatem eiusque Augustissimi Throni scabellum, quantocyus deponere possit ea, quae ad ampliorem rei hujus cognitionem pertinent. Deinde vero ut ipsummet Excelsum consilium Locumtenentiale Regium patrocinium nostri et omnium Ecclesiarum Helveticae Confessioni addictarum, non propter scelera sua tanto minus vero propter infidelitatem in Regem suum, sed unice propter Libros suos symbolicos his malis expositarum (tantisper etiam donec directe ad suam Maiestatem Sacratissimam humillimum facere poterimus recursum) in se suscipere, Dominaeque et Reginae nostrae Clementissimae ardentissimas preces, non tantum nostras, sed multorum millium suorum fidelissimorum subditorum repraesentare, et mediatione sua Sacratissimam suam Majestatem exorare, ut confiscatio dictorum libellorum quantocyus sistatur; Inclyti Comitatus quoque et Civitates, eo primo quoque tempore inviteutur, ut a confiscatione Librorum istorum symbolicorum abstineant, confiscata vero exemplaria proprietariis restituant, praestolaturi ulteriorem benignam suae Majestatis Sacratissimae dispositionem. Aut si Maiestas

sua Sacratissima maioribus curis distenta, plenam et finalem suam Resolutionem hac vice impertiri non posset, saltem ut nobis respirium aliquod et cum respirio facultas etiam benignissime concedatur, ut si non omnes ac minus amicaram Potentiarum Ecclesias Reformatas, Superiores, Ecclesiastici nostri consulere possint.

Caeterum sive optato sive tristi eventu Deus omnipotens causam hanc symbolicorum nostrorum Catechismorum terminaverit, nos tamen pro omni casu renovamus promissum in Instantia pro Typographiae nostrae in integrum restitutione sub XI Junii 1754 suae Majestati Caesareo-Regiae porrecta his verbis conceptum:

Nos quod concernit Clementissima Domina, ecce votum facimus coram Throno Majestatis Vestrae Sacratissimae, et publica homagiali fide promittimus, nos enixissima cura, summoque studio curaturos (prout hactenus etiam fecimus) ne in ista civica Typographia Libri aliqui imprimantur, qui invectivas, scommata, maledicta vel alia inhonesta, homine Christiano alioquin indigna vel etiam Confessioni nostrae Helveticae, aliisque Libris symbolicis contraria, tanto magis vero, qui impia et seditiosa continent. Cui voto, fidelitati item in suam Majestatem Sacratissimam Dominam Nostram Clementissimam, ut et obedientiae in Excelsum Regium Consilium immori cupientes perseveramus.

Excelsi Regii Locumtenentialis Consilii Dnorum Dn. Benigno-Gratiosissimorum Colendissimorum
Debretzini 5 Aprilis 1757.

Humillimi et obsequentissimi servi.
N. N. Judex, senatus et communitas Liberae Regiaeque Civitatatis Debretzinensis, exceptis Dominis Romano-Catholicis.

ANNEXA.

Ad humillimam Instantiam Civitatis Debretzinensis pro symbolicis Ecclesiarum Helveticae Confessioni addictarum Catechismis Excelso Regio Locumtenentiali Consilio die 5 Aprilis 1757 submissam.

A.

Mandatum an. 1747 de confiscandis Chatecheseos exemplaribus. — Prudentes et circumspecti nobis honorandi! Per Typographiam in gremio Liberae ac Regiae huius Civitatis Debretzinensis existentem, Liber quidam (cui Titulus Christianus Catechismus) in duplici Editione Authoribus Francisco Miskoltzi et altero Francisco Szárási imprimi consuevit, circa quem praevio modo Debretzini impressum Catechismum in principiis licet Helveticae Confessioni subsistentem professionem tamen suam cum gravi iniuria Religionis Catholicae hanc quippe idololatriae tum in adoratione

Sacro-Sanctissimi Eucharistiae Sacramenti, tum in veneratione imaginum condemnantem ac proponentem. Sacratissima Caesareo-Regia Majestas clementer resolvit, ut omnia antelati Catechismi exemplaria sive in Typographia, seu apud Librarios reperibilia, medio liberae ac Regiae istius Civitatis Magistratus, illico confiscentur. Quapropter benigne jubente Sacratissima sua Caesareo-Regia Maiestate, Liberae ac Regiae istius civitatis Magistratui praesentibus serio injungitur, ut omnia dicti Catechismi exemplaria indilate confiscari et tam eadem, quam et vigore intimatae sibi sub XI Febr. Anno 1725 Benignae Resolutionis Regiae cunctorum Librorum illic impressorum Elenchum, cum tribus singulorum exemplaribus: de semestri in semestre, demum Privilegium quoque Typographiae Debretzinensis Consilio isti Regio Locumtenentiali submittere noverit. Datum ex Consilio Regio Locumtenentiali Posonii die 22 Decembris Anno 1747 celebrato. Eorundem Benevoli Comes Franciscus Eszterhazi. mp. Georgius Fabianhovits mp. Michaël Sido mp.

B.

Responsum Debretzinensium de Catechesi. — Excelsum Regium Locumtenentiale Consilium Domini Domini Gratiosissimi, Colendissimi!

Gratiosum Intimatum eiusdem Excelsi consilii, quoad Librum Christianus Catechismus dictum, ac uti supponitur Authoribus Francisco Miskoltzi et altero Francisco Szárási confectum humillime percepimus. Ad quod demisse Informationis loco eidem Excelso Consilio Regio in omni humillitate perscribendum habuimus, memorati libelli autores nequaquam fuisse praefatos Miskoltzium et Szárásium, utpote quorum alter Typographus tantum, alter translator operis fuit, verum Theologos Heidelbergenses, qui eum anno adhuc 1563 jussu Electoris Palatini, iuxta Principia Confessionis Helveticae concinnarunt, ac statim post adprobationem Ecclesiarum in Palatinatu existentium, cum Privilegio dicti Electoris publicarunt, unde et nomen Heidelbergensis vel Palatini Catechismi sortitus est. Facta vero publicatione, et in Ecclesias Palatinas introductione, mox Libellus ille per alias quoque Provincias Sacri Imperii Romano-Germanici nostrae Confessioni addictas admissus et receptus est non tantum, verum etiam in varias Europae Linguas velut Anglicam, Gallicam, Belgicam etc. translatus, ac in Ecclesias Belgii, Helvetiae, aliarumque nationum palam introductus est, et licet variis locis ac temporibus varie exceptus et impugnatus fuerit, attamen passim pro libro symbolico habitus est, habeturque in hunc diem usque in Ecclesiis nostris sub ipsis quoque Principibus Romano-Catholicis. Unde qua talis in omnibus Ecclesiis et scholis nostris statis temporibus praelegitur et explicatur.

Supplicamus proinde Excelsi Regio Locumtenentiali consilio humillime dictum Catechismum una cum expressionibus si forte uno alterove loco

duriusculis uteretur considerare non ut hic Debretzini, aut vero in Regno hoc compositum huiusque Ecclesiae Debretzinensis peculiarem; neque tantum Ecclesiarum per hoc Regnum diffusarum, sed potius tanquam universae Ecclesiae Protestantis Reformatae per totam Europam communem, atque ea propter non tantum hic apud nos, verum etiam in variis per Hungariam et Transylvaniae Principatum Typographiis, sub tot Augustis Regibus Hungariae gloriosae memoriae Romano-Catholicis saepissime palam et publice, libere impressum, recusum, ac distractum, et quod plus est, ultra seculum pro libro symbolico habitum, Confessioni vero nostrae Helveticae (prout id ipsummet Excelsum Consilium gratiosissime innuere dignatur) conformem. Nosmet in reliquo gratioso Excelsi Consilii Regii Locumtenentialis Patrocinio humillime commendantes perseveramus. Excelsi Cousilii Regii Locumtenentialis humillimi et obsequentissimi servi N. N. Judex et Senatus Liberae ac Regiae Civitatis Debretzinensis.

Debretzini d. XVIII Maji Anno 1748.

C.

Mandatum Consilii R. L. anni 1748. — Prudentes ac circumspecti, nobis honorandi! Quamvis quidem huius Consilii Regii Locumtenentialis Intimatum, respectu praesciti Catechismi in duplici Editione Authoribus quippe Francisci Miskoltzi et alterius Francisci Szárási in civitate hac Debretzinensi imprimi consueti anno adhuc, praeterito sub 22da Xbris isthinc ad Magistratum nunc expeditum expressis innuat, ut idem omnia dicti Catechismi velut gravia adversus fidem Catholicam scommata continentis exemplaria indilate confiscet, et tam eadem, quam et aliorum cunctorum Librorum in hac civitate impressorum Elenchum cum tribus horum quoque singulorum exemplaribus ad exigentiam Benigni suae Majestatis Caesareo-Regiae Mandati, in anno adhuc 1726 sub XI Febr. emanati, de semestri in semestre rite semper Consilio huic Regio Locumtenentiali submittat, atque Privilegium quoque Typographiae Debretzinensis annectat. Huius tamen Intimati tenoribus si quidem idem Magistratus nec ad praesens debite satisfecisset, dum videlicet in Literis suis eatenus responsoriis sub XVIII adhuc praeteriti Mensis Maji exaratis, praefati Catechismi impressionem praecise solum legitimare niteretur, atque a reliquis memorati Intimati continentiis simpliciter praescinderet et transmittenda nullatenus transmisset. Consilium proinde hoc R. Locumtenentiale eundem Magistratum praesentibus serio monendum habuit quatenus in conformitate praecitati Intimati effectuanda, quantocyus effectuare, consilioque huic Regio Locumtenentiali transmittenda praevio modo indilate transmittere noverit nec intermittat. Datum ex Consilio Regio Locumtenentiali, Posonii die XVIII Mensis Octobris Anno D. 1748

celebrato. Eorundem Benevoli Josephus Comes Illyeshazi mp. Georgius Fabianhovits mp. Michaël Domsits mp.

D.

Mandatum Consilii R. Locumtenentialis 1757 *de Catechesi.* — Prudentes ac circumspecti, nobis honorandi! Medio Camerae Regiae Hungarico-Aulicae, demisse repraesentatum est suae Caesareo-Regiae Majestati duplicis ordinis libros, quorum Titulus, Annus et impii contextus Paragraphi hic adnectuntur in civitate hac Debretzinensi Typis mandatos haberi. Ac proinde hisce civili eidem Magistratui intimari, quatenus in praeattactos orthodoxae Religioni praejudiciosos libros inquiri facere, nanciscendaque exemplaria consilio huic Regio illico submittere; et praeterea semet super eo qualiter Typographia uti debeat, serio et diligenter reflectere noverit, civilis idem Magistratus. Datum ex consilio Regio Locumtenentiali Posonii die XVII Januarii, Anno 1757 celebrato. Eorundem Benevoli Comes Josephus Keglevits, Ladislaus Baringai, Franciscus Györi mp.

E.

Annexum praecedentis gratiosi Intimati.

Extractus duorum Librorum Debretzini impressorum Titulus: Keresztyen Catechismus etc. Debretzenben nyomtatator Vintze György által anno 1703, in quoad Quaestionem LXXXmam in Responsis sequentia continentur. „Es igy a Misének fundamentoma semmi nem egyéb, hanem a Jesus Kristusnak egyetlen egy áldozatjának és szenvedésenek megtagadusa és átko zott balvány iniádas. Ment ar ostját, melly alatt a Kristusnak tessét, jelen lenni réa höltik, a Mise kiszolgáltatasának idején felemelik, a Kösségnek mutogatják, szokatlan nagy Pompával szelyel hordozzák, kiváltképen a mint ök hioják, Urnaszján, vagy Kristus testének innépen, elötte le borulnak nagy ahitatoszággal, e balványt igaz isten gyanánt imádják, es vegezetze ez atkozott bálvány imádásént szentklen hegyetlenkedéssel viaskodnak es azt oltalmazzák". Alterius titulus „A Keresztyen Hitnek fö Agazatinak Fundamentomi etc. Debretzenben nyomtatta Viski Pál 1731 eszben." In cuius parte secunda circa finem habetur talis Quaestio Litera K et Responsio Litera F notata taliter sonans, K: „Mit allitasz a Mise felöl;" F: „Hogy a Kristus egyszeri áldozatjának megtagadása;" observandum, quod licet libellus posterior sub nomine Pauli Viski (qui erat Typographus Civitatis et simul Genitor superius nominati in electa communitate existentis Catholici Pauli Viski) impressus esse legatur, attamen communis fama et graves praesumptiones sunt, quod longe recentior Typus sit, adeo ut postquam sua Majestas Librorum impres-

sionem, civitati prius prohibuerat, eam invenerunt astutiam ut sub prioris Typographi et Resolutionem Regiam praecedenti sub anno Librorum impressionem exercendo Pia suae Majestatis Resolutio eludatur.

F.

Est Editio Catechismi minoris, cui Titulus: A Keresztyen Hitnek fö Agazatinak fundamentomi, per falsarium aliquem Typographum Typographiae Debretzinensi supposita, praefixo memorati Pauli Viski huiatis quondam Typographi nomine et anno 1700 quae Editio hic in specie exhibetur.

G.

Extractus Instantiae Consistorii Ecclesiarum Palatinarum pro Catechismo Heidelbergensi serenissimo Electori Palatino exhibitae Heidelbergae VI Maji Anno 1719 cum sit Germanice hic praetermissus.

H.

Synodi Nationalis Dordrechtanae Anno 1618 et 1619 celebratae Sessio 148.

Declaratum fuit consentientibus omnium tam exterorum, quam Belgicorum Theologorum suffragiis Doctrinam in Catechesi Palatina comprehensam verbo Dei in omnibus esse consentientem neque ea quicquam contineri, quod ut minus eidem consentaneum mutari aut corrigi debere videretur, ipsamque hanc catechesin esse admodum accuratum orthodoxae doctrinae Christianae compendium; singulari prudentia non tantum ad tenerae adolescentiae captum, verum etiam eorum, qui adultiores jam essent, commodam institutionem accommodatam. Ac proinde eam in Ecclesiis Belgicis magna cum aedificatione doceri posse, atque omnino retineri debere.

J.

Extractus Epistolae Academiae Heidelbergensis ad Ministros Ecclesiae Claudiopolitanae et conjunctarum in Transylvania.

Reverendis Viris Fidelibus Christi Servis, Pastori et Ministris Ecclesiae Claudiopolitanae et coniunctis Fratribus in Transylvania Dominis ac Fratribus suis in Christo charissimis Gratiam et Pacem a Deo Patre nostro per Dominum Jesum Christum. Reverendi viri et Fratres in Domino charissimi! Literas Vestras cum scriptis adiunctis ante mensem fere sesquitertium accepimus, responsuri citius etc. Ad Vestram autem petitionem quod attinet, ut libellis, quos misistis, et quorundam factis, qui ognitam veritatem non tantum abjiciunt, sed etiam quoad possunt abscurant, et opprimunt, publicum scriptum opponeremus, quum nostra

veritatis confessio et defensio iam antequam Vestras Literas accepissemus et privato quorundam et nobis et publico nomine, tum Latinis, tum Germanicis scriptis editis, ut harum Ecclesiarum Catechesi ordinatione, defensione, catecheseos contra calumnias adversariorum, et explicatione controversiae de Coena Domini seorsim scripta, in publicum prodierit, et vobis antequam peteretis, obtemperatum a nobis esse, et nunc his, quos diximus libris ad vos missis, si forte nondum eos, quod existimamus tamen factum, accepissetis etiam sine prolixiori et publica responsione satisfactum iri postulationi Vestrae speravimus etc. Valete Fratres Charissimi et Optimi et confortamini in Domino. Datae Heidelbergae Kal. Septembris Anno D. 1564. Vestri amantissimi Fratres Professores Theologiae in Academia Heidelbergensi.

K.

Synodi Nationalis Szathmár Nemethini 1646 convocatae Conclusio IIda. Ut autem eo arctiore inter se vinculo connecti possent (Ecclesiae) aequissimum Sanctae Synodo visum est, ut publica aliqua Confessio Apostolicae ac Helveticae correspondens communi nomine Latine et Hungarice breviter concipiatur. Cui publicae adprobatae ab omnibus concorditer subscribatur, ac praeterea eadem ubique Catechesis Heidelbergensis seu Palatina retineatur ac doceatur. Conclusio XII. — Quocirca si non frequentius saltem diebus Dominicis a meridie Conciones catechesicas juxta seriem Dominicarum in quas Heidelbergensis est distributa, ex quodam Canonicae scripturae loco assumpto habeant. Conclusio XIX. — Propheticam et Apostolicam, quae in Confessione Helvetica ac Catechesi Heidelbergensi comprehenditur sententiam (studiosi in Academiis) addiscent eandemque et non aliam quandam reduces facti, domi docebunt.

L.

Extractus Instantiae liberae ac Regiae Civitatis Debretzinensis pro Typographia civica XI Junii 1759 porrectae.

Nam ne Majestatem Sacratissimam lateat, eo jam hoc in negotio ventum est, ut nobis apud 2 Commissionem Religionis, non tantum meliores Classici, et magis necessarii Pietatis libri notentur, difficultenturque, verum etiam ipsi Symbolici apud omnes omnium Gentium Ecclesias Helveticae Confessioni addictas, recepti et antiquissimi in dubium vocentur, et sine censura ac speciali indulto recudi vetentur, non aliter quam si vel hanc Debretzinensem, vel etiam alias Ecclesias Hungaricas collective sumptas pertineret. Libros symbolicos vel corrigere vel variare. Ast vero Clementissima Domina, quemadmodum hoc tentare

ingentis arrogantiae esset, ita vel sola humana prudentia (ne jam reluctantis conscientiae monita memoremus) contrarium nos facere iubet. Quid enim esset aliud a libris symbolicis resultum facere, quam omnibus quibus placuerit, nudum latus porrigere, ut nos feriant et mox coram Throno Majestatis Vestrae Sacratissimae et apud Excelsa ejus Dicasteria accusent, tanquam homines inconstantes, novaturientes, et Religionem, Rem Divinissimam susque deque miscentes? Quod cum nobis facere non liceat, nec sane expediat, ipsamet Majestas Vestra Sacrat. sapientissime perspicit, quo jure, quove fine praetendatur Librorum Symbolicorum Revisio sive a Delegatis Censoribus sive etiam ab ipsa Religiosa Commissione apud Excelsum Consilium ordinata etc.

M.

Prudentes ac circumspecti nobis honorandi! Quandoquidem sua Majestas Sacratissima, sub dato 12ae currentis, ex decem libris illis, quos liberae et Regiae Civitatis hujus Magistratus Typis mandandi facultatem tribui petiit, sequentes, utpote: A Keresztyen Hitnek fö Agazatinak fundamentomi, Castellionis Dialogi Sacri, A Szent Irásnák épületes és idvességes olvasására való Janátsadas, censura notatos. Sequentes autem: Kegyelem Szövetsége A Szent Dávid száz ötven soltári, ugy a mint a fel küldetett Gradualéban vagynak, és a Soltaroknak négyes Kotáinak tsupán a Tenora, cum suis versiculis nondum revisos; ideoque primi ordinis libros reponendos; alterius vero proximius revidendos, et si nihil censura dignum continent, uti et subsequos nempe: A sz. Historiának rövid summája a Holnapnak minden napjára való Keresztyeni elmelkedések. Abecedarium Latino-Hungaricum et Eutropii Breviarium Romanae Historiae Typis mandandos clementer admisisset: Benignissimam proinde hanc Caesareo-Regiam Resolutionem, eidem civico Magistratui pro sui notitia et directione Consilium hoc Regium Locumtenentiale intimandam duxit. Datum ex Consilio Regio Locumtenentiali Posonii die XX Mensis Martii 1753 celebrato. Eorumdem Benevoli Comes Ludovicus de Battyan mp. Georgius Fabianhovits mp. Josephus Timon. mp.

§ XXII. Supplicem Libellum Reformatorum in Comitatu Borsod existentium ad Regium Majestatem integrum exhibere destinaveram; verum cum adverterem easdem, quae in Debretzinensium Apologia fuerunt, occurrere quoad rem ibidem considerationes ac demonstrationes, exhibebo initium ac finem peculiare quidpiam continentem.

Sacratissima Caesareo-Regia Majestas Domina, Domina naturaliter Clementissima!

In puncto duplicis ordinis Librorum nostrorum, quorum prioris Christianus Catechismus, per Georgium Vintze anno 1703 Debret-

zini, alterius vero: Fundamenta articulorum Fidei Christianae. Titulus est, per Paulum Viski anno 1731 aeque Debretzini impressorum confiscationem praecipiens gratiosum Excelsi Consilii Regii de dato XVIImae Januarii anni currentis 1757 emanatum Intimatum, in hoc quoque Incl. Comitatu publicatum, ac properato ampliori etiam effectui mancipatum est, dum videlicet eorundem Librorum non tantum per Excelsum Consilium Regium restrictive declarata, sed indiscriminatim aliis etiam occasionibus et per alios impressa exemplaria, authoritate Magistratuali adempta ac Excelso Consilio Regio instantanee submissa sunt. Diffiteri non possumus graviter hac re perculsos esse animos fidelium Maiestatis Vestrae Sacratissimae subditorum Helveticae Confessioni addictorum; eorum vero imprimis qui gravitate negotii penitus perpensa periculosas tali ex facto omnibus Fidei consortibus enascendas consequentias praesaga mente non invanum metuunt.

Sed erigit nos non minus causae nostrae aequitas, quam innata Majestatis Vestrae Sacratissimae clementia, qua adflictos erigere, consolare miseros sine fine consuevit, cuius unice in benignitate omnem nostram spem post Deum collocantes in omni humilitate defensionem horum Librorum suscipiendam esse, eorundemque originem fata et authoritatem, qua in Ecclesiis Reformatis pollent, venerabundi proponere constituimus (NB. Defensio ea incidit cum superioribus atque ita posteriore supplicis libelli tantum partem exhibebo.)

Confugimus itaque supplices ad Thronum Gratiae Majestatis Vestrae in omni submissione orantes, dignetur Majestas Vestra Sacratissima aequitatem hoc in passu causae nostrae respicere, ac clementissime considerando, quod si duo hi libelli nobis eriperentur, nisi similes alii confestim conscribantur, actum omnino foret, de erudienda in Fidei dogmatibus Juventute Religionis nostrae Hungarica, quid autem interesset, hos ne pati potius vel alios iisdem verbis conscribendos concedere, cum durante Religione nostra Catechismis carere nequeamus, alios vero seu alterius speciei Catechismos, quam praesentes sunt, veluti symbolicos et ad omnes etiam aliarum Gentium et Nationum Ecclesias pertinentes conscribere, neque ad nos pertineat, nec scribere valemus, nec scimus, ab his vero principiis in conscientiis nostris, adeoque ab unione universali, Helveticarum Ecclesiarum salvis conscientiis nullo modo recedere possumus. Duraturam vero Religionem nostram et per Leges Patrias et per Benignitatem Majestatis Vestrae Sacratissimae, certi sumus. Dignetur itaque Majestas Vestra Sacratissima, clementissime ordinare, ne nos omni culpa vacuos, contra Jura Gentium, quo omnes ubique Receptae Religiones in usu Librorum suorum symbolicorum manutenentur contraque Leges Patrias et benignas gloriosae reminiscentiae Praedecessorum suorum, suamque propriam Resolutiones, his privati, hocque pacto, nobis totique Religioni nostrae,

tantam vim inferri patiatur, ut ademptis erudiendarum in scholis tenerarum mentium mediis, non haec media Religionis, sed ipsam Religionem sufferendam intentionari sentiamus. Imo cum vel ipsa inveterata consuetudo seu mos tacito populi consensu, introductus, et Legem tollere, tantaeque firmitatis esse soleat, et nisi praemonitus, antiquae consuetudini innixus Populus innocenter peccare videatur, Catechismos vero hos non tantum qua Symbolicos, nec tantum qua ultra seculum adeoque longissimi temporis consuetudine introductos, sed et qua cum ipsa Religione Receptos, et miseri cives emere, et Bibliopolae comparare innocenterque distrahere soliti, cum in mercibus, rebusque suis nunquam prohibitis, sine manifesta injuria damnificati nequiverint. Dignetur Majestas Vestra Sacratissima id etiam clementissime ordinare, quatenus, exceptis si quae ne fors per fraudem edita extitisse deprehendi valuerint, et Nobilibus et Civibus, et Bibliopolis et Ecclesiasticis adempta numerosissima legitima Exemplaria restitui, et nos omnes in legali, et hactenus semper exercito praementionatorum Libellorum usu, Religionisque nostrae exercitio liberi ac tuti permanere valeamus. Quam Gratia Majestatis Vestrae Sacratissimae, aeternis homagialibusque obsequiis promereri adnitentes perseveramus.

Majestatis Vestrae Sacratissimae

Humillimi perpetuoque Fideles in inclyto Comitatu Borsodiensi Residentes Helveticae Confessioni addicti Subditi.

§ XXIII. *Suplex Libellus Debrecinensium. — Ceharum Magistri consultant, quid sit agendum. — Magistratus in excusationem Ceharum se parat.* — In Hungaria adstringebantur Mechanicorum contubernia ad redimenda pro Cehis nova Privilegia, quibus inserti erant Articuli cerimonias Protestantium Religioni contrarias complectentes, quos ubi contra conscientiam amplecti non possent, Debrecinences medio Magistratus sui Libello supplici efficacissime deprecati sunt. Cum Religio hic subversetur, eruditissimeque sit contextus totum Libellum exhibendum censeo.

Sacratissima Caesareo-Regia et Apostolica Majestas, Domina, Domina naturaliter Clementissima!

Intimaverat nobis consilium Majestatis Vestrae Regium Locumtenentiale sub dato 5ae Octobris Anni praeteriti eam esse Majestatis V. Sacratissimae voluntatem, ut Mechanici omnes in hac libera ac Regia Civitate degentes in quantum Privilegiis Regiis in praesens destituerentur, iis quantocyus provideantur, vel etiam si Privilegia haberent, sed non moderno systemati accommoda, ea debito modo et norma regulentur.

In vim igitur hujus Benignae Regiae voluntatis, mox nos cuncta opificum contubernia, ad omnia quae in eodem Intimato praecipiebantur

edocueramus, et insuper monueramus, ut se extrahendis Privilegiis, sine mora accingerent, et Projecta Articulorum suorum Cehalium, primo a nobis revidenda, post vero Regio Locumtenentiali Consilio quantocyus submittenda exhiberent. Illi vero vel potius eorum Cehae Magistri exaudito Mandato respirium a Nobis petierunt, negabant enim se absque consensu reliquorum contubernalium in hanc vel illam partem quidquam respondere posse. Tandem igitur post moram loco Projectorum Imperatorum Memorialia nobis exhibuerunt, quibus conabantur quidem, se quaestus sui tenuitate excusare, quod ex opificio aegre victum et contributionem lucrari possint, simul tamen submisse declarabant, se eo non obstante paratos esse ad obsequium. dummodo. quod sperarent, salva illis maneret conscientiae libertas, id est: nullae Privilegiis ipsorum insererentur clausulae. quibus ad cerimonias Religioni suae contrarias obligarentur. In tales enim clausulas consentire vel eas acceptare salvis conscientiis non possent, uti hoc Articulo etiam XXV anni 1681 cautum esset. Haec omnia repraesentavimus Consilio Majestatis V. Regio Locumtenentiali in Litteris nostris de dato 25 Aprl. quibus ipsa etiam contuberniorum Memorialia adjunxeramus.

Ad has rescripsit nobis idem Consilium Regium Locumtenentiale sub dato 19ae Maji in haec verba: Quod difficultates respectu extrahendorum Benignorum Privilegiorum adductas, nec non cautionem in eo interpositam, attinet, ne clausulae ullae conscientiis ipsorum vim causantes Privilegiis interserantur. Quoniam positiva et determinata sit Majestatis V. Sacratissimae ordinatio, ut Mechanici omnes Privilegia Regia moderno systemati accommoda extrahere teneantur. Hinc quemadmodum summe fata Majestas Vestra, haec omnia, quae in praemissis adducuntur, vel ex eo jam benigne praevenisset, quod in casum egentioris, horum vel illorum Mechanicorum status clementer concedat. ut pro ratione eorum compatibilitatis, plures etiam diversae sortis Mechanici, pro eodem benigne Privilegio concurrere possint, quodve Taxam facultatibus eorum accommodandam benigne providerit. quod denique, clementer concedat velitque, ut priusquam Privilegia ejusmodi expediantur ipsi Mechanici Projectum Articulorum suorum conficiant. Ita nos ad exigentiam voluntatis Majestatis V. Mechanicos de his ipsis edocendo, eo instruamus, ut sub poena effectivae ab opificio illorum suspensionis Projecta Articulorum suorum nobis Magistratui exhibeant, et haec eadem per nos revidenda cum Reflexionibus nostris si quae occurrerint a dato hujus Intimati intra trium Mensium spatium, eidem Regio Locumtenentiali consilio repraesentemus. Catalogum vero coetuum interea etiam submittamus, exprimendo quoad singulos an et qualia habeant Privilegia?

Hoc Intimatum ubi nos coram Magistris omnium Coetuum in prae-

sentiam nostri accersitis solenniter publicandum, et ad captum omnium Lingua etiam Vernacula interpraetandum curassemus, Ceharum Magistri, ut Mandata cum coetibus suis communicare possent, aliquot dierum respirium petierunt. Quo transacto iterum citati coram nobis comparuerunt, et singillatim interrogati, responderunt se ea, quae acceperant Mandata contuberniis suis fideliter exposuisse. Contubernia vero ut ante, ita nunc etiam declarare velle, se absque ulla tergiversatione Mandatis morem gerere, Privilegia extrahere; sed ut ejusmodi Privilegiis cerimoniae Religioni ipsorum contrariae inserantur, in hoc per conscientiam consentire non posse. Ne autem hoc nomine quod conscientiis suis consulant, pro refractariis habeantur, enixe a nobis flagitare, ut rem ad Clementissimam Dominam suam, Majestatem quippe nostram Sacratissimam deferamus, expositisque ejus momentis ad genua procumbentes pro Pace et Libertate conscientiarum suarum impense quantum possumus supplicemus. Quamvis enim sequentia Intimati verba: Quemadmodum summefata sua Majestas, haec omnia quae in praemissis adducuntur, vel ex eo benigne jam praevenisset, quod denique clementer concedat, velitque, ut priusquam Privilegia ejusmodi expediant, ipsi Mechanici, Projectum Articulorum suorum conficiant etc. spem aliquem anxiis eorum animis ostendere videantur, propius tamen considerata eosdem in dubio relinquunt, eo quod propositae difficultatis, nec affirmativam, nec negativam contineant. Et quum Privilegia moderno systemati accommoda extrahere jubeantur, nescire se annon per hoc exemplum, nonnullorum Benignorum Privilegiorum Contuberniis aliarum Civitatum Concessorum, quibus religiosarum ejusmodi cerimoniarum observationem insertam esse audiunt, innuatur.

Permoti igitur non modo precibus, quae cum summa obtestatione proponebantur, sed numero etiam adsistentiam Magistratus sui implorantium, imprimis vero rei ipsius praecellenti gravitate constricti ad Sacrum Majestatis V. Thronum geniculando adrepimus, et antequam Quaestionis substratae dilucidationem adgrediamur, id primum et ante omnia a Majestate Vestra Sacratissima per singulare illum et orbi notum, quo erga Veritatem et Justitiam fertur amorem petimus, ut liceat nobis ea, quae ad enucleationem materiae hujus pertinent, tum summa quidem et homagiali veneratione, candide tamen et libere proponere. Deinde ut Majestas V. Sacratissima ea quae a nobis dicentur, benignis auribus excipere, et sapientissime expendere dignetur. Justum enim est Clementissima Domina, ut in hujusmodi maxime causis, Rationes et Argumenta audiantur et expendantur, in quibus non de iis quae ad hanc vitam transitoriam ejusque bona fugacia et fallacia pertinent, sed de iis quae aeternitatem vel feliciter vel infeliciter sine fine agendam respiciunt. Deque obligatione illa Quaestio agitatur, qua subditi Majestatis Vestrae Sacra-

tissimae obstricti sunt Regi Regum et Domino Dominantium Jesu Christo Redemptori nostro. De his vero unusquisque ipse pro se respondebit in consumatione seculorum, nec quisquam alienae conscientiae aut vadimonio stabit aut cadet, sed suo proprio. Nam oportet nos omnes sisti ante tribunal Jesu Christi, ut unusquisque reportet, prout fecit in carne sive bonum, sive malum; 2 Cor. V. 10. Cerimoniae ergo illae, quae hujatibus opificibus Helv. Conf. addictis, hac vice injunguntur, sunt: Processiones, seu Sacrae Deambulationes in Ecclesia Romano-Catholica usitatae, et Missae Sacrificium. Quid vero de utroque inde ab initio actum, scriptum ac disputatum sit, non tantum per Hungariam, sed per omnes Christianitatis angulos et fines, nominatim vero in Comitiis Augustanis Imperii R. Germanici, sub invictissimo Monarcha Carolo V ea omnia adducere velle, non aliud esset quam bonitate et patientia Majestatis V. Sacratissimae inconsiderate abuti. Quare nos ea tantum producemus, quae cogitantibus, sponte semet offerent, et quasi suapte poni desiderabunt. Utpote

1. *Rationes cur detrectant Privilegia. — H. C. addicti Sacramento C. D. adorare non possunt.* — Cum in Sacrificio Missae Sacramentum, sive Corpus Domini Latriae cultu, hoc est, plane Divino adoratur, R. Catholici quidem, qui credunt ipsum Jesum Christum aeternum Deum et Hominem corporaliter ibi praesentem esse, et credendo adorant, contra conscientiam non faciunt. Sed si Corpus Christi sacramentaliter tantum et spiritualiter sit praesens, corporaliter ante nihil ibi sit, praeter Panem consecratum, ut H. C. addicti persuasissimi sunt, manifestum est hos immani crimine semet obstricturos, si contra conscientiam et contra ipsam adorationis naturam Divino cultu venerarentur, id quod nihil nisi panem esse credunt, licet consecratum et sacramentalem. Agnoscunt hoc Theologi R.-Catholici, e quibus sufficiet, nunc Bellarminum, Richelium, Antonium de Dominis et Abrosium Catharinum Episcopum Campsanum nominare. Quorum ultimus in Libro contra Cajetani dogmata, his verbis sententiam suam explicat. Ita se res habet cum non consecrata Hostia, Deus enim et Christus non simpliciter adoratur, sed quatenus sub forma panis et vini existit. Quare si ibi non sit, non Christo sed creaturae, Divinus iste cultus defertur. Proinde et ibi idololatria est.

2. Nec obstat, quod in eo, fortasse errent H. C. addicti quod Christum ipsum proprie et corporaliter in Sacramento praesentem esse non credant. Nam ad hoc ut quis contra conscientiam faciat, satis est etiam erronee credere, id quod facit fieri non debere. Et si errant non ex levitate, aut contradicendi libidine, aut respectu aliquo humano, sed gravissimis rationibus adducti errant, dum negant Panem transsubstantiari, et argumenta illorum, quae tum ex ratione, tum ex scripturis

Sacris, tum ex Patrum veteris aevi testimoniis petunt, tanti saltem sunt ponderis ut Theologis R. Catholicis negotium facessant, quoties ea refellere conantur, et cum refutaturi spissa volumina conscribant, idque multorum annorum labore, ut in Patria nostra nunc etiam accidit, eo ipso testatum faciunt argumenta H. C. addictorum non esse spernenda, sed omnia saltem talia, quae hominum conscientias (erroneas vel non erroneas nunc non quaerimus) possunt expergefacere ac etiam ligare; id quod fortissimus Athleta R. Ecclesiae Cardinalis Bellarminus agnovit, Lib. III de Eucharistia Cap. 23. Licet enim scripturam de Transsubstantiatione claram esse dicat, fatetur tamen, an ita sit merito dubitari posse, cum homines, doctissimi et acutissimi qualis imprimis Scotus fuit, contrarium sentiant.

Adrianus etiam sextus Papa Quodlibet § X secutus authoritatem Concilii Constantiensis, vult adorari Sacramentum cum dubitatione: Adoro te si Christus es, quanto magis Helveticae Confessioni addicti, dubitare possunt, qui clarum illud testimonium in scripturis non inveniunt, et doctiss. acutissimumque Cardinalem et imprimis Pontificem dubitare vident, sive igitur errent, sive non Missae et Processionibus in quibus Sacramentum Divino cultu honoratur interesse in eoque cultu participare non possunt, nisi conscientiis suis vim inferre velint. Inter causas etiam secessionis ab Ecclesia Romano-Catholica, hoc praecipuum habebant Protestantes, quod Missae interesse nollent, ac uti loquebantur, illaesa conscientia nec interesse possent.

3. *Sancti in Processionibus coluntur.* — Religiosae Processiones sunt etiam in honorem Sanctorum, qui Precibus et Hymnis deambulantium R. Catholicorum invocantur, et coluntur. Absit quidem ab H. C. addictis, ut debitum honorem Sanctis Dei, quos tales esse constiterit, negent. Nam qui Parentes suos, Praepositos Magistratus, supra omnes vero mortales Reges honorare didicerunt, quidni honorarent Sanctos, imprimis Sanctissimam et Beatissimam Deiparam Virginem Mariam. Dicunt tameni cum Ecclesia Smyrnensi in Epistola de Martyre S. Polycarpo: De filium adoramus, at Martyres (et Sanctos alios quosvis) tanquam Dei discipulos imitatoresque amamus, ut aequum est, ob summam in suum Regem ac Magistrum benevolentiam, quorum utinam simus socii et discipuli. Religiosum autem omnem cultum negant Sanctis H. C. addicti memores ejus (praeter alia innumera) quod S. Paulus vehementer exprobravit Galatis Cap. IV, v. 8, quod Duliae cultum detulissent illis, qui natura non sunt Dii, fatentibus etiam R. Catholicis, neque pro Intercessoribus suis apud Deum eos agnoscere possunt H. C. addicti, cum idem S. Paulus edixerit 1 Tim. II, 5: Unus est Deus, unus Mediator Dei et hominum, homo Jesus Christus. Nec distinctiones scholasticorum aut decreta humana

et Ecclesiastica, quae et ipsa humana sunt, efficere possunt, ut ab Apostoli sententia praecise et stricte ut verba sonant intelligenda, vel latum unguem discedant H. C. addicti. Quando ergo ad Sacras Deambulationes adigerentur, illum Sanctis honorem deferre juberentur, quem soli Deo et aeterno Dei filio Jesu Christo deberi ex Dei Verbo convicti credunt in conscientia.

4. E numero Doctiss. R. Catholicorum, qui hunc Articulum tractarunt unicum Lamindum Pritanium, sive Muratorium, pro teste adducimus, qui de Ingeniorum Moderatione Lib. II. Cap. 14 multa habet huc pertinentia, et mentem suam ita exprimit: Sanctis ipsis Martiribus et reliquis beatis etc. Deiparae potissimum debemus honorem non exiguum, sed immoderato et minime laudabili zelo ardebit, quisquis talem ipsius honorem defert, qualis uni Deo convenit, aut ab ipsis ita poscit, ac expectat, non temporalia solum munera, sed ipsam peccatorum remissionem; optat in sequentibus ut Ecclesiarum praepositi, suos recte informent, aut viros peritos in consilium adhibeant, alioquin inquit, superstitio immane malum, et aeque ac ipsae haereses formidandum invalebit.

Nolumus Clementissima Domina! conclusiones facere ex his Muratorii verbis, suffecerit nunc ea allegasse. Principis vero Trautsonii nuperi Viennensis Archiepiscopi hac in re sententiam in Litteris suis Pastoralibus expressam, et Muratorio per omnia consentaneam, vel allegare superfluum ducimus, eo quod Litterae illae obviae sint et manibus omnium terantur. Haec talia ac tanta sunt ut merito quaeri posset, an Ecclesiarum Praepositi satisfecerint Pio Praesulis et Doctoris illius desiderio. Et annon in hanc diem plerisque in locis, contraria omnia eveniant. Si itaque H. C. addicti Processionibus interesse juberentur, ad talem compellerentur cultum, qui fatentibus ipsis R. C. Doctoribus, emendatione indiget.

5. Qui credit hunc vel illum actum verbo Dei esse prohibitum (recte an perperam credat nihil interest) id etiam necessario credere debet, se contra Praeceptum Dei peccaturum, si in actu illo participet. Et si eo non obstante participat, Deo illudit. Peccat etiam contra dictamen Conscientiae, et sic contra semet ipsum. Divus Paulus docet ad Roman. XIV, 23 eum qui ambigit, si ederit condemnatum esse, quoniam non edit ex fide; quicquid vero ex fide non est, peccatum esse. Si itaque is qui dubitante conscientia, rem alias licitam facit peccat, ac propterea damnatur, multo gravius is peccat, et majori jure damnatur, qui non jam dubitante sed plane reclamante et redarguente conscientia, animique sui judicio quidpiam facit. Peccat etiam contra proximum, objecto fratribus suis enormi offendiculo. Et quod enim magis

dari posset scandalum, quam veritatem, cui adhuc corde adhaeret, ore etiam testimonium perhibet, facto vel externa actione abnegare et prodere. De talibus dixit Salvator: Quisquis autem offendiculo fuerit, uni ex parvis istis, qui in me credit, praestiterit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus ac demergatur in profundo Maris. Vae Mundo ab offendiculis, necesse est enim ut eveniant offendicula, verum tamen vae homini illi, per quem offendiculum evenit. Matt. XVIII 6. 7.

Sexto. Tenentur autem Christiani Doctrinam, quam veram et Evangelicam esse credunt, etiam publice eoram Mundo profiteri, in eaque constanter perseverare. Nam corde quidem credimus ad justitiam, sed ore confitemur ad salutem, ut docet Apostolus Rom. X. 10. Quisquis confitebitur me, inquit Christus Dominus coram filiis hominum, confitebor ego quoque eum coram Patre meo, qui est in coelis. Qui vero negaverit me coram filiis hominum, negabo eum ego quoque coram Patre meo, qui est in coelis, Matt. 10. 32. 33. Hinc illa gloriosa Confessorum ac Martyrum nomina, illorum quidem quod propter nomen Christi, persecutiones, carceres, aliasque afflictiones sustineant, et interea veritatem Evangelicam constanter confiteantur, horum vero, quod in ipsa etiam morte fidele eidem testimonium perhibeant. Ad hanc Christianam constantiam hortatur suos Dominus Apoc II, 10: Esto fidelis usque ad mortem et dabo tibi coronam vitae.

Septimo. Peccatum contra Spiritum S. quod Salvator noster Matt. XII 32: Neque in hoc seculo, neque in futuro remissum iri, pronunciat. Multi eruditissimorum Theologorum, de hac externa veritatis abnegatione intelligunt, saltem censent eam primum peccati illius esse gradum, qui igitur summa cura vitandus est, ne mox justo Dei judicio qui subinde peccata peccatis punire solet, propter conculcatam conscientiam, nobis ipsis relinquamur, et mensuram hujus horrendi peccati, de gradu in gradum procedendo, plane penitusque impleamus.

Octavo. Niveus ille candor, quo subditos cum suo Principe, agere oportet, quemve rei substratae natura exposcit, non patitur ut dissimulemus exemplum nonnullorum H. C. addictorum, in quibusdam Civitatibus, Sacra et Cerimonias Ecclesiae R. Catholicae frequentantium, quod ne fors speciose contra nostros allegari posset, sed cum horum factum ad eam, quam supra exposuimus conscientiae normam examinandum sit nec adprobari, nec reliquis fratribus fraudi esse potest. Dantur enim inter pios etiam Christianos infirmi in fide, qui tentationibus succumbunt et labuntur. Gravis tamen est tentatio pro infirmis, quando victus illis subtrahitur, et antequam didicerunt, panem quotidianum pro se et parvulis quaerere prohibentur, aut vero frequentibus et gravibus mulctis

exsuguntur, nisi fuerint obsecuti. Fuerunt in vetere etiam Ecclesia Christiana Sacrificati et Thurificati qui Templa Ethnicorum adibant, ibique incensa offerebant, et Sacrificiorum participes se reddebant, Libellatici dicti a libellis, quos Magistratibus Ethnicis dare vel ab illis accipere solebant, ut a faciendis publice sacrificiis, immunes essent, hoc est, scripto negabant se Christianos esse, etsi revera essent; vel promittebant se sacrificaturos, si a Magistratibus ad id vocarentur. Traditores, qui libros Christianorum et imprimis Sacrum codicem Ethnicis tradebant, aut etiam Fratres denunciabant et prodebant. Hi omnes communi nomine Lapsi vocabantur, et Disciplinae Ecclesiasticae subjiciebantur. Illi quidem, qui simul ac persecutio suborta esset, antequam vis illis inferretur, Templa adibant, et ultro sacrificia offerebant, severius, illi vero qui per vim compulsi sacrificabant mitius per Ecclesiam tractabantur. Similem disciplinam restituti Ecclesiae etiam H. C. addictae optarent, sed conditio earum deplorata, in qua gemendum tantum est et suspirandum, id hactenus non est visa pati. Quicquid tamen ejus sit, et quid Deus ipse fieri jubeat ferendum.

Patet ex his quod H. C. addicti, nisi ipsimet conscientiis suis, vim inferre, Deumque offendere velint, in illis R.-Cath. Eccl. ceremoniis participare non possint. Ac proinde opifices justissimam ac gravissimam habeant causam, quod Sacratissimae Majestati V. pro libertate conscientiarum suarum humilime supplicent, ne scilicet ad eas inviti cogantur, tanto minus mulctis aliisque poenis adigantur. Cum a Religione iis externa, metus, et quaecunque coactio procul abesse debeat, et probe sciamus Majestatem Vestram Sacr. nullum sibi in conscientias vendicare velle imperium. Nam

Primo. Summa Religionis haec est, ut recte de Deo rebusque Divinis sentiamus. Eum pura mente colamus. Prius ad intellectum, posterius ad voluntatem refertur. Intellectus hominis rationibus tantum et argumentis movetur, sed coactioni externae non est obnoxius, nullis enim tormentis effici posset, ut quis credat esse verum, quod scit esse falsum e.g. ut credat ter tria esse septem; sed nec ipse proprium cogere potest intellectum, etiamsi maxime velit, imo ne cogitationes quidem in sua potestate habet; frequenter enim talia cogitat. quae cogitare nollet, et quae vellet saepe cogitare non potest. Voluntas hominis semper intellectum sequitur, et ab eo nunquam divelli potest, illud enim quod per vim elicitur, non est voluntas, sed noluntas hominis.

Secundo. Et quamquam Deo omnipotenti absolutum in hominum mentes competat imperium, ita tamen illis imperat, ut libertatem, quam semel illis indidit, dum nempe eas ad sui imaginem creavit, nunquam auferat, sed quoties flectere vult, sive ordinariis, sive extraordinariis

mediis, semper tamen convincat, et hominem in ipso etiam Regenerationis actu, non ut stipitem, sed ut liberum agens tractet.

Tertio. Vult ergo Deus, dum in mentem hominis liberam ipse etiam naturae ejus convenienter agit, ut fundamentum credendi sit nihil aliud quam vis veritatis, ea nempe, quam in rationibus, et argumentis deprehendimus, ita ut propter nullam aliam rem credamus, sed unice propter vim veritatis ad conscientiam demonstratae, quo ipso omnis coactio externa excluditur.

Quarto. Quemadmodum in ultimo die tam de fide, quam de operibus, quisque pro se rationes reddere tenebitur, ita etiam tenetur Religionem sibi propositam non prius amplecti, quam de illius veritate ac Divina Sanctitate convictus fuerit, juxta illud Apostolicum, omnia probate, quod bonum est retinete.

Quinto. Inde etiam adparet Conscientias cogi non debere, quod imperium in eas exerceri non posset, etiamsi maxime vellent Imperantes; ut innumera Martyrum exempla testantur, qui nullis poenis, nullis tormentis, nullis suppliciis adigi potuerunt, ut veritatem saltem ore ejurarent, ne dum ut corde ab ea deficerent, adeo verum est illud, quod ait Thuanus: Caetera legibus humanis subjici, Religionem solam nec cogi, nec imperari posse.

Sexto. Vis externa, ut verbis Junii Bruti utamur, efficere non potest, ut quis aliter sentiat, quam sentit; sententia animo externa vi nec imprimi potest nec extorqueri, id tantum vis potest efficere, ut quispiam aliter loquatur quam sentit, et Religionem quam animo improbat verbis probet. Atqui et Deo hujusmodi simulatio, et hypocrisis Ecclesiae, quia hypocritae sunt illi clandestini hostes, quos Ecclesia velut serpentes in sinu suo fovet, Ecclesiam enim, qua se durissime premi credunt, non possunt non odisse et ejus perniciem optare, et si possint machinari. Ipsis hypocritis noxia est, quia sempiternum illis exitium offert. De servo illo malo dicit Servator: Matt. XXIV, 50 quod Dominus ponet ejus partem cum hypocritis ibi erit ploratus et stridor dentium. Deus certe ne professos quidem sceleratos magis aversatur, quam Hypocritas et simulatores, qui duplici sunt corde et in utramque partem claudicant, quorum numerus, cum non augendus, sed minuendus sit, Religio Christiana cavebit potius quoad ejus fieri poterit, ne simulatores in Ecclesiam Christi irrepant; tantum abest ut vel invitos singulare cogat. Nec est causa cur H. C. addicti, ad Deum colendum adigi debeant, cum ei soli serviendum esse, et ratio et verbum Dei, dudum eos docuerit. Certum tamen est illos H. C. addictorum, qui modum Deum colendi externum a conscientia sua abhorrentem admitterent, licet inviti, meros fore hypocritas, atque ita abominabiles in oculis Dei.

Septimo. Indifferentismum et Libertinismum omnis veri nominis Christianus ex animo detestatur. Sacratissima autem Majestas vestra aversum ab ista profanitate animum, verbis illis plane Apostolicis declaravit, quae mox adducemus. At Libertinorum et Indifferentistarum est credere quod volunt in corde, externe autem quosvis ritus, etiam quos in sinu suo vident, observare, et se ad quarumvis Religionum consuetudines et cerimonias accommodare. Jam vero id ipsum est, quod opifices nostri facere juberentur, si ad cerimonias Religioni suae contrarias compellerentur. Nam sic inviti ad profitendum Libertinismum et Indifferentismum cogerentur. Ejusmodi autem pestium etiam si plures in detestabilem illam militiam nomina dare non cogantur, nimis hodie terra ferax est, adeo ut orandum sit, ne Deus Christianismum, illo profanitatis et impietatis diluvio, quod sane metuendum est, nostro maxime tempore obrui patiatur.

Sed dicunt: In gentiles quidem Muhammedanos et Judaeos nihil juris Ecclesiam sibi tribuere nisi suadendi atque hortandi, ut suis erroribus abdicatis, cum Religione vera consentiant, sed in Haereticos solos jus esse Ecclesiae, quos ideo, quod ab ejus communione sese exemerint, a sua ditione solutos non credit, eos ergo posse suis urgere armis, quo illos in suam caulam rursus perducat, armis np. Spiritualibus, excommunicatione, ac diris omnibus. Ad Reges autem seculique Principes spectare salutaribus etiam poenis sollicitare devios, aut alienos a fide, ne in errore diutius perstent, neve eidem immoriantur?

Augustissima Domina! Multa quidem ad haec responderi possent, sed haec pauca sufficient jure ommino suo uti Ecclesiam, quando in Haereticos censuram exercet Ecclesiasticam eosque excommunicat. Sed ubi semel omnia arma sua Spiritualia expediverit, et ad extrema venerit, Haereticos diris etiam devovendo et Satanae tradendo, eo ipso omni in eos ditioni renunciavit. Nam ditio ejus non ultra extendebatur, et qui Satanae traditur non est amplius in ditione Ecclesiae nisi sponte redierit. Quae enim participatio justitiae cum iniquitate, aut quae Societas luci ad tenebras quae autem conventio Christi ad Belial? 2 Cor. VI 14. Nec posset dici quale aut qua tandem in re situm sit Jus illud Ecclesiae in Haereticos, quos armis spiritualibus in caulam suam reducere non potuit et Orco addixit, nisi in suadendo et hortando? Nam non est Religionis cogere religionem ut ait Tertullianus, quae sponte suscipi debet non vi.

Poenae etiam, quibus Christiani Principes errantes et devios sollicitare jubentur, salutares esse non possunt, uti jam supra ostensum est, nam ad augendum quidem Hypocritarum et simulatorum numerum aptae sunt, sed non ad convincendum animum, quem in errore confirmant potius, ac errori fidem conciliant, contra vero Religionem pluribus etiam

suspectam reddunt, qui enim ad violenta consilia descendunt, ostendere videntur desperare. Memoratu digna sunt in hanc rem S. Hilarii verba: Oro, inquit vos Episcopi, qui hoc vos esse creditis, quibusnam suffragiis ad praedicandum Evangelium Apostoli usi sunt? Gentesque fere omnes ex idolis ad Deum transtulerunt? Anne aliquam sibi adsumerent e Palatio dignitatem, Hymnum Deo in carcere inter catenas et post flagella cantantes? Edictisne regiis Paulus cum in theatro spectaculum ipse esset, Christo Ecclesiam congregabat? Nerone aut Vespasiano aut Decio patrocinantibus tuebatur. Quorum in nos odiis confessio Divinae praedicationis effloruit. Illi manu atque opere se alentes intra coenacula, secretaque coëuntes vicos et castella, gentesque fere omnes, terra ac mari contra Senatusconsulta, et Regum edicta peragrantes claves credo regni coelorum non habebant? Aut non manifestam se Dei virtus contra odia humana porrexit? Cum tanto magis Christus praedicaretur, quanto magis praedicari inhiberetur? At nunc proh Dolor! Divinam Fidem suffragia terrena commendant, inopsque virtutis suae Christus, cum ambitio nomini suo conciliatur, arguitur, semet exiliis carceribusque Ecclesia sibi cogit quae exiliis et carceribus est credita.

Frustra quis excipiat poenas et vexationes, non ad convincendos, sed excitandos duntaxat animos adhiberi, ut Haeretici adtentius in veritatem oculos convertant, ejusque investigationem suscipiant. Nam qui animum ad studium inquisitionemque veri vult perducere, cum contrariis plane mediis agere oportet. Veri si quidem investigatio tranquillum et affectibus vacuum requirit animum, vexationes autem et exagitationes affectus in homine concitant, adtentionem turbant, impediuntque animum, ne possit cernere verum, ut est in Proverbio.

Sed id etiam adferri: Sicut malos et improbos ad meliorem frugem, ita errantes ad meliorem mentem, dispari tamen severitatis genere revocare Magistratus legitimi esse officium. Sed horum tanta est disparitas, ut nullam admittat comparationem. Improbi ideo puniuntur, quod leges societatis civilis violent, et talia committant, quae detrimento sunt Reipublicae. Sed Religio H. C. addictorum, tantum abest, ut tale quidpiam doceat, vel praecipiat, ut potius reverentiam Legum, studium tranquillitatis, et fidem erga Principem summopere commendet, imo plane indispensabiliter exigat. Praeterea leges civiles, non internas, sed externas actiones puniant, furta, caedes, rapinas, aliaque crimina, quae etiam facientes credunt esse mala, credunt insuper aut saltem credere tenentur se legibus illis teneri,

et obligari. Sed in Religione diversa sunt omnia, nam his externae actiones puniri non possent, quin cum iis internae etiam uti sunt persuasio, convictio, et fides ipsa, eadem opera punirentur. Nec illa severitatis distinctio quaestionem mutat. Ostensum enim est superius, in his omnem severitatem incongruam esse et naturae repugnare. Haec obiter tantum attingenda putavimus, nec est cur talibus diutius immoremur. Si enim Leges Patrias spectemus, illis Libertati conscientiarum, tum in genere, tum etiam quoad hoc in specie publica authoritate cautum est, Articulo quidem XXV anni 1681, quoad omnes A. et H. C. addictos, Articulo autem VIII an. 1647 nominanter, quoad Opifices et Mechanicos, ne ad ceremonias Religioni vel confessioni suae contrarias compellantur.

Hung. Reg. Verba quod noluit vi cogere ad Religionem. — Si vero ad custodem Legis (Jure enim optimo Majestati V. Sacr. pulcerrimus hic titulus competit) oculos convertamus, idem plane quod a lege promittere nobis possumus. Scimus enim mitissimum Majestatis V. Sacr. pectus ejusmodi principia prorsus adhorrere, cum id saepius et privatim et publice et verbis et scriptis solenniter testata fuerit. Inter reliqua publica ejus documenta, meminimus Majestatem V. Sacratissimam hanc sententiam vere Regiam in scripto quodam an. 1753 ad Status et Ordines Imperii Romano-Germanici directo, aureis hisce verbis, omnibus totius terrarum orbis Principibus admirationi et exemplo futuris expressisse: Convictae officiorum quae nobis Christianae Principis conditio imponit, ex intimo corde abhorremus impietatem Materialismi et Systematis indifferentium, quod proh dolor! tantos nostra aetate facit progressus, nec committemus ut nobismet ipsis objicere unquam possimus, illud in Ditionibus nostris hereditariis tolleratum fuisse, quamcunque tandem larvam, ab externa hujus vel illius Religionis Specie sibi mutuetur, eadem sinceritate agnoscimus, violentiam in rebus fidei, non nosse esse medium in perducendis ad convictionem mentibus. Id operis gratiae Divinae relinquendum cui adjungendae institutiones, per lenitatem et patientiam dictatae, et exemplo bonorum operum confirmatae, quorum exercitium oportet extendi Christiano more erga omnes, qui eo indigent sine Religionis discrimine. Hic est sensus, quo utimur et utemur illo: COMPELLE INTRARE, concurrendo in hunc finem per usum etiam aerarii nostri, ad procurandam utilitatem eorum e subditis nostris, qui non eam, quam Nos sequuntur Religionem, sed ceteroquin intra obsequii fidelitatis et tranquillitatis limites se continent. Nullum zelum ab his

principiis recedentem probabimus, sed reprimemus, semper quoties effectu ejus observabuntur, seu apud Aulam nostram, seu in quocunque Ditionum nostrarum loco, nullum subditorum nostrorum, ne illorum quidem, qui salutaribus institutionibus aures praebere omnium pervicacissime recusant, vel in Persona vel in Bonis inquietabitur, quam diu intra officia subditi se continebit, et illa adimplebit, quae obsequium et submissio legitimae autoritati debita requirunt, cum non praetendamus ullo modo imperium in conscientias exercere.

Digna aeternitate, digna Apostolico ore verba! Evangelica dissentientes convincendi media, institutio, lenitas, patientia, bonum exemplum, charitatis opera, munificentia, tolerantia. Damnantur hic et prohibentur omnia quae his contraria sunt, non modo duriora ut sunt privatio bonorum, vitae mediorum, honoris et officiorum, aliaeque poenae, carceres, et supplicia, sed etiam mulctae vexationes et quaecunque alia incommoda, quin et nudum Imperium, verbo quicquid coactione in se continet, nullam enim verba exceptionem paterentur.

Gloriosissimi etiam Majestatis V. Sacr. Praedecessores Divi Imperatores et Reges Rudolphus, Ferdinandus, Leopoldus et ipse etiam desideratissimus Majestatis V. Sacr. Genitor, piae Recordationis, conscientias opificum minime cogendas censuerunt, in Benignis enim eorum Privilegiis, quae pluribus contuberniis hujatibus elargiti, sunt, nihil de observatione hujusmodi ceremoniarum legitur.

Finem imponimus argumentis, si Majestatem respiciamus, forte ultra convenientiam productis, sed si conscientiarum nostrarum agonem attendimus (ubi nihil est longum et nimium) synopticis potius ac laconica brevitate laborantibus. Sentimus enim intime plura adhuc per Prudentiores addi potuisse, sed cum hoc nostrum non sit, nec audeamus Regias curas diutius interpellare, manus ori admovemus.

Et si vero finem facimus, non tamen e pulvere surgimus. Instantiae enim nostrae pondus tale ac tantum est, ut si Majestas V. Sacratissima, totum orationis nostrae filum stando imperasset absolvi, nunc tamen ubi rationibus et motivis, vota et supplicationes subjungere incipimus, etiam injussi procumberemus, et oculos nostros ad oculos Majestatis V. Sacrat. e sublimi solio relucentes e terra tolleremus cognoscere cupientes, num in illis aliquid ad refocillationem conscientiarum nostrarum scriptum inveniamus. Salomon enim Regum sapientissimus in Proverb. XVI, 15 monuit: In lucida facie Regis Vitam esse, ejusque benevolentiam esse velut densam nubem pluviae serotinae.

Sed cum labia Regis certiora adhuc promittere possint, quam vultus et oculi, aures etiam arrigimus audituri an vivere debeamus vel mori.

Idem enim Rex eodem capite pronunciat: Labia Regis oracula mera proloqui.

Nihilominus tamen antequam Majestatis V. Sacratissimae oculos et labia consultum ivissemus, recurrimus saepissimi ad Deum omnipotentem Patrem nostrum Coelestem rogantes eum per Dominum Jesum Christum, Unigenitum ejus Filium, ut pro Potentia sua infinita, qua cordibus Regum praesidet, iisque dominatur, afflet animum Majestatis V. Sacr. robore sui Spiritus, eumque misericordia impleat, ut vocem suorum Populorum Regiae mansuetudine excipiat, ac intromittat, sicque secreta conscientiarum afflictarum perpendat ac excutiat. Licet vero nunc pro conscientiis solummodo subditorum Majestatis V. Sacr. curae nostrae concreditorum supplicare videamur; revera tamen supplicamus pro nostra etiam propria e longinquo enim in futura tempora prospicientes, jam nunc videmus eadem ipsa vincula, nostris etiam propriis et filiorum conscientiis per V. Clerum parari. In quorum vinculorum contemplatione quoties corda et animos defigimus, toties instar cerae colliquescit cor nostrum, et postea in lacrymas resolvitur nulla arte abstergendas.

Sed si Majestas V. Sacr. verbum dixerit, ut Cehalia Privilegia, sine insertione ejusmodi Clausularum Religioni quam profitentur contrariarum expediantur, idque nobis intimatum fuerit, dabimus operam, ut sine cunctatione manus operi admoveant. Ita redibit ad nos Spiritus noster, et ossa nostra irrigabuntur.

Darius Persarum Monarcha, ita olim de miseris Judaeis ex captivitate Babilonica reducibus, ad satrapas suos trans Euphratem scripserat: Estote inde procul, sinite illos in pace, ut homines illi, orent Deum coeli, pro vita Regis, proque ejus filiis Ezr. VI, 6, 7, 10. Orabimus et nos pro his summi pretii rebus Deum coeli, orabimus in specie pro sua Regia serenitate hereditario Principe ejusque serenissima Sponsa, ut foedus matrimoniale quod inter illos coaluit, Rex Universi, Deus tum ipsismet, tum Augustissimis Parentibus, tum Regnis et Provinciis hereditariis jubeat esse felix et ominose faustum in secula, Amen.

CAPUT SEXTUM.

De Statu Religionis in Transylvania regnante Maria Theresia.

§ I. *M. T. Transylvanos adsecurat.* — Regimen Transylvaniae, morte Caroli Sexti Imperatoris in se devolutum suscepit Maria Theresia ejusdem Filia Primogenita, quae chari Genitoris tristem decessum, suamque jure

haereditario in omnibus Provinciis, atque ita etiam in Transylvania successionem per Literas non tantum significavit, verum etiam die XXI Octobr. ann. 1740 Transylvanos in omnibus suis antiquis Juribus et Privilegiis ac Libertatibus conservandos sequentibus verbis adsecuravit:

Adsecuramus autem vos porro verbo nostro Regio et medio Vestri Fideles Nobis Dilectos charae Nobis Transylvaniae Trium Nationum universos et Singulos Status et Ordines, non secus et alios quosvis cujuscunque gradus et conditionis subditos nostros, Nos nullum Principis et Regis boni munus intermissuras, quin imo omnes et singulos in communi et particulari in eorum Juribus, Legibus, Privilegiis, Immunitatibus et indultis, quae videlicet a Sacratissimo quondam Principe, Dno. Leopoldo Rom. Imperatore ac Germaniae Hung. Bohemiaeque Rege etc. Avo nostro desideratissimo, seu Diplomatice, seu aliis Sacrum hoc Diploma secutis benignissimis Resolutionibus et sanctionibus eidem nostro Principatui concessa et indulta fuere, prout per gloriose defunctum Sacrum quondam Principem Dominum Josephum aeque Romanorum Imperatorem etc. Praedecessorem et Patruum nostrum, nec non alte dictum Genitorem nostrum, charissimos, factum est. Nos quoque pro eo, quo in vos charumque illum Principatum nostrum ferimur adfectu, non modo clementer confirmaturas, verum et illibate conservaturas, cunctaque et singula benigne promissa effectui mancipaturas.

§ II. Praestito, ut decuit fideles subditos homagio, exoraverant Transylvani Deputatos ad Aulam mittendi licentiam. Qui ex quatuor Receptis Religionibus delecti Viennam expediti sunt ad repraesentanda Provinciae negotia tam civilia, quam religiosa. Ex Religione Unitariorum fuit Deputatus Joannes Simon de Désfalva, qui in Personalem Regiae Majestatis Audientiam admissus non est, atque ita etiam a Deputatione, rem omnem sic moderante Deputationis Praeside Georgio Pongratz exclusus est. Hic idem L. B. de Pongratz ut eo magis fidelem aç zelo ferventem in Religione Romano-Catholica demonstraret se Proselytum nihil intermisit clam, quo aliis officeret Religionibus Receptis. Cum Confirmatio Diplomatis Leopoldini a Regia Majestate exoranda esset, intervenit ne id fiat in Articulis Protestantium Religionem spectantibus, utpote ab invito Leopoldo (quod infulse urgebat) per Principem Apafium extortis, sed solum in illis, qui res Civiles spectant. Erant Deputati ex Helveticae Confessionis addictis Michael S. R. I. Comes Teleki de Szek et L. B. Joannes Lazar de Gyalakuta ambo Patriarum rerum peritissimi, ex Augustanae Confessioni addictis vero Petrus Binder Senator Cibiniensis et Michael Schuller consul Mediensis, hi ubi Gravamina utriusque Religionis Sacrae Regiae

Majestati repraesentare vellent, Audientiam nomine communi non impetrarunt. Hinc summo affecti dolore, cum collectivo nomine supplicare in Religiosis nunquam ante Transylvanis denegatum erat, requisierunt pro informatione genuina apud Aulam facienda Cancellarium Aulico-Transylvanicam, quae onus istud evitavit. Recursum fecerunt ad omnes fere Aulae Ministros, sed quum parum ex illis quoque auxilii sperare posse viderentur, magnum Hetruriae Ducem supplici adierunt libello, qui pie eorum in se suscepta causa Audientiam apud Regiam Majestatem impetravit, ita tamen ut duo tantum in illa compareant. Igitur XVIII Martii anno 1742 comes Michael Teleki cum Petro Binder in praesentiam Regiae Majestatis admissus sequenti usus peroratiuncula:

Sacratissima Regia Majestas! etc.

Crescentibus in dies Helveticae et Augustanae Confessioni addictis afflictionibus nostris, cum nihil in Legibus praesidii, nihil in Patria apud Legum Defensores solatii et remedii inveniremus, extorsit vel ab invitis nobis summa et inevitabilis necessitas Sacratissimam Majestatem Vestram Regiam confugere et apud clementiae et justitiae fores humiliter de genu pulsare.

Cumque nostra Patria ex diversis nationibus et diversis item Receptis Religionibus constaret, ex eo capite Religionum nostrae Religiosae preces ita cum publicis aliis jam praesentatis Provinciae Gravaminibus connexae essent, ut has ab eis distinguere quasi impossibile esset, et absque harum Precum religiosarum porro examine et trutinio, felicitas, interna pax, quies, et tranquillitas Patriae nunquam eam sperari posset, efflictim et enixissime quo circa supplicamus Majestati Vestrae Regiae, dignetur Majest. Vestra Regia, haec quae Majestatis Vestrae Sacris pedibus substernimus Gravamina Nostra in excelsa Ministeriali in rebus Transylvanicis ordinata conferentia primitus adsumi et secundum Diplomata, Leges Municipales, Resolutiones Caesareo-Regias benigne definiri, nosque ea secuta a tot annis et tantum afflictos consolari.

Finita oratione, solita clementia Regina respondit, Gravaminaque porrecta accepit. Cum tamen Resolutiones in negotiis Civilibus factae sunt, Deputatique ex Aula in Patriam demissi, Gravamina Religiosa manserunt intacta, quamvis Jura, Libertates et Indulta tam circa profana, quam vero Sacra fuerint confirmata.

Gravamina autem illa his verbis fuerunt concepta in supremo Reformatorum consistorio perlecta, ac Deputatis ad praesentandum Regiae Majestati porrecta:

Gravamina et tristissismae Querelae Statuum et Ordinum trium in Principatu Transylvaniae Nationum Helveticae et Augustanae Confessioni addictorum, contra cives suos Religioni Romano-Catholicae addictos,

earumque sincera et genuina expositio in Diplomatico ejusdem Principatus systemate fundata.

Quemadmodum Unio corporis et animae in Homine constituit rationalem eius substantiam, praestatque eidem vitam, non secus in maioribus quoque Rebus-publicis, quae non nisi totidem personae morales sunt, Nationum et Provinciarum Unio, Societas et Pacta mutua illas perficere durabilesque reddere consueverunt. Unionis certe vinculum, per plures perduxit in orbe Christiano Provincias ad illum, quo nunc sunt celebres, felicitatis statum; adeo ut, licet ob diversum Divini Numinis cultum in partes plerumque abierint, rerum nihilominus civilium ratione, corporum et animarum actiones, unum ad communem et animarum actiones, unum ad communem salutis publicae finem directas, semper habeant. Sic nobilissima Europae pars Germania quantis bellorum civilium non flagravit incendiis tamdiu, donec certo secuturo eius interitui publica Pacis Religiosae sanctione, cum interventu totius fere Europae obviam demum ivisset.

Tot florentissimorum et potentissimorum in orbe Christiano Regnorum et Provinciarum salutaribus edicta exemplis nostra quoque Transylvania, postquam a Sacra Regni Hungariae Corona, solenni Pacificatione mediante separata, singularem Principatus formam induisset, diversarum in sui gremio Nationum et Religionum tranquillitatem, securitatem, juxta et amorem mutuum Pragmatica Sacrae Unionis Sanctione constabilivit. Et quoniam ab illa totius Principatus penderet salus, ad perpetuam Sanctamque ejus observationem firmissimo Juramenti Sacramento universos Patriae cives obstrictos esse voluit. Evolvantur in hunc finem annorum 1588, 1595, 1600, 1613 et 1630 Articuli, corpori quoque Juris Transylvanici communi postea Regnicolarum voto pro lege fundamentali et pragmatica inserti atque confirmati Approb. Const. Part. I Tit. 1, art. 2 et Part. III. Tit. 1 art. 1.

Cum proinde huicce Unionis fundamento esset superstructum Universum Reipublicae Transylvanicae systema, quatuor ibidem Receptas Religiones et jam tum ab alvo in unam mentem coalitas tres Nationes, Principes felicis recordationis per duo et quod excurrit secula, dictae Unionis Sacrae beneficio, ejusque observantia, publicum Reipublicae statum tutati semper sunt, conservaruntque.

Et postquam tractu temporis impia Turcarum gens majore in dies contra Christianos cepisset incrementa, immani hacce hostis abominandi potentia, Transylvania quoque circumvallata, propriisque edocta malis, cum jam exploratum haberet gentem illam barbaram, ea natura, ipsisque praeditam moribus, quae nec prece ulla obsequioque flecti, nec largitione unquam repleri posset, verum omne studium in emungendis Christianis locatum esset; et praeterea cum ad Sacrum quoque bellum

et ejus societatem sub idem plane tempus a Divo quondam Imperatore Leopoldo, contra fidefragum Turcarum Sultannum Princeps etiam Transylvaniae Michael Apafius primus imitatus jam extitisset his et aliis Princeps idem permotus rationibus accedente desuper unanimi universorum trium in Transylvania Nationum quoque voto, postquam solemnem ad alte memoratum Imperatorem (ut idem tanquam communis Christianitatis Defensor et Propugnator, curam quoque Transylvaniae, totius Reipublicae Christianae antemuralis susciperet benigne) instituisset Legationem, et per illam consequenter ad certum et perpetuum tractatum vulgo Hallerianum dictum inter partes ventum fuisset, inter alia conventa eius capita: Quatenus Justitia, Jura, Libertates, atque Privilegia Transylvaniae, ut et Unionis Sanctio Pragmatica sarta tectaque essent, vigore Tractatus ejusdem solennissime et punctis expressis cautum habere voluerunt. Quod patet ex dicti Tractatus Viennae die 28 Junii anni 1686 emanati Punctis 3, 4, 6, 8.

Anno abhinc proximo 1687 bello confoederatae Christianitatis adversus infideles Turcas feliciter suscepto, insignibusque exinde reportatis victoriis, Divus Imperator Leopoldus tam prosperis belli suscepti successibus insistendum ratus, ut salutaris isthaec intentio eo facilius et melius ad finem optatum dirigi possit, postquam inter serenissimum quondam Lotharingiae Ducem alte memoratae Caesareae Majestatis in bello illo Sacro Armorum adtunc Locumtenentem Generalem, Nomine summedictae Majestatis ab una et per laudatum celsissimum quondam Principem, nec non inclytos Principatus huiatis Status et Ordines ex fideli, quo erga Augustam Domum Austriacam et communem illam Christianitatis causam ferebatur devotionis zelo ad id permotos, partibus ab altera, ad certum Tractatum pactumque mutuum itum fuisset hujus quoque tenore ut Jura Transylvaniae et universorum eius Statuum et Ordinum trium in illa Nationum et quatuor Receptarum Religionum Leges Unio, consuetudines, usu roboratae, statuta, libertates, immunitates, Privilegia, Canones, officia, nec non Directiones, Sacra et illaesa semper maneant, sub fide Christiana et inviolabili ab utrinque rursus conclusum est.

Tot publicis demum Tractatibus pientissimus quondam Imperator Leopoldus extremum additurus colophonem, signanter vero benigni sui compromissi, quod ad calcem Tractatus antelati et in an. 1687 die 27 Mensis Octobris emanati clementer indulserat, non immemor Sacri sui Diplomatis Caesareo-Regii solemni instrumento in anno 1691 die 4 M. Decembris, universam Transylvaniae totius Christianitatis antemuralis Rempublicam consolatus est. Et hoc ipso Justitiae et Pietatis Domus

Austriacae gloriosam et nunquam intermorituram laudem atque commemorationem ad postremos transmisit. et coram toto orbe Christiano aeternum perennaturum immortalis sui nominis erexit Colossum; Transylvaniam vero excusso barbarorum ferocissimae gentis iugo Protectioni Domus Austriacae (prout ex declaratione Principatus anni 1688 die 9 M. Maji et subsecuto Decreto Leopoldino ejusdem anni die 17 Junii videre est) sese sponte submittentem, ut eo tranquillior diversarum in illa Nationum et Religionum persisteret. status. Universorum ejus Statuum et Ordinum trium videlicet nationum et quatuor ibidem Receptarum Religionum. Jura, Libertates Sacras, juxta et profanas. fundamentales Unionis Leges. Approbatas Constitutiones, et alia omnia publicae saluti servientia, Statuta et Privilegia, Sacri huius et Regii Diplomatis sui perpetua sanctionis Pragmaticae et fundamentalis sanctimonia constabilivit et roboravit; e cujus contextu illa saltem verba aurea et mere Regia (quibus et clauditur, Sacrum hocce oraculum) expedit hic commemorare; quae sic se habent:

Nos itaque quo plenissimum Regii muneris executuri officium, universorum et singulorum fidelium Salutem, commune bonum. tranquillitatem publicam. rei Christianae incrementum et charissimam Transylvaniam nullo Deo opitulante Minotauri Turcici Labirintho deinceps implicandam cordi duximus, visis et examinatis praemissis articulis et punctis, pensantes eos honori et quieti et commodo Statuum et Ordinum, Incolarum omnium, universaeque Reipublicae Christianae conducere, eosdem in omnibus suis partibus et capitibus adprobamus. et in perpetuum valitura lege sancimus tenore praesentium promittendo in verbo Regio, ac apud nos et nostram Serenissimam Domum nunquam violabili fide, quod illos firmiter et inconcusse servabimus et servari faciemus majora et majora semper in fidelissimam nobis gentem beneficia propensi.

Huc referendae sunt Resolutio sub 14. Maji anno 1693 emanata, Caesareo-Regia. vulgo Abrintziana dicta. et omnes aliae Sacrum hoc Diploma longa serie secutae, in eoque fundatae Resolutiones et sanctiones benignissimae. nec non compositio Szathmariensis in anno 1711. Excellentissimi D. Generalis Campi Marschalli Joannis a Palfi. Regii attunc Plenipotentiarii ope et industria mediante instituta, quae videlicet, per Carolum VI ex hac vita caduca ad aeternitatem non pridem evocatum Principem pientissimum, ejusque antea Divos Praedecessores Leopoldum et Josephum gloriosae memoriae Imperatores sunt Principatui indultae et concessae, non alio sane fine, quam ex solo Tranquillitatem. Liber-

tatem, Jura, Privilegia, Legesque Unionis diversarum ibidem Nationum et Religionum fundamentales sancte et illibate conservandi studio plane paterno, et sub seria illorum omnium et singulorum in verbo Regio et fide nunquam violabili benigne promissorum effectui mancipatione, et perpetuae Sanctionis Pragmaticae fundamentalis sanctimonia et observatione.

Ac postquam taliter universum nostrae Transylvaniae rempublicam, quoad omnia ejus Jura et Libertates pientissimae Domus Augustae Austriacae clementia et justitia tutam securamque reddidisse formam Regiminis in illa ad normam Legibus Patriis convenientem restaurasset existimabant Patriae cives, salutem publicam tranquillitatem communem, et pristinam rerum felicitatem in Transylvania jam redintegratum iri.

Sed proh dolor! quam tristes principiorum tam salutarium coacta est experiri Transylvania eventus, statim enim ut in formam et ordinem redacta ea extitisset, illorum animis, qui curae et consilio commissam habebant administrationem nimius Religionis zelus insedit. Unde Sacrae Unionis Leges violatae, Sacri Diplomatis, et illud secutorum, iteratorum Decretorum Regiorum Majestas irreverenter posthabita, et Sanctiones Pragmaticae sunt conculcatae, ruptisque taliter Legum publicarum repagulis, amor Nationum mutuus versus est in dissidium, tranquillitas in simultates, et Unio jurata in odium Religionis et hoc ipso ad erumpendum in oppressionem et exterminium aliarum Religionum iidem concives Catholici campum sibi aperire velle sunt visi, cuius exitiali malo, nisi conveniens medela in tempore adhibita fuerit, universum Transylvaniae corpus lethali hocce morbo brevi correptum iri collapsurumque esse, nemo non videt.

Sed quaeso cujus instinctui tanta legum et sanctionum Diplomaticarum praevaricatio adscribenda erit? Certe pientissimis et in servando Regio compromisso longe religiosissimis Imperatoribus quicquam horum imputare sacrilegium esset; illi enim tot benigne repetitis Decretis suis Caesareo-Regiis, tam quoad Sacrum Diploma, quam quoad juratam Religionis unionem et omnes Patriae leges districtim observandas, suam constantem et benignam voluntatem luculenter testati sunt.

Minus proinde errabit, quisquis universae huius Statuum videlicet et Ordinum trium in Transylvania Nationum Receptarumque Religionum a Romano-Catholica diversarum tristissimae vexationis fata eorundem D. Romano-Catholicorum in nos odio praeconcepto imputaverit. Nostri adeoque concives, imo Agnati et Cognati nostri, eodem sanguine nobiscum orti, ejusdem iuratae Unionis vinculo nobis iuncti, nos concives suos iuxta ac consanguineos, multis nominibus ipsis necessarios contra jus Divinum et naturae exosos sibi habent. Qui ex minus probabilibus principiis maximo nocendi studio et affectuum odio aestuantium impetu

in transversum abrepti, nihil aliud diu noctuque in pectore volvunt, quam ut intentio sincera Regium Diploma Sacrum, Fides publica, Articuli et Leges Patriae nos tutantes et protegentes clancularis artibus et suggestibus vitiari possint, ut legibus publicis hoc pacto convulsis, obdurato in universam oppressionem animo Regnicolas in desperationem adigant, summa imis misceant et calamitates publicas, quales sunt plagae pestis, famis, et plurimae aliae ab annis Transylvaniam exagitantes coelitus provocent, et ipsam extremam quoque Reipublicae perniciem, nihil pensi ducunt; imo omnia alia collapsa ac perdita esse malunt, modo nos concives consanguineos et proximos suos, eodem cum ipsis pretiosissimo Christi Jesu sanguinis lyrto redemptos Christianos, flebili injuriarum sorti expositos habere possint. Et quicquid violentiarum similium a medio ferme seculo contra Patrias Leges et Sacra Diplomata per ipsos patratum hactenus est, et hodiedum patratur, omne id proprio eorundem D. concivium Catholicorum lubitu citra intentionem et voluntatem Principum toties repetitis vicibus declaratam peractum semper est, ex filo eodem adhuc continuatur. His nihilominus omnibus, ut et aliis aliter gestis exquisita arte et studio eorum Principibus semper aut celatis aut extenuatis.

Ut proinde molitiones similes Regio Sacri Diplomatis oraculo, fidei publicae, et legum Pragmaticis Sanctionibus extreme derogantes et tot Statuum inclytorum florentisque in illis et numerosae Nobilitatis, tot liberarum Regiarumque Civitatum exitium extremum minitantes, quibus clam et ignorantibus Principibus dicti nostri concives Catholici a tanto temporis intervallo grassati in nos sunt, et adhuc grassantur tandem coram etiam facie, Augustali Regiae Majestatis, Principis nostrae hereditariae, clementissimae, benignissimae, reabse innotescant, manifestaque sint, illorum Expositionem flebilem supplicibus gemitibus taliter punctatim humilime subnectimus:

Primo.

In conformitate Tractatus Viennensis in anno 1686 die 28 Junii emanati art 6 Diplomatis Primi art. 1 et 3 ut et Diplomatis secundi art. 1 et 3º jam supra recensitis, quatuor Receptas in Transylvania Religiones in libero exercitio, cultu, Juribus, Bonis et Possesionibus Templorum, Scholarum, Parochiarum, proventuumque qualiumcunque turbatione, occupatione et damnificatione, alteratione et injuriatione, ullo unquam modo, tempore et praetextu facienda, imo quiete et pacifice uti videlicet iis tempore quoque emanationis citatorum instrumentorum actu fruebantur ad modum in illis uberius expressum juxta Leges et Approbatas Patriae Constitutiones, ut imposterum etiam uti illis et frui valeant

vigore inviolabili permansuras declarat Sacratissima Caesarea Regiaque Majestas et sic omnia Diplomatis puncta perpetuae Sanctionis Pragmaticae et fundamentalis sanctimonia inviolabiliter vult observari.

Harum nihilominus sanctarum homagiali devotione observandarum, omnique jure validarum Pragmaticarum Sanctionum indultorumque Regiorum Majestate sanctimonia nihil obstantibus, Templa plurima, Scholas, et Parochias via facti nobis adimere D. nostri concives Catholici, quandoque etiam Generales illorum temporum militiae commendantes non veriti sunt. Et quidem Reformatae Religioni addictis Templa sequentia adempta.

Templum majus Cathedrale Alba Carolinense, una cum campanis et horologio, cura et impensis Principum Reformatae Religionis, comparatis, nec non Parochiis ac Residentia Collegii ibidem fundati amplissima, studiosorumque celebris frequentia detrusa est in exilium per Generalem ejus temporis commendantem comitem a Steinville, consentiente quidem quoad cessionem Reformatorum statu, erga oblatam per ante dictum Generalem ejus temporis commendantem splendidis promissis bonificationem; quae tamen in hoc usque tempus non praestita, effectu caret, et fidem promissorum expectat.

Templum Borbandiense in Comitatu Albensi Transylvaniae, in Possessione Kend in Comitatu Dobocensi, per nobilem Dominum Lazarum Apor, Templum in Possessione Mots per nobilem Stephanum Frendi, novumque prioris loco extructum demolitum, similiter per Patres Jesuitas in Kolos Monostor destructum, Templum in Szomosfalva et Erhed, Templum in Katona per provisorem loci Fiscalem ademptum in Comitatu Kolosiensi, in ô Torda vulgo Egyházfalva Templum minus.

In sede Siculicali Marusiensi Templum in Possessione Kál per nobilem Matthiam Kun, Templum in Possessione M. Sz. György per D. Comitem Petki, Templum in Possessione Medjesfalva per excellentissimum quondam Comitem et Gubernatorem Sigismundum Kornis, ad Templorum et Scholarum similes occupationes abstinendas ab officio Gubernatoratus coram universis Statibus solennissime juratum.

Templum in Possessione Miklosvára in sede ejus nominis per D. quondam Comitem Adamum Kalnoki, qui variis carcerum tormentis loci incolas subditos ad amplectenda Romano-Catholicae Religionis Sacra compulit contra Approb. Const. P. III Tit. 1, art 8 Templum in Possessione Ebesfalva in Comitatu de Kühüllö per administratorem Bonorum Fiscalium adhibita militari adsistentia. Pariter Templum in Balasfalva et campanas in Comitatu Albensi, Templum Maros Kereszturiense. Proxime vero et quod annum non excurrit Templum in Sz. Pál in Comitatu de Kühüllö per Provisorem Dominae Comitissae, viduae relictae D. quondam Comitis Gabrielis Haller. Bone Deus! adeone Sacrorum

Diplomatum Legumque publicarum reverentia jam eviluit ut servorum etiam obtrectationi obnoxia expositaque illa esse debeat.

Evangelicae aut Augustanae Religioni addictis extorta sunt: in Libera Regiaque civitate Cibinii Templum amplum per Generalem commendantem, et alia plura quae per seriem enumerare ipsi Almae Nationi convenit.

Praeter haec enumerata et via facti occupata, sponte et ex solo complacendi studio cessimus per manus nostris concivibus Romano-Catholicis sequentia:

Collegium Ovariense in Libera Regiaque civitate Claudiopoli amplissimum cum Templo eidem adhaerente.

Templum magnum Bathoraeum Albae Carolinae una cum Schola, minori Templo eidem contigua, et horto ibidem muris cincto spatioso aere proprio Reformatorum non exiguo empto. Possessionem lautissimi reditus Monostor dictam et quindecim millium florenorum summa Scholarum in usus Ecclesiarumque Romano-Catholicarum adplicandam. His adnectenda Templa Evangelicorum sponte Romano Catholicis cessa, ita et Templum majus Carolinense supra fuse declaratum. Quibus tamen minus contenti D. nostri concives Romano-Catholici ut sua injuriandi molimina in nos latius extenderent.

Secundo.

Manifesto partium studio clam et insciis Statibus nostris, misso ad Divum Imperatorem Leopoldum expresso, sinistris informationibus animum pientissimi Principis praeoccupantes, magnisque stipati Patronis Quinque Punctorum Religiosorum absque consensu Excellentissimorum Ministrorum per Cardinalem duntaxat Kolonitsium ab Imperatore benignam Resolutionem obtinent, Sanctissima quidem intentione a Principe indultam, sed nec diaetaliter publicatam, nec per consequens quali quali legis figura vestitam, imo contrario Rescripto invigoratam. Per eam tamen deductis postea per praeposteras interpretationes consequentiis contra mentem Diplomaticarum Patriae Legum Domini Terrestres Catholici Juribus nostris manifeste involant. Quartas et salaria Ministrorum nostrorum Ecclesiasticorum, non arbitrio et spontanea aliqua oblatione Dominorum eorundem Terrestrium, sed Jure Patriae et Benigna Principum confirmatione per ipsos possessa violenter auferunt. Et sic dicta quinque Puncta ubi ipsis favere videntur pro lege accipiunt, alibi vero cavent.

Cum tamen prima dictorum Quinque Punctorum usurpatione facta, ob sequiorem illorum interpretationem, ad Principem Summum male informatum, ad eundem melius informandum, cui videlicet soli competit jus Regias suas Resolutiones interpretandi, solennibus Remonstrationibus mediantibus provocavimus, sed ob temporum illorum iniuriam quibus

omnia motibus intestinis implicata essent, Resolutione Principis dilata, Quinque Punctorum quoque sic dictorum interpretationem Regiam adhucdum desiderari. Proinde pro benigna hujus damnosae et praejudiciosae confusionis inter malleum adhuc et incudem stantis, et plures in dies inter status universos strepitus et lamentationes pariturae complanatione, et ut interea silentium et abstinentia a facti via omnibus imponatur supplices oramus.

Tertio.

Jus condendarum Ecclesiarum Sancti Diplomatis art. 1 nobis ac D. concivibus nostris Catholicis aequali ratione indultum est; sine quo neque exercitio Religionis sua esset libertas. At multiplicatas hoc etiam in Puncto animorum nostrorum tribulationes dolenter persentiscimus. Postquam enim Templum Cathedrale majus una cum Collegio Albae Carolinae, quorum supra meminimus, fuissent Reformatis adempta, Ecclesia ibidem Reformata, quotidiana Divini cultus necessitate id exigente Templum exstruere adgressa, superveniente interea Catholicorum auctoritate ibidem praepollentium prohibitione ab incepto opere desistere coacta est. Non absimiliter Collegii quoque modo antelato exturbati et Gymnasio Reformatorum Maros-Vásárhellyiensi Uniti cives, cum Museorum sibi necessariorum extructioni non ita pridem manus admovissent, per loci illius commendantem manu militari ab opere depulsi sunt. Cum tamen Judaeis, Armenis, Bulgaris, Valachis et Graecis hinc inde et plerumque ex Ditionibus Turcicis in hujatem Regiae Majestatis Principatum conglomeratis advenis vagabundis ac juxta App. const. Part I Tit. 1, art. 3 usque ad bene placitum saltem Principis Regnicolarumque tolerandis Templa et Ecclesias ex fundamento et pro lubitu extinere permissum esse videmus. Ut proinde nos hereditarii summefatae suae Majestatis Principatus indigenae, nati Patriae cives, non temporarii sed perpetui, et fideles Majestatis suae subditi, cum sera nostra posteritate, avitico nostro civitatis jure gaudere valeamus, nec catenus peregrini et advenae nobis anteponantur per Legum Diplomaticarum et Pragmaticarum Sanctimoniam Sacram Regiamque Majestatem suam humilime rogamus.

Quarto.

Pro Transylvaniae status ratione sapientissime, pro omnibus autem in illa Receptis Religionibus omnino clementissime prospexerat pientissimae reminiscentiae Imperator Leopoldus non minus de Cleri Catholici, quam nostrorum etiam Ministrorum Ecclesiasticorum subsistendi mediis, cum tam Legum Patriarum, quam singularium Privilegiorum virtute ab antiquo possessa per ipsos bona et salaria et reditus sub verbi Regii inviolabili fide partim confirmare et ratihabere, partim

augere etiam benigne dignatus fuerat. Hujus nominis erat 6689 Renensium florenorum annua pensio penes legitimas collationales ex aerario Ministris Ecclesiasticis Reformatorum praestanda. Nec non decem selectissimorum ex sedibus Saxonicalibus Pagorum Decimae Venerabili Clero Catholico collatae sed praeter illa de quorum praeiudiciosa abrogatione supra Puncto secundo meminimus, in hocce etiam praesenti parati aeris beneficio ob ejus dimidietatis et ultra defalcationem per Camerae Regiae officiales, Ministri Reformatorum Ecclesiastici damno non exiguo quotannis adficiuntur. Cujus ad trium duntaxat millium diminutione et secuta pauperum eleemosyniariorum quotidiani panis subtractione Sacrorum quoque Diplomatum elusionem manifestam sequi in aprico est. Quod tamen vindicare et integrum restituere cum sit benigni Regiae Majestatis muneris, ejusdem Sacrae Majestatis justitiae administratione eatenus quoque demissime supplicamus.

Quinto.

Quaecunque Leges tum Sacrae tum humanae super exaudiendis subditorum precibus a Regibus et Principibus exigunt clementiae requisita, illos Sacratissimos Principes Austriacos supra statutam naturae humanae metam inter omnes Christianos Reges eminuisse testantur tot Provinciae quarum precibus excipiendis Deorum certe imitamine obvios sese quotidie exponere altefati Principes non detrectabant. Sed oh! nos nimium infelices hac etiam ex parte, quibus universalibus hisce clementiae Regiae radiis illuminari et communi cum aliis provinciis uti frui non licuit. Illorum enim procul dubio ante operosa et indesinenti suggestu qui oppressionum nostrarum continui erant architecti, tale ad nos in annis retroactis expeditum est Mandatum Caesareo-Regium, ut videlicet in rebus Religionis non aliter quam impetrata prius venia et praevia causae sollicitandae expositione praemissa per Deputatos Aulam accedere fas est. Qua accessus circumscriptione a quarto jam annorum effluxu Religionis causa Deputatorum ad Aulam expeditio praepedita fuit.

Sexto.

Ut exasperatis in dies oppressionum nostrarum calamitatibus, cum nulla jam alia spes reliqua nobis esset, omnes et singulos in nostri exterminium directos persecutionum actus de casu in casum et cum facti specie per supplices nostros libellos Serenissimo quondam Principi nostro hereditario humilime semper deteximus. Quos sua Majestas quidem juxta congenitam suam et Domui Austriacae omnino propriam clementiam benigne semper excepit, solitoque more ad Cancellariam suam Aulico-Transylvanicam deferri iussit, in excelsis conferentiis rerum Transylvanicarum proponendos et decidendos. Qui tamen tantum abest ut ibidem aequabilem

finem sortiti fuissent, sed ne propositione quidem illorum dicta Inclyta Cancellaria nos dignata sit. Cum tamen ut omnia Inclyta Cancellaria ad se remitti solita Acta et Memorialia in excelsa conferentia debito modo proponeret, illaque facto ibidem concluso Regiae deinde Majestati remitteret Instructionis juratae necessitate esset ad id adstricta. Sed quoniam

Septimo.

Omnibus officiis in dicta Inclyta Cancellaria a prima ejus secundum systema a Caesarea Majestate dictatum erectione Diplomatice a nobis tentis et possessis jam essemus exuti, neque ullum amplius in nominato Dicasterio Religionibus nostris addictum superesset subjectum, cui Religionum omnium in Transylvania Receptarum communis tranquillitas curae cordique esset. Verum totum Inclytae illius Cancellariae Collegium, tum Praesidis Excellentissimi, cum Consiliariorum suorum intuitu, partibus D. Romano-Cathol. adhaerent, illique zelo et genio suo nimium indulgentes, cum solo suae Religionis commodi promovendi studio et aestu flagrant, quamvis Legum Pragmaticarum, ut et Diplomaticarum Sanctionum ad defensionem et protectionem Religionum, Juriumque nostrorum sancitorum, jurati essent Defensores, debitam tamen illarum habere rationem non sustinent, nostrisque lacrymis abstergendis, gravaminibusque sopiendis curam nullam impendunt, usque adeo, ut tam assiduae nostrae et infinitae sollicitationes, quam Mandata Regia, iam videntur irrita esse; quippe a XL annorum spatio multiplicati, et in numerum ingentem cumulati, tot supplices libelli nostri in dicta Inclyta Cancellaria, quo a Regia Majestate solito more ad proponendum et decidendum benigne erant remissi ibidem haereant suppressi, nec ullam adhucdum sunt sortiti resolutionem. Et hocce exitiosum opprimendarum nostrarum Religionum principio, taliter iam invalescente; detortisque inde consequentiis noxiis salvam et perpetuam videntur esse nacti facultatem, Sacras et iuratas Diplomatis Patriaeque Leges violandi et conculcandi, et nos concives suos in desperationem adducendi et demum exstirpandi.

Octavo.

Omissis aliis quam plurimis onustissimisque quibus in dies misere divexamur pressuris nostris, est adhuc interque omnes actus ad nostri perniciem directos principem obtinet locum, et pro maxima perpetua totius nostrae persecutionis causa censenda Aequalitatis nimirum Receptis in Transylvania Religionibus pragmatice indultae temeraria violatio et sufflaminatio. Quicquid enim Juris et beneficii in causa capessendorum officiorum et promotionum, tum usus continuus, dum omnes Regiae et Diplomaticae sanctiones in Transylvania D. Romano-Catholicis tribuerant, id jam citra omnem controversiam etiam aliis

ibidem receptis Religionibus pari iure competere, Pragmatica conclusio est; praeter casum, quo fors inter Unitarios subiecta idonea non reperientur; tunc quoque aequalem duarum aliarum Religionum Catholicorum videlicet et Reformatorum numerum et rationem in consiliis habere diserte innuit Resolutionis Alvintzianae Art. VI. At hodie omnem consequendorum officiorum modum diametraliter contrariari antiquis moribus et Sacro Diplomati. Et hoc ipso nos paucis exceptis a promotionibus exclusos esse testatur generalis universorum Statuum et Ordinum Principatus huius Catalogus et Dicasteriorum in illo habitorum status effectivus. Quorum quidem specifica declaratio sic sequitur:

1mo. In Cancellaria Aulico-Transylvanica magna antea Religionum nostrarum habebatur ratio. quin etiam vi mutuae conventionis anno 1694 mense August. Claudiopoli cum fratribus Catholicis habitae et subsecuti eodem anno quarta Decembris benignissimi Decreti Leopoldini, ipsum quoque Vice Cancellariatus munus inter duas Religiones Catholicam et Reformatam debebat esse alternatim.

2do. In Regio Gubernio cum Excellentissimo D. Capite sunt consiliarii Catholici 6 a parte vero Reformatorum tantum 3 et a parte Augustanae Religioni addictorum 2, cum iuxta verum Sacri Diplomatis sensum competerent his consiliarii tres Catholicos et Reformatos in numero consiliariorum Gubernialium conveniebat esse pares.

3to In collegio supremorum officialium Comitatensium iuxta ac Siculorum D. Catholicorum Comites Regiique Judices Supremi reperiuntur numero XII ex parte autem Reformatorum numero tres.

4to In Commissariatu quoque Provinciali omnia officia sunt elocata Catholicis subiectis, Catholicis praeiudiciose et totaliter exclusis, nec unquam auditi sumus.

5to Vi fati Diplomatis serio iniuncta et inter Religiones observanda aequalitatis Ratio evincit. Praesidia quoque Dicasteriorum ita aequilibranda esse, ut dum Praeses in Excelso Gubernio Catholicus obtinet. tunc Praesidentem Statuum debere esse Reformatum et caeteris paribus. Hodie vero aequalitas haec Diplomatice inter Religiones stabilita est versa in partium studium et huius instinctu per nimiam et praevalentem concivium nostrorum D. Catholicorum licentiam et varias artes atque technas hoc fine adornatas a promotionum honoribus et officiorum civilium dignitatibus et gradibus paucis illis, quorum supra meminimus exceptis nos ignominiose, arcent. Cum tamen servitiorum, mentis dexteritate in rebus gerendis. fidelitate erga Principem. et Generis quoque ut et nobilitatis charactere ipsis non inferiores, imo numero et pluralitate existamus longe superiores, si proinde aequa mentis lance rem metiri vellent, tantis opprobriis et animorum afflictionibus nos exponere D. nostri concives non gestirent. His potissimum Rationibus

Ratio prima.

Quia Religiones nostras aeque liberas et receptas supprimere et persequi, iureque privare suo est Edictorum Regiorum Diplomaticarum Resolutionum, Legumque Patriae fundamentalium Pragmaticam Sanctionem temerarie violare, et contra Majestatem Regiam graviter impingere et publicam Patriae tranquillitatem turbare.

Ratio Secunda.

Universorum Transylvaniae Statuum et Ordinum Unionis Pragmaticae maxima haec est: Ut quilibet Patriae civis et Regnicola Transylvanus, omni virium suarum contentione conservationi Quatuor in Transylvania Receptarum Religionum studeat, nec clam nec aperte, neque consilio, neque opere, nec ullis aliis viis et modis in oppressionem et derogamen illarum quicquam machinari attentet; publicam Patriae tranquillitatem in hac Nationum et Religionum unione fundatam viribus et consilio defendat, at si quis his contra ire et talem statum infringere praesumeret, nota perpetuae infidelitatis convictus esto. App. Const. Part. III Tit. 1 ergo dictis quoque D. Concivibus nostris nos ludibrio exponere, Juribus atque libertate exuere, et ad exterminium extremum usque persequi, sub praelibati atrocissimi criminis culpa prohibitum est.

Ratio tertia.

Omnes et singuli Patriae cives in Transylvania Ecclesiastici aeque ac Seculares ab Excellentissimo supremo statuum Directore et Gubernatore incipiendo supremi, mediastini et imi sunt Legum Patriae fundamentalium, Approbatarum eius constitutionum quarum priores partes tenet unio antelata, custodes firmo iurisiurandi sacramento iurati. Ipsorum proinde muneris est sub gravissima perjurii detestanda poena dictarum Diplomaticarumque et publicarum Legum beneficiis, nos concives suos non privare, imo in illorum communi cum ipsis usu et fruitione ut decet rectos Legum custodes et bonos Patriae cives, bona fide nos conservare et manutenere. Non attentis illis, quae nonnulli zelo nimio Religionis aestuantes animis non minus parentium, quam imperantium tanquam ultimarium et perpetuum in rebus gerendis scopum ad quem omnibus collimandum sit, consiliis omnibus imprimere satagunt. Principem Catholicum eiusque sequaces libertatem et securitatem haereticis publica fide, vel etiam iurisiurandi sacramento pactam et debitam salva conscientia et citra iuris Divini et gentium derogamen turbare et violare posse certe suasionum similium authores produnt se non instinctu Spiritus Sancti, qui Spiritus charitatis est, et conscientiae ductu actus tales edere: verum ex consiliis Politicis

ad privati status sui rationem directis et ad extendendam ac dilatandam Monarchiam Ecclesiasticam hoc ipso intentos esse, salutem vero Reipublicae, coronamque Principis, et Leges publicas parvipendere, imo omnia Jura Divina et humana, et quicquid Sacrum et inviolabile inter mortales hactenus habitum est, volunt eversa, et convulsa potius esse, modo liceat haereticos (ut aiunt) extirpare.

At vero Patriae cives cordatiores, quibus boni publici aliqua cura est, talia consilia seposito omni conscientiae et timoris Dei vindicis sensu, non sustinent, ut potius conscientiam suam non ex commentis ad privati status rationem directis, verum ex dictamine sanae rationi innato, et verbo Dei revelato metiuntur, compertumque habent, ut quemadmodum Catholici statui publico datam fidem servare et utile et honestum est, ita a pari, aliis eandem violare impium et temerarium esse et divinitus etiam impune non relinqui funestis saepe Provinciarum et familiarum ex noxio et fallaci hocce principio provenientibus casibus, caedibus et ruinis Historiae antiquorum non minus quam recentiorum temporum Sacrae iuxta ac profanae cum tremendo Nemesis Divinae sensu testantur.

Ratio Quarta.

Non deesse Religionis nostrae osores per plurimos tales, qui dum nos persecutionibus exagitant, existimant gratum Deo sacrificium adolere et hoc instinctu omnem humanitatis et Christianae charitatis erga nos sensum abnegantes muneris sui esse credunt, ea omnia molimina sua convertere, quo intentio sincera Principis, fides publica, et Leges Patriae nos protegentes, iniustis quibuscunque suggestionibus vitiari possint, adeoque illis, a quibus rerum Maxima pendet, non verentur sinistris consiliis inculcare parvam et tenuem tantum Regnicolarum partem, eamque ex infima plebeaque sorte constantem Acatholicorum Religionem adhuc sequi, ac proinde facili negotio aut ad amplectenda Romano-Catholicorum Sacra adigi; aut tanquam haereticos, (ut aiunt) citra ullum Reipublicae periculum et confusionem posse exterminari; verum enimvero genuina huius Rei declaratio, cuius exactam habere cognitionem, supremae etiam Majestatis interest, cum ab individuis peti debeat eius ingenuam expositionem schema sequens taliter exhibebit.

Classis prima D. Comitum et Baronum

Ex parte D. Catholicorum omnes D. Comites et Barones iuxta suas quisque Familias considerandi sunt numero	28
Ex parte D. Reformatorum omnes D. Comites et Barones iuxta suas quisque Familias sunt numero.	51

Classis secunda D. Praenobilium

Ex parte Cathol. D. Praenobiles sunt numero. 39
Ex parte Reform. D. Praenobiles sunt numero 90

Classis tertia D. Nobilium Possessionatorum

Ex parte D. Catholicorum sunt Nobiles numero 131
Ex parte D. Reformat. sunt Nobiles numero 731

Hactenus de Propositione inter Cath. et Ref.

Nobiles comitatenses aeque ac Siculos intercedente.

Classis quarta complectens totam universitatem almae Nationis Saxonicae.

Quae cum suis sex liberis Regiisque Civitatibus et duodecim oppidis in sedes novem et districtus duos divisa Natio sane ampla, plurimis vetustissimisque Divorum Hungariae Regum Privilegiis atque indultis celebris.

Quod vero spectat Religionem vix aliquibus exceptis tota Sacrae Religioni Augustanae addicta. quantum exurgere possit in numerum intellectu et coniectura est facilimum.

Classis quinta repraesentat statum D. Unitariae Religioni addictorum.

Quos cum non exigua Praenobilium et Nobilium, frequentique universitate numerum Inclyt. status Romano-Catholici. si non in toto saltem in dimidietate adaequare, est extra omnem dubietatem positum.

Facta tali schematis praemissi explanatione ex illo tanquam ex speculo luce meridiana clarius patebit, quantam nos Acatholici dicti Principatus huiatis constituamus partem. Illam vero numeri extenuationem, quae nobis intentabatur, D. concivibus Catholicis convenire.

Tanta proinde tamque florentissima nobilitas, tot liberae Regiaeque civitates, cum integra Nationis Saxonicae universitate. tot Patriae cives, optime de Principibus meriti. Tot Populi ad promovendum Principes servitium, ad locupletandum aerarium Regni aptinati omnes fidei integritate erga Principem nemini Gentium secundi: siccine inquam digni habendi sunt? qui publicae Fidei, Diplomatum Regiorum. et iuris iurandi etiam sacramentis temeratis et infractis a concivibus suis, et magnam partem sanguinis necessitudine ipsis iunctis. odio impetitionibus iniuriationibus, ignominiis, oppressionibus, et hinc torrentis instar effluentibus et in numeris prope modum malis atque anxietatibus expositi habeantur; ac demum cum inexplicabili animorum maerore atque aegritudine. iuribus suis exuantur, et hoc ipso celebris Transylvaniae Principatus, qui a toto orbe Christiano antemurale haberi meruit in discrimen extremumque exitium praecipitetur? Ut potius interest vel maxime supremae Majestati,

interest etiam Reipublicae inviolabiles Sacrasque Regionum et fundamentalium patriae legum Sanctiones Pragmaticas a malevolorum obtrectationibus et praevaricationibus vindicare, et seria illarum effectui mancipatione easdem stabilire et redintegrare, nosque fideles et perpetuos subditos a tot ignominiis et violentis damnificationibus et oppressione, quibus a multis retro annis maximo persequendi odio D. nostri concives Catholici in nos grassantur, clementissime in postliminio vindicare, et pro efficaciori suae Majestatis erga nos clementiae Regiae argumento iustissimis nostris et Legum Diplomaticarum sacramento nixis postulatis et statim hic subnectendis consensum benignum pleno iure et cum effectu praebere.

Postulatum primum.

Ut in Puncto Templorum Scholarum et Parochiarum nobis ademptarum praeter alia maiorisque momenti Templa nobis in praesentiarum una cum Scholis Parochiis et aliis ad illos pertinentibus accessoriis restituantur saltem sequentia:

Templum Carolinense, Collegium Sumptibus Reformatorum Principum Gabrielis Bethlen et Georgii Rakotzi exstructum Residentia Superintendentis, Parochorum, Professorum, Fundi Ecclesiastici, nec non Hortus sub fortalitio in compensam Collegii Minoris simul cum Templo Bathoraeo cessus et sub adsecuratione solvatur, dictoque collegio nostro in refusionem Educilii tanquam maximi intertenendae studiosae iuventutis Fundi congruum et aequivalens aliquod beneficium indulgeatur.

Templa Kendiense, Kaliense M. Sz. Györgyiense Medjesfalviense, Miclosvariense Ebesfalviense et Kerelö Sz. Paliense, Szomosfalviense et Erkediense, nec non Katonaiense, M. Kereszturiense, Balasfalviense Reformatis adempta Kolosmonostoriense autem dirutum, una cum Motsiensi demolito post occupationem Templi veteris de novo extructum et iterum per Catholicos demolitum in integrum restituatur.

Postulatum Secundum.

Tristia fata nos saepe experire fecerunt, qualiter etiam Generalis in Provincia Militiae Commendantes, nobis invitis, inscio Principe et proprio saltem nutu interposita militari auctoritate sua, aliquando severa etiam executione mediante Templorum, Collegiorum et illis adhaerentium accessoriorum occupationibus tremendas violentias intulerunt, prout specialem eorum declarationem supra Puncto primo Gravaminum exposuimus. Quibus ut in posterum abstineant, neque violentis occupationibus Templorum sive ipsi, sive Possessores seu Domini Terrestres se immisceant, sed se accomodent Articulis Approbatae Constitutionis per legitimos commissarios procedere debere innuentibus, prout in negotio Templi

Tsitso Keresztur ad Catholicos devoluti; si qui autem posthabita via legitima violenter agerent, ut contra eos locorum officiales sub amissione honoris et officii ad requisitionem querulantium ius dicere, idque exequi strictissime teneantur, et negligentes Director Fiscalis prosequatur iuxta Sacri Diplomatis primi Art. decimum septimum humilime oramus.

Postulatum tertium.

Quinque Puncta Religiosa dicta, tanquam clam et insciis nobis per sinistras informationes et manifesto supplantandi studio ob- et subrepta, sed solemnibus statim subsecutis Reclamationibus, missisque ad Aulam Augustam humilimis Repraesentationibus nostris suspensa et vel maxime talia, quae inviolabili Sacrorum Diplomatum Legumque Pragmaticarum sanctioni, cum magno nostri praeiudicio atque damno diametraliter contrariantur, pro cassatis, invalidis abolitisque habere aut accommodari confirmatis Diplomatibus humilime supplicamus.

Postulatum quartum.

Jus condendarum Ecclesiarum in conformitate Legum articulorum et Sacri Diplomatis secundi Rationibus supra Gravaminum tertio Puncto adsignatis, nobis inviolatum maneat. Eaque ratione Templi oppidi Carolinensis et Museorum Collegii M. Vasarhelyiensis impedita extructio solvatur et iure praeallegato condendarum Ecclesiarum aedificiorumque, cuilibetcunque Receptarum Religionum uti salvum liberumque esto.

Postulatum quintum.

Ne Beneficiis virtute Sacrorum Diplomatum Ministris Ecclesiasticis Reformatorum competentibus quicquam subtrahatur, verum illa in integrum illis exsolvantur et redigantur ad paritatem cum Clero Romano-Catholico, et quae Salaria suspensa adhuc haerent, ad examinandum adsumantur, ubi literae collationum originales iniuria temporum amissae essent. Inquisitionibus tamen demonstrari possunt ratificentur imo tum de his, tum vero de confirmatis in locum Tabellae Cameralis novae Donationes et consensus Regii indulgeantur et expediantur.

Postulatum sextum.

In causis Religionis semper quotiescunque Rei necessitas exigat Deputatorum ad Aulam Augustam liber indulgeatur accessus et admissio, et modernae circumscriptiones prohibitoriae benigne tollantur.

Postulatum septimum.

Nulla imposterum Memorialia aut Gravamina Religiosa Regiae Majestati humilime submittenda aut submissa Inclyta Cancellaria Aulico-

Transylvanica supprimat, verum illa solito more in Conferentiis proposita et tandem a Regia Majestate benigne resoluta, iuxta iuratam instructionis suae incumbentiam expediri facere teneatur, et sit obstricta. Et quo melius similes querelae in posterum nitentur

Postulatum Octavum.

Officia in dicta Inclyt. Cancellaria Diplomatice nobis competentia restituantur in integrum parique cum Catholicis numero Reformati ibidem adhibeantur

Postulatum Nonum.

Modus consequendorum in Provincia officiorum et impertiendarum promotionum iuxta aequalitatem, Diplomatis art. IX et Alvintzianae Resolutionis art. VI iniunctam, sancte observetur, et in eius efficax complementum restituantur officia Diplomatice cuilibet Religioni competentia, et quidem Reformatis.

In consilio Guberniali aequalitas numeri Consiliariorum Catholicorum et Reformatorum observentur, horumque defectus suppleantur. Officia praeterea supremi et pro cancellarii Gubernatoris denique Regii, et Statuum Praesidentis ac alia Cardinalia ita alternentur ut hoc vel illo Catholico decedente succedat Reformatus et vice versa. In Consilio Guberniali vacantia Unitariorum aequaliter pari modo suppleatur e Catholicis et Reformatis in conformitate Resolutionis Alvintzianae iam citatae. Porro si in Tabula Regia abhinc etiam singularem Praesidem esse placeret suae Majestati, illud quoque officium post decessum Catholici obtineat Reformatus: hoc vero deficiente vicissim Catholicus perpetua alternatione. Protonotarius tertius constitui posset mortuo alterutro Catholico nunc fungente ex Unitariis. Vacantia vero Adsessorum Tabulae Lutheranis competentes ita inter Catholicos et Reformatos dividatur, ut dum Director causarum Fiscalium Catholicus esset, hic Adsessores Tabulae e Catholicis quatuor, e Reformatis quinque constituantur. Ut autem paritas haec et aequilibrium sollicitetur, non is est finis et scopus Reformatorum primarius, quo Religioni suae faveant, sed servitium Principum, respectus Familiarum et subiectorum capacium, ac negotiorum publicorum cura solidior. Facilimum enim esset demonstrare, saepe neglectis ob respectum Religionis Reformatae optimis Patriae civibus, et stemmate et rerum gerendarum dexteritate pollentibus, substitutos fuisse illis Catholicos vel extraneos, vel ex inferiori nobilium sorte in derogamen Familiarum evectos; sicque non modo benigna Mens Diplomatis et Justitia distributiva evertitur, sed et saluti ac quieti publicae non satis consulitur. In officiis supremis tam Comitum, quam Siculorum, eadem illaesa maneat et observetur inter Religiones Receptas dicta aequalitas Diplomatica: non absimiliter etiam

in Commissariatu Provinciali, Praesidiorum quoque in Dicasteriis iuxta dictae aequalitatis Diplomaticae exigentiam, congrua inter Nationes habeatur Ratio, cuius effectuandae modalitas supra Puncti octavi § 5ta uberius declarata est.

Postulatum Decimum.

Porro dolor gravissimus et ingens perturbatio nostros adfligit animos hoc etiam nomine, quod dum in natione Siculica supremi enotarentur officiales nulla aequalitatis Catholicam inter et Reformatam Religiones Diplomaticc sancitae habita fuisset ratio, quin potius omnia in sedibus Siculicalibus officia suprema per D. Concives Rom. Catholicos obsessa cum manifesto Legum et aequalitatis praeiudicio ab iisdem hodiedum possideantur. Quod tamen Primo: Intentioni Sacri Diplomatis diametraliter repugnat, Secundo: In sedibus Sepsi Kézdi et Orbai, ut et Miklosvár, nec non Udvarhely, Marus et Arannyas dempta sede Tsik tota Catholica dantur, a Parte D. Catholicorum Pagi 61 a Parte Reformatae plerumque, et unitariae Religionum Pagi numero 283. Totne ergo Populi et tam florens in illis Nobilitas connationes suas Catholicas, prout in hoc plano videre est, longe multumque superans in libertatibus tum Sacris, cum profanis Juribusque suis diplomatice stabilitis sint opprimendi moeroreque animorum adficiendi? Certe jus et aequum et salus populi, tranquillitasque publica, quae suprema Lex est, et ad quem Diploma Sacrum et illud secutae Caesareae Resolutiones omnes, unicum collimant finem, a similibus injuriis omnimode sibi cavent. Ut proinde hoc etiam Puncto praelibatae aequalitati Diplomaticae fiat satis, et maerentibus justa impertiatur consolatio, quatenus duo ad minimum suprema in Natione Siculica officia data prima illorum vacantia, de condigno et competenti fidelibus subditis suis Reformatis Sacra Regia Majestas benigne resolvere dignetur supplices oramus.

Postulatum Undecimum.

Si quidem Sacrae Unionis trium in Transylvania Nationum, et quatuor ibidem Receptarum Religionum jam tum ab aevo coalitae Sanctio Pragmatica esset primum et principale fundamentum, imo ipse lapis angularis cui omnes Patriae Leges, jura atque libertates tam sacrae quam profanae, a multis retroactis seculis inniterentur et ad eius observantiam Sacram omnes Patriae cives stricto jurisjurandi sacramento obligarentur. Dantur nihilominus per plures ex recentioribus et junioris aetatis Principatus officialibus et Regalistis, non secus etiam quidam novissimis temporibus indigenatum consecuti qui juramentum huius super Sacrae Unionis observatione more solito et articulariter non praestiterunt. Ut proinde hoc etiam nomine fundamentalibus Patriae legibus fiat satis, neque cuiquam vel maxime inquieti ingenii hominibus publicam

Patriae tranquillitatem, et felicitatem, libertatesque tum Sacras, cum profanas vellicandi eo magis convellendi ansa superesset, omnes in genere et singuli Patriae cives ab imo usque ad summum ad praelibatae unionis religiosam observationem jurisiurandi Sacramentum cum solita solennitate praestare teneantur, sintque obstricti. Unionis in reliquo aliis Legibus ad amussim Puncti tertii Diplomatis (in verbis ex Puncto tamen ibidem) accommodandis.

Contra haec omnia modo praevio expositorum Gravaminum nostrorum capita allegantur quidem, sed perperam: Odium solum modo contra Romano-Catholicos praeconceptum causam esse, quod ipsorum instinctui et molitionibus tot persecutionum nostrarum series imputetur?

Verum enimvero praesumptionem hanc si cui insidet, res ipsa quotidie ob oculos versans, et ad vivum jam depicta facile eximet, cum omnia in praesentiarum exposita Puncta sint omnibus continuo obvia sintque magis perspicua, quam indigeant testibus; ubi autem rerum testimonia adsunt non opus esse testibus, jura clamant.

Si nihilominus adhuc essent tam perfrictae frontis et obstinati genii homines, qui perspectis et testatis jam pressuris nostris, illorum oculis, quibus salutis publicae cura aliqua est, glaucomata obfundere non supersederent, reflectant se similes ac constitutiones illas periculosas, et nobis Transylvanis plane tremendas, quas anno superiori 1731 in Excelso Gubernio huiate consiliariis Reformatis praeter solum Ladislaum quondam Kemény e sui gremio extracto, desuper Mandato Caesareo, qualibus qualibus excogitatis praetextibus exesse iussis, contra solennem ejusdem Protestationem publico nomine Guberniali decernere non veriti essent, contra App. Const. Part. II Tit. III art. I. tanto majori scandalo de publicarum Legum eversione, quinque consiliariis definire, quanto vel in privatorum causis totidem numero indicare aliquid Decreto Caesareo prohibiti essent. Ut nimirum trium in Transylvania Nationum et quatuor ibidem receptarum Religionum, Unio Sacra omnia Patriae jura, et libertates tam Sacras, quam profanas publicamque Regnicolarum tranquillitatem et securitatem in se complectens et a multis retro seculis coalita, sancte et illibate semper observata et Divorum Leopoldi Josephi et Caroli VI piae reminiscentiae Imperatorum publicis Tractatibus Sacro Diplomate et illud secutis tot Rescriptis Caesareis confirmata et passim in Approbatis Principatus constitutionibus signanter vero Part. I Tit. I art. 2, et Part. III Tit. I art. 1. Corpori Juris Transylvanici pro Lege Pragmatica, et fundamentali solenniter inserta, non secus ejusdem App. Const. Part. II Tit. I art. 3 collatis cum Compilatis Constitutionibus Part. III Tit. IX art. 3 in erudienda per omnes bonarum Artium Disciplinas et excolenda per exoticas in Provinciis Principi Transylvaniae

confoederatis experientias juventute Transylvanica pia sane solicitudine et quidem sub dira anathematis execratione, et perpetuae infamiae nota contravenientibus irroganda sancitus, pro cassatis annihilatis et in perpetuum abolitis haberentur.

Deum immortalem! Taliane cordatos Christianos, juratosque Patriae legum custodes decent? Ut confirmata toties Diplomata Regia, Pacta mutua, Pragmaticas Legum Sanctiones, communem Patriae libertatem tam sacram, quam profanam fidemque demum publicam, contra juris jurati sacramentum temerare convellere et evellere nosque, concives suos, generis propinquitate ipsis junctos, seposito omni timoris Dei sensu, tot aerumnis animorumque moeroribus hoc ipso exponere, et tandem Principatum totum, totius Christianitatis antemurale, tot in eo Populorum, tot Regiarum Liberarumque Civitatum, et tam florentis Nobilitatis labefactatione in discrimen praecipitare, non misereantur neque contremiscant. Et dum haec taliter gerunt infensum suum erga nos animum et irreconciliabile odium D. concives nostros Catholicos testatum hoc ipso reddere nostrisque exterminium moliri, illis duntaxat perspectum non erit, qui naturae rationalis dictamenque conscientiae sensum totaliter exuunt.

Hae sunt illae lacrimae, et haec tristia nostrarum Religionum fata, quibus a quadraginta annorum spatio misere colluctamur, et assiduis desuper lamentuosisque precibus nostris Augustam Aulam de casu in casum in dies fatigamus. Sed aut supplicum Libellorum nostrorum suppressione, aut illorum, quae per fas et nefas nobiscum agebatur extenuatione, ac aliis variis artibus exquisitis, et supra uberius expositis, omnes nostrae per tot annos concumulatae solicitationes et lamentationes per Cancellarium promoveri neglectae; eoque pacto Leges Patriae fundamentales Pragmaticaeque sanctiones, Sacra Regum Diplomata a medio jam seculo toties repetitis vicibus, super communi Receptarum Religionum libertate declarata et confirmata, pro frustratoriis captiosis et illusoriis sunt habita.

Ne itaque tanta Sanctionum Pragmaticarum sanctimonia et suprema Regiae Majestatis auctoritas in contemptum tota veniat, et vilipendatur, neve inquieti et effrenis genii hominibus in se ipsis de sua arrogantia gloriandi, nosque in peiora quaevis praecipitandi, et totam demum Rempublicam in discrimen adducendi, uberior suppeditetur licentia, autores et concitatores similium severis etiam animadversionibus benigne refrenentur et ad Regias dispositiones homagialiter observandas cogantur, ut tanto tranquillior (liceat his verbis Sacri Diplomatis uti) diversarum in Transylvania Nationum persistat status, periculosae machinationes et ambitus exulent ac omnium animis salus publica pro optimo Regiminis fine, in quem colliment universi haereat radicata. Nosque

voti nostri compotes tandem facti, pristino florentique statui, avitae libertati, et felicitati, Sacrae Regiae Majestatis clementia et justitiae amore benigne in postliminio restituti sub auspiciis Regiae Majestatis ingens in salutem publicam et gloriam Majestaticam hoc ipso redundet incrementum.

Hactenus Gravamina Religiosa; quae in ordinem redegit jussu Illustris Consistorii Supremi Illustrissimus D. Stephanus Lib. Baro de Daniel et Vargyas, rerum legumque patriarum peritissimus perlecta in eodem supremo Consistorio ac adprobata Deputatisque ad Augustam Aulam recommendata. An vero Regiae Majestati in haec verba fuerint repraesentata ipsi norunt? Illud manifestum est Resolutionem adhucdum desiderari.

§ III. Redierunt discursus inter Status et Ordines Transylvaniae de Articulis Regiae Majestati aut Religioni Romano-Catholicae praejudiciosis correctioneque Patrii Juris. [1]) Tandem post varios animorum motus et disceptationes inter Receptas Religiones in Diaeta Cibiniensi anno 1744 ex annuentia Aulae Articuli illi aut sublati sunt aut modificati. Jus Principes eligendi abrogatur, et successio haereditaria Domus Austriacae confirmatur. Articulus hujus Diaetae sextus, qui confirmationem Jurium, et modificationem Articuli in lege de Unione continet ita est:

Cum Sacra Regia Majestas vi legitimae et immediatae successionis Haereditarii hujus sui Principatus Regimen suscipiens Rescripto suo benigno die XXI Octobris anno 1740 edito. universos et singulos trium Nationum status et ordines in nostris Juribus, Legibus, Privilegiis, Immunitatibus et Indultis, quae videlicet ab Avo, Patruo, et Genitore Majestatis suae desideratissimis, seu Diplomatice, seu Sacrum hoc Diploma secutis benignissimis resolutionibus et sanctionibus tam circa Sacra, quam profana, huic Principatui concessa et indulta fuere benigne confirmaturam, et clementissime conservaturam, cunctaque et singula benigne promissa effectui mancipaturam sub verbo Regio affidaverit, expost ad Instantiam nostram per Deputatos nostros specialiter factam inter reliquas benignas Resolutiones suas sub XX Julii 1742 confirmare dignata fuisset; novissimeque inter Propositiones Regias indulsisset inseri dictarum Resolutionum Paragraphum isthoc tenore sequentem: Etsi Legem, quae incipit Andreas Rex et alia nonnulla, quae ipso fidelium statuum nostrorum assensu interea mutari contigit, postliminio resuscitandi et denuo valida reddendi Mens nobis non sit, in reliquo universos et singulos fideles nobis dilectos charae nobis Transylvaniae trium Nationum status

---

[1]) Conferatur superius Cap. IV § VI—XI.

et ordines sine discrimine Religionum, etiam Sacrae Romano-Catholicae Ecclesiae Graeci Ritus vere unitorum, cum et illi Catholici sint, reddimus hisce certos, et securos non secus ac alios quosvis, cujusvis gradus et conditionis ejusdem Principatus Incolas universos et singulos, quod eosdem in suis Juribus Legibus, Privilegiis Immunitatibusque et Indultis, quae videlicet ab alte dictis Augustissimis Praedecessoribus, Avo nimirum, Patruo et Genitore nostris desideratissimis seu Diplomatice seu aliis Sacrum hoc Diploma secutis benignissimis Resolutionibus et sanctionibus tam circa Sacra quam profana charae nobis Transylvaniae concessa et indulta fuere clementissime non modo confirmemus, verum etiam illibate simus conservaturae. Nos venerabundi maternum affectum huncce agnoscimus, grataque mente tam luculentum ejus Documentum Articulo huic inserendum existimavimus. Terminos autem Graeci Ritus Unitorum mentionato Resolutionis Regiae Paragrapho insertos ad Ecclesiasticos solum et nobilitari Praerogativa gaudentes, quorum conditio ea est, quae reliquorum Patriae civium, et qui eidem Nationi e tribus receptis systema hujus Principatus constituentibus, ubi per adeptionem Bonorum sedem sibi fixerint, hoc ipso absque Quartae Nationalitatis Erectione ac Constitutione annumerati sunt, referri non vero ad plebeos vel filios Poparum e plebea sorte adsumptorum extendi posse, aut debere, ne systema hujus Principatus evertatur, neve Plebs Valachorum aliorumque Advenarum numerum inter Nationes faciat, ac vel ulli trium Nationum, earumque Juribus, Privilegiis, Immunitatibus et Praerogativis, praejudicio sit intelligimus [1]).

Quod porro Approbatarum Constitutionum Partis. III Tit. I Articulum unicum subsequentemque super Unione Juramenti Formulam, huicque subnexas Unionis Conditiones attinet, non est, neque fuit Consilium statibus Articulum hunc in moderna litera relinquere, sed adhuc sub initio Diaetae conventum jam super eo fuerat, ut in parte juri Majestatis derogante inter praemissos de Majestaticis Articulos abrogarentur, quos nunc etiam in tantum hisce pro sublatis declaramus [2]).

In quantum vero Religioni Romano-Catholicae praejudiciosi in iisdem recapitulari videntur, in tantum inter Articulos eidem Religioni praejudiciosos abrogari statuimus: reliqua parte qua libertatem liberi Exercitii Receptis Religionibus permitterent et Nationum Receptarum mutuam

---

[1]) Clarius haec materia intelligitur ex Historia Unionis Graeci Ritus Valachorum cum Romano-Catholicis.

[2]) Conferatur huc superius Lib. III Cap. XIV. De quatuor Receptis Religionibus.

Jurium et Legum conservationem spectarent praecibus etiam innoxie fundendis in salvo relictis, qua hac Lege sese conservarunt dictae Nationes et ad haec usque tempora durarunt; illudque institutum a Divo etiam Leopoldo hac in parte laudem meruit, ut sic Regium servitium et publicum hujus Principatus, civitatemque solidante illa constitutione, quae ipsa Lex fundamentalis est, in vigore relicta, singulis vi hujus vinculi convivere liceat, et in praeattactae Juramenti Formulae locum subinsertam substituimus, juxta quam teneatur, quivis legitimam aetatem assecutus vel indigenatum, votumve in publico sortitus aut officium gesturus Juramentum deponere[1]).

§ IV. *Articuli R. Catholicae Religioni praejudiciosi tolluntur.* In eadem Diaeta Articuli Romano-Catholicae huicque Graeci Ritus vere Unitorum Religioni praejudiciosi abrogantur sequenti Articulo.

Considerantes porro nihil pro bono Patriae exoptatius evenire posse, quam ut sublato penitus partium studio omnis discordiae et querimoniarum ansa eradicaretur, aequum proinde putavimus ut sicuti in praecedenti sexto Articulo trium Nationum et Receptarum hic quatuor Religionum in generali prospectum est, tresque a Romano-Catholica Religione, diversae, plena et omnimoda libertate, nullisque circumscriptae legibus essent, ita non disputatur aetate nostra, nec disputabitur successivis quibusvis Posteritatum quoque nostrarum temporibus Episcopatus Romano-Catholici, et Capituli, Canonicorumque restitutio juxta Resolutiones, hactenus emanatas, cum illi assensu Statuum et Ordinum sunt introducti et acceptati. Ordo vero Patrum Societatis Jesu, Episcopatus Fagarasiensis Graeci Ritus Religioni Romano-Catholicae vere unitorum realiter admissi in Fundorum Bonorum et Beneficiorum quae habent, Possessione confirmati vivant, deletis illis qui in contrarium, seu generaliter, seu specialiter vel particulariter faciunt Articulis, Approbatis vel Compilatis, Constitutionibus insertis, aut alibi existentibus in quantum Religioni Romano-Catholicae absque laesione aliarum Religionum praejudicant. Episcopum excludunt, Canonicos a cura et custodia Archivorum Albensis videlicet et Colos Monostoriensis arcent, Ecclesias, Collegia Monasteria et Residentias Religiosorum actu in hac Patria existentium, ad certa duntaxat loca restringunt, liberum exercitium vetant, et immunitati Ecclesiasticae quoquo modo adversantur; pariter articulos societatem Jesu proscribentes, fautores eorum notae infidelitatis subjicientes pro abrogatis declaramus. In reliquo Legibus et Articulis in quantum securitatem Jura ac Privilegia Sacra ac Civilia trium etiam aliarum a Catholica diversarum Religionum receptarum continent salvis semper

---

[3]) Confer. ll. cc. §. VIII de Juramento ad Unionis Conditiones.

manentibus. Et haec omnia sensu Diplomatum et subsecutarum Resolutionum Caesareo-Regiarum intelligantur[1]).

§ V. *De Gymnasio Udvarhely. Templis Scholisque non erigendi. — Memoriale Reformator. ad Reg. Majestatem.* Renovata erant quaedam Reformati in Udvarhelly Gymnasii aedificia ruinam prope minantia. Unde occasio nata est lividis Reformatorum adversariis, eos apud Aulam non tantum de Gymnasio Udvarhellyensi deferendi, ac si antiquos ejus limites longe extendissent, sed etiam in commune accusandi, qui Templa, Scholas, Oratoria et Parochias absque praevio Principis indultu de novo erigere praesumerent. Mandavit igitur serenissima Transylvaniae Princeps clementer die XXV Maji an. 1750 Regio in Transylvania Gubernio non solum de Gymnasio Udvarhelyensi ejusque statu inquirendi, sed insuper ut, a tempore ordinationis Carolinae de Templis et Parochiis[2]) per Comitatus et loca diligenter investigaretur, quis quando et ubi de novo scholas Templa oratoria erexerit? Facta ergo est jussu Excelsi Regii Gubernii investigatio per commissarios reparationis aedificiorum Gymnasii Udvarhelyensis, ubi extensio terminorum, aut de novo erecta aedificia inventa non sunt sed in antiquo fundamento aedificata. Occasionem haec Reformatis dederunt libellum supplicem ad Sacratissimam Regiam Majestatem adornandi sequenti tenore:

Ex certis Relationibus, imprimis vero Curatorum, et Superintendentis, qua Professoris Gymnasii Reformati Udvarhellyensis expositione, de illis, quae in substrata materia jussu Gubernii Regii gesta sunt, accepimus, quod licet Majestas Vestra Sacratissima in benigno suo de dato 25 Maji Rescripto, ita clementissime jussisset, ut si res, prout exposita est comperta fuerit, Oratorium in oppido Udvarhely, prout expositum est, recenter erectum obsignaretur, neo-introducto Professori docendi facultas interdiceretur, extensioque pomoeriorum Gymnasii investigaretur, eo nihilominus Commissarios a Regio Gubernio ordinatos processisse, ut cum Oratorium nullum inventum, nec pomoeria Gymnasii extensa essent, novo tamen coadjutoris nomine admoto Josepho Körösi docendi, Gymnasio vero fundos comparandi facultatem interdicerent.

Innatae proinde Majestatis Vestrae clementiae confisi, licere nobis arbitrati sumus, statum hujus Gymnasii Majestati V. Sacratissimae uberius et in rei veritate exponere. Ecclesiam nempe, in Udvarhely Reformatam de erigendo Oratorio ne cogitasse quidem, in Gymnasio vero jactum erat antiqui Auditorii ex muro olim fundamentum, eique ligneum superstruc-

---

[1]) Articul. VII. Diaetae Cibiniens. 1744.

[2]) Vide supra Cap. IV, § IV. tunc pariter occasionem nacti erant accusatores ex renovatione aedificiorum Collegii N. Enyedensis.

tum aedificium, quod quidem dum ob vetustatem lapsum minaretur, visum erat dicto fundamento murali, murum superstruere sine omni extensione, nec ullo alio fine aut emolumento sed eo duntaxat, quo ligneum deserviebat. Nec numerum Professorum auctum esse, si quidem ordinario in Superintendentis gradum elevato, variis Cleri negotiis distracto, frequenterque ab officio absenti, licitum semper fuisset, sibi capellanum vel coadjutorem conducere, qui ordinario absente, vel officii rationibus intento, ejus functionem subiret; ita modernus quoque non alio fine admotus est, quam ut Superintendentis munus seu absentis, seu distracti suppleret. Et cum vocationem hanc institueremus eadem fidelia omnem adhibueramus operam praefato superintendenti aliquam procurare stationem, indignum esse censentes ut Superintendens exilis illius Gymnasii directione occuparetur, sed occasio defuit. Denique nullae extant Leges, nullae Caesareo-Regiae ordinationes Professorum numerum studiorumque statum restringentes et hinc nullatenus videremur peccasse in ordinationes et mandata Regia coadjutoris hujus admotione, cum nulla hactenus de similibus exstiterint, nec in citato a Majestate Sacratiss. Vestra Rescripto Carolino ejus mentio habeatur. Sinistra pariter est informatio de extensione Gymnasii ad Majestatem Vestram data; ejus enim aedificia in antiquis limitibus conservata, nullis ab extra aucta sunt incrementis.

Auget in immensum dolorem nostrum, quod etsi per novellares Principatus hujus Constitutiones an. 1743 communi Statuum et Ordinum consensu conditas a Majestate autem Sacratissima an. 1744 benigne confirmatas ac pro aeternum valitura lege et sanctione evulgatas, nostrae etiam Religioni plenam et omnimodam libertatem nullis circumscriptam legibus asserentes, omnes priorum temporum particularitates essent sublatae hanc nihilominus sinistram de statu oratorii Gymnasiique Udvarhelyiensis delationem, Majestati Vestrae Sacratissimae dedisse occasionem, ut de Templorum, Oratoriorum, Scholarum, Parochiarum etc. ab emanatione Decreti Carolini an. 1727 dati, sine praevia indulta facultate noviter extructorum Majestatis V. S. informationem submitti juberet. Materna quidem Majestatis V. pietas et teneritudo nihil de illis citata lege licitis gravius statuendum promittit. Verumtamen ne audaciores ex peracta similium investigatione cornua erigere, novas injurias moliri, Majestatemque V. Sacratissimam modernae similibus sinistris informationibus fatigare attentent, ac detorto Legum ac Decretorum sensu quicquid libet licere sibi in nos arbitrentur, quodque et hactenus frequenter evenit, impedita desolatorum nostrum Templorum restauratione, eadem simul quod non reparentur occupent, suique juris faciant.

Supplicamus proinde Majestati V. Sacratissimae humillime dignetur Majestas V. S. interdictam coadjutoris in Udvarhely docendi facultatem

clementer restituere, nos in libero exercitio Jurium nostrorum Ecclesiasticorum Sacratissimo Diplomate et Legibus etiam Novellis clementissime confirmato relinquere, gravaminibus nostris toties quoties Majestati V. Sacratissimae substratis medelam et metam ponere, ac ad ulteriores afflictiones nostras avertendas, poenas in contravenientes ac sinistros delatores ordinare. Templorum, Oratoriorum Scholarum et Parochiarum investigationem remittere, libertatem extruendi ubi auditores fuerint indulgere, plenamque libertatem Religionis nostrae sartam tectamque relinquere. Allegatis demum pragmatice sancitis an. 1744 constitutionibus in publico debitoque vigore relictis.

Mandatum tamen eodem anno jussu Regii Gubernii per Comitatus et Loca publicatum ac investigatio de Templis, Scholis, Oratoriis, ac Parochiis diligenter per officiales Comitatenses peracta est.

§ VI. *Poena desertorum Religionis R. Catholicae. — Copulare prohibentur Ministri Ref. et Luth. diversarum Relig. personas. — Cathol. filii non debent recipi in Scholis Reformatorum.* Extractus Decreti Caesareo-Regii de dato 19 Augusti an. 1751 ad Regium Gubernium emanati, quamvis Puncta in eo contenta seorsim quoque fuerint publicata, tamen jussu Regii Gubernii die 8 Oct. an. 1751 per Comitatus publicatur tenore sequenti:

Super differentiis porro circa eos, qui ad fidem Catholicam convertuntur, ac iterum ab illa desciscunt, aut nati Catholici ad aliam non Catholicam Religionem deficiunt. Nec non Matrimonia contrahentes dum altera contrahentium Persona Catholicae Religionis est. Non secus proles Catholice natas et in aliarum Religionum Scholas studiorum causa datas, ac denique Pupillos Catholicos, qui aliis Religionibus addictorum curae et educationi committuntur Majestati nostrae propositis, clementissime decernimus et in illo Principatu nostro observari stricte praecipimus. Et quidem:

Primo.

Ut relabentes poena perjurii statuta adficiantur Vestrae Gubernii opinioni an. 1748. 27 Martii submissae tanto aequius adsentimur quod ejusmodi relapsis ignotum reipsa nequeat. Juramentum in fidei professione praestitum impune violari non posse, facto nihilominus

Secundo.

Inter Catholicos natos discrimine, cujus decisionem oraculo nostro tenore citatae informationis Vestrae subjectis; eos qui majorennitate adsecuta aberrant, superius memorata perjurii poena puniendos; minorennes vero arbitrarie castigandos esse (per liberum enim in Principatu nostro indultum Religionis exercitium. intelligi nequeunt, mutationes

Religionum, non solum legi Divinae repugnantes, sed etiam in statu Politico diversas confusiones generantes) ferendam in istius modi casibus sententiam, una cum actis eo spectantibus ante publicationem ejus nobis semper submitti volumus. Interdicatis

Tertio.

Reformatae et Lutheranae in illo Principatu Religionum Ministris, ne deinceps diversarum Religionum personas sine licentia Episcopi Catholici copulare audeant. Ubi tamen advertendum, quae secus ab alterius Religionis Ministris ob subtractum stolae beneficium moveri possent querelas, observandum erit ut quaevis pars Religionis suae Ministro stolam in particulari solvere teneatur. Severissime

Quarto.

Interdicimus ne juventus Catholica in aliarum ibi Religionum scholas mittatur, ab iisque recipiatur. Singulis autem locorum Magistratibus solicita pupillorum Catholicorum in Religione Catholica educatio districte et ita committatur, quatenus de tempore in tempus Regio nostro Gubernatori id annunciare in casu observandi, quod eventurum non putatur, neglectus rationem, desuper reddere sint obstricti.

§ VII. *Reformati status nomine scribere prohibentur. — Bona Superintendentis Reform.* — Bona ab Episcopo Catholico possessa mandante ita Sacrat. Regia Majestate e jure Fisci sunt exempta Jurisque Episcopalis facta, ea occasione Reformati ratione Bonorum inscriptitio jure a Superintendente Possessorum intercesserunt, sequentem acceperunt Resolutionem anno 1752 die 22 Julii. „Et cum observaverimus a Reformatae in illo Principatu nostro Religioni addictis in Memoriali ratione Superintendentis sui in Bonis inscriptitio jure possessis jure perennali stabiliendi communi nomine formato s t a t u s nomen usurpasse, taliterque subscripsisse, inconveniens autem esset, ut in una Provincia plures diversique considerentur s t a t u s, praeterea idem Superintendens confirmationem suam, utut eam Approbat. Constit. Part. I. Tit. 1 Art. IX vigore a terra Principe habere deberet, a nobis impetrare hactenus neglexerit. Hinc tam unius quam alterius intuitu eosdem Reformatae Religioni addictos, quo a priori abstineant, posterius vero observent, taliterque intentioni ac voluntati nostrae fiat satis, monebitis."

Quod jussi erant, perfecerunt, confirmationem Superintendentis in officio impetrarunt, non sine insigni, in summa hac paupertate ad Cancellariam Aulicam, taxa, anno 1753. Hocque est primum exemplum confirmationis Superintendentis in officio in Joanne L. Borosnyai inchoatum.

De Bonis vero a Superintendente possessis alia Resolutio die 17 Julii

an. 1752 facta, haec est. „Ad demissam Reformatae in Principatu illo Religioni addictorum Superintendentis intuitu. quo videlicet is ejusque in officio successores in Bonis jure inscriptitio possessis et sub actione fiscali in praesens existentibus jure perennali stabilire possit, factam intercessionem benigne reflectentes necessaria exarabuntur Mandata quatenus Actio a Fisco nostro eatenus mota suspendatur. Interea vero Bona illa per Thesaurariatum nostrum conscribantur, aestimentur, nobisque desuper fiat relatio." Conscriptio eodem anno diligenter peracta est, in eodemque adhuc permanet statu.

§ VIII. *De Szent Rontasiensibus. — Templa via facti occupare prohibetur.* — Unitariis Szent Rontasensibus vi eripuerant Templum Romano-Catholici; qui simili modo ac strepitu redoccuparent. Disciplicuit Aulae totum hoc factum, eaque occasione mandavit, ne via facti ulla in posterum Templa occupentur. Verba Mandati die 22 Julii an. 1752 emanati sunt ista:

„Ea demum. quae circa Ecclesiam in possessione Sz. Rontás sedeque Siculicali Maros existentem a Catholicis occupatam, paulo post vero ab Antitrinitariis insolenti prorsus ac tumultuario modo reoccupatam intervenerunt, ingratum fuit nobis inaudire. Jubemus proinde vobis serio, quatenus Ecclesiam illam ex eo potissimum, quod dicti Antitrinitarii scandaloso ac Legibus etiam Patriis vetito tumultu excitato processerint, obsignari, et eo usque in sequestro haberi faciatis, donec impartialis desuper peracta Inquisitio nobis submittatur et benigna nostra sequatur Resolutio. Seriam vero impendetis curam ac vigilantiam ne in futurum hujusmodi inconvenientes, tranquillitatemque Patriae internam turbantes actus patrentur: neque ulla Receptarum in illo Principatu Religionum Templa inposterum via facti occupare praesumat, tanto quidem minus, quod in similibus via et modus procedendi Legibus Patriis clare praescriptus habeatur."

§ IX. *De Juventute ad exteras oras proficisci volente.* —Nullas Protestantes in Transylvania habent Academias pro scientiis solidioribus excolendis; necesse est igitur ut ingenui adolescentes experientiae et studiorum gratia in exteras proficiscantur Regiones. Ast quoniam Hungaris, ut plurimum, studiis deditis, res est augusta domi, nec aureis argenteisque velis provehi possunt, a piis Principibus ejusdem Fidei consortibus factae sunt Piae Fundationes pro studiosis Hungaris in Germania, Helvetia, ac Belgio, unde ad eos proficiscentes ac studiis operam navantes Hungari commode intertenentur. Redibantque scientiis exculti ac libraria supellectili bene instructi quovis anno praecipue ex Belgio non pauci. qui labantem Religionis statum sustinerent. Coepit tandem eorum numerus ac conditio circumscribi, resque ad Principem delata, inde sequentes an.

1752 Resolutiones factae sunt, ad Regium quidem Gubernium die 22 Julii:

„Quis vero noster circa Articulum Juventutis in exteras oras experientiae causa proficisci volentis intuitu a Statibus et Ordinibus citatum, et e vestri medio nobis repraesentatum sit sensus, ex benigno nostro ad dictos Status et Ordines exarato Rescripto percipietis, vobis praeterea serio committimus, quatenus invigiletis, necessariasque faciatis ordinationes, ne ejusmodi Juvenes promiscue, sed praemisso ad mentem citatarum Legum et Resolutionum per viros idoneos examine, num utilitatis quidpiam ex eorum peregrinatione in Publicum redundaturum sperari queat, in exteras oras discedere permittantur. Dimittendi vestris Gubernii Regii Passualibus se muniant in Aula nostra exhibendis, ubi etiam Reversales de quod ad amicas nobis provincias exteras se conferre velint praestabunt, si qui vero Legibus Patriis, nostrisque ordinationibus non attentis, alia via, et sine praehabita licentia egressi fuerint (plures enim praesertim ex Reformatae Religioni addictis der Poloniam ac Silesiam proficisci perhibentur) illi tanquam Legum Mandatorumque Caesareo-Regiorum transgressores poena articulari erunt plectendi."

Ad Status vero et Ordines Transylvaniae die 17 Julii sequens: „Matura perpendimus etiam Articulum Compil. Constit. Part. III Tit. 9 a vobis Juventutis in exteras oras experientiae causa proficiscentis intuitu citatum, et comperimus omnino scandalosum, Juribusque et authoritati nostrae praejudiciosum esse. Pro ea nihilominus qua in manutenendas Regnorum ac Provinciarum Leges firmiter benignitate, non aliter, quam per vos fideles nostros Status et Ordines Trium Nationum ejusdem Principatus et Partium eidem incorporatarum, dictum Articulum volumus modificari. Juventuti vero in exteras Provincias proficisci volenti, observato tum hoc, qui nunc modificandus veniet, quam altero Approbat. Const. Part. III Tit. 14 ut et reflexe ad Resolutiones Caesareo-Regias hac in materia factas, nec in posterum secundum temporum circumstantias licentiam denegabimus, majorem tamen eorum, qui in Haereditariis Nostris ditionibus se excolere studebunt, quibusvis in occasionibus habiturae reflexionem."

§ X. *Articulus modificandus ex Comp. Const.* — Articulus ille, qui ex Compilatis Constitutionibus modificandus proponitur, sub anathemate olim conditus ita est: „Patriae filiis ad Provincias Christianas in rebus honestis profectis, bonorum in iis conservatio, et ob res necessarias commoratio simpliciter libera sit. Exitus eorum discendi, serviendi ac commorandi causa tantum abest ut interdiceretur, quin potius ejus interdictionis in hac Provincia ne mentio quidem habeatur. Salvum conductum tamen debent impetrare, Principes quoque exhibere; quem si denegarent, aut procrastinarent libere discedere possint. — Hanc constitutionem pro perpetuo et irrevocabili Decreto volumus haberi, hoc per

expressum declarato, ut si quis quocunque tempore, Principum statuum, Constitutionum mutationibus ejus abrogationem, aut imminutionem proponeret aut postularet, multo magis qui suffragaretur annueret, aut contrarium moliretur, vel contrariam constitutionem condi faceret, conderet, acceptaret, in futuro aevo apud Deum sit maledictus, in hoc vero mundo infamis."

§ XI. *Modificatio articuli de salvo conducto.* — Discursus a Statibus et Ordinibus Provinciae de hoc Articulo fuerunt varii, tandem ejusdem Modificatio facta est in haec verba:

„Dum Majores nostri de iis, quae pacatum Principatus hujus statum reddere poterant, aut ad utilitatem publicam faciebant, solicite prospicere voluerunt, inter alia modum etiam atque conditiones in exteras oras proficiscendi Approb. Const. Part. III. Tit. 14 et Compilatarum Constitutionum Partis III Tit. 9 praescripserunt. Quoniam vero in hoc posteriore Compil. Const. articulo nonnulla supremae Regnantis Principis authoritati, haereditarioque Juri praejudiciosa et scandalosa comprehendi observavimus, dum libera in exteras Provincias, sive studiorum, sive aliorum respectuum causa, peregrinatio indiscriminatim, absque etiam Principis venia, statuta extitit. Idcirco Approbatarum Constitutionum praeallegato Part. III. Tit. 14 in suo vigore relicto, et imposterum quoque observando, pro ea quam sua Majestas Sacratissima nobis benigne indulsit, praefatum compilatarum Constitutionum Articulum modificandi facultate, eundem Articulum sua Majestate Sacratissima annuente, ita modificamus, ut cassatis iis, quae Juribus ibidem Majestaticis et supremae Haereditariae Principis Authoritati praejudiciosa, simulque scandalosa continentur, quemadmodum juxta anteriores suae Majestatis S. legibus nostris conformes editas eatenus Resolutiones usu jam receptum est, ita imposterum quoque extra haereditarias Ditiones profecturi praevia ad mentem repetiti Approbat. Const. Partis III Tit. 14 aut etiam virorum idoneorum pro circumstantiarum ratione, per Gubernium delegandorum de Statu et conditione Peregrinantium investigatione, compertaque etiam ipsorum ex suorum Moderatorum testimoniis capacitate, et subinde in publicum redundatura utilitate, Regii hujatis Gubernii, vel in absentia hujus solius etiam Gubernatoris Passualibus sese munire, easdem in Aula suae Majestatis Sacratissimae exhibere, ibidemque datis Reversalibus, fidem atque securitatem, de adeundis amicis duntaxat Regionibus spondere et praestare teneantur: in casibus contravenientiarum poenam praevaricationis ad Legum dictamen incursuri. Per expressum tamen declaratum haberi volumus liberam hujusmodi et praemisso modo peregre proficiscendi facultatem ad eos solum, qui seu propriis seu privatis Patronorum suorum sumptibus, et expensis eum in finem necessariis provisi dignoscuntur. Non vero illos, qui ejusmodi sumptus per emendicatam a plebe

contribuente vicatim stipem (haec enim qualicunque sub praetextu et titulo instituenda, veluti in manifestum contribuentium onus vergens perpetuo interdicta esto) extendendam esse. Humillime interea confidunt Status et Ordines suam Majestatem Sacr. pro materna sua erga fideles subditos pietate, atque clementia pientissimis suis hac in materia exaratis Rescriptis testata, licentiam praescripto modo peregrinandi in exteras suae Majestati Sacratissimae amicas Provincias, bonarum artium, experientiaeque intuitu, Juventuti Transylvanae, ad summi Principis servitium Patriaeque emolumentum anhelanti, juxta tenorem modificati hujus articuli, salvo conductu mediante, per Regium suum hujas Gubernium vel Gubernatorem sine Religionum discrimine pro circumstantiarum ratione benignissime impertituram." [1])

§ XII. *De Festis et eorum immutatione.* — Non parvas ab aliquot annis creaverant molestias Reformatis miseraeque rustico labori deditae plebi quidam indiscreto ferventes zelo Heortolatrae; qui non satis habentes se abstinere a laboribus in diebus Sanctis ac Sanctabus suis dicatis, verum ut idem Reformati caeterique quivis facerent, etsi eorum Religio aliud suaderet, vehementer urgebant. Praecipue ab anno 1752 cum de Die Dominico ab Augusta Aula mandaretur, ut devotius religiosiusque observetur, ac ad horam usque duodecimam omnes mercatus, emptiones, venditiones, strepitusque evitarentur, in rem suam vertentes eadem de suorum Sanctorum Festivitatibus urgebant. Nundinas in easdem incidentes prohibebant, rusticos ab opere rurali arcebant, inobedientes poenis subjiciebant, aut damna illis inferebant. Evenit tandem eodem plane tempore cum hi in Festivitatibus suis urgendis modum excederent omnem, ut ad requisitionem Sacratissimae Imperatricis summus Romanorum Pontifex Festorum rationem immutaret, atque ita in Transylvania quoque nimius iste Festa colendi zelus paulatim residit. Voluntatem Sacratissimae Imperatoriae Majestatis et summi Pontificis Romano-Catholicorum in Transylvania Episcopus his Patentibus publicavit:

„Sigismundus Antonius Sztoyka Baro de Szala permissione Divina Episcopus Transylvaniensis, Sacrorum Canonum Doctor, Sacratissimarum Caesarearum ac Regiarum Majestatum status actualis et Excelsi Regii in Transylvania Gubernii consiliarius intimus: Dilectis nobis ac respective honorabilibus in Christo Clero tam Seculari, quam Regulari, tum fideli utriusque sexus populo, in Dioecesi ac sub Jurisdictione nostra spirituali existentibus et constitutis, salutem in Domino et paternam Benedictionem, Sacrosanctam militantem in terris Ecclesiam Dei, jam inde, ex quo superaedificata est super fundamentum Apostolorum et Prophetarum duplici genere Regiminis, Disciplinae videlicet Legibus et

---

[1]) Articul. I. Diaetae Cib. an. 1752.

Dogmatis Fidei sanctimonia regi, fuisseque gubernatam. vetus et concors Patrum consensio, publicaque rei Ecclesiasticae administratio luculentum exhibent testimonii documentum. Quemadmodum autem sunt quaedam in isthoc etiam Sancto fidelium Coetu uti divus quoque perhibet Leo Magnus, quae nulla possunt ratione convelli, sunt tamen et multa, quae aut pro ratione aetatum, aut pro necessitate rerum oporteat temperari, illa semper consideratione servata, ut in his, quae dubia fuerint aut obscura, id veniat sequendum, quod nec Praeceptis Evangelicis contrarium. nec decretis Sanctorum Patrum inveniatur adversum, ita invariabilis semper ad ea, quae ad Disciplinae duntaxat dignoscuntur Leges pertinere salva undequaque ac invariata perseverante Fidei ac Dogmatis integritate, prout aut circumstantiarum temporumve suaderent vicissitudines aut locorum Populorumque exigerent necessitates, secundum spiritus Dei. quo regitur, dictamen. nondum statuta statuenda, statuta moderanda, moderata immutanda indubitataque stetit penes eandem Sanctam Ecclesiam auctoritas potestatis. Atque hinc est quod Sanctissimus Dmns. noster Benedictus divina providentia Sanctam Romanam et universalem Ecclesiam modo felicitur gubernans Papa XIV, postquam e supremo Apostolici sui regiminis solio. ut universalem decet Ecclesiae Rectorem, supremumque totius Dominici gregis Pastorem vigilantem. mores fidelium penitus contemplatus pervidisset. quantum hi corruptis temporibus modernis, a salutari illo majorum suorum in pietate fervore remisissent, quantumve in ardore charitatis intepuissent, vixut adeo aliquos jam maturos boni operis fructus germinarent, ex quo foecundae in cordibus eorum charitatis radices arescerent, vix quiddam sincerae devotionis odoris exspirarent. postquam avitae pietatis Christianae suavitatem nauseassent, atque inde ad temporalia Mundi plus aequo imo pleno animo effluentes, curam suam omnem solicitudinemque Bonis. rebusque caducis aucupandis, lucris incertis captandis, fluxis divitiis corradendis consecrarent. pro paterna erga universos Christi Fideles benignitate sua, censuerit supremam suam in iis authoritatem suam interponere, quae caeteroquin ad majus Divini cultus incrementum praescripta, aut perfrigescentem in cordibus eorum charitatem, ad otium. luxuriamque convertuntur, aut per eosdem diversis calamitatum generibus, occulto. sed justo Dei judicio pro merito suo gravius pressos, ob rerum ad vitam traducendam necessariarum inopiam non sine conscientiae reatu contemnuntur. Cum itaque certa nimis didicisset experientia per crebriorem operum servilium, reipublicae proficuorum, diebus festivis cessationem, non tam jam Coelites coli, aut Deum reddi propitium, quam emolliri mores, otium nutriri, et quae inde promanant vitia adaugeri ad preces Augustissimae Dominae Mariae Theresiae Romanorum Imperatricis Hungariae Bohemiaeque Reginae et Principis Transylvaniae etc. Dominae D. nostrae Clementissimae, eundem in finem Sanctae

Sedi Apostolicae supliciter factas et propositas, Apostolici sui Brevis tenore, eam de Festis per annum Diebus edidit de anno proxime praeterito 1753 die prima Septembris dispensatoriam declarationem, cujus adminiculo et otii ac vitiorum a fidelibus amoveret occasionem, et quatenus tenuioris praesertim fortunae homines, comparandis rebus ad vitam sustentandam necessariis, crebrius vacare possent, ampliorem iisdem suppeditaret temporis opportunitatem.

Quam quidem Dispensationem cum per Apostolica simul et Regia scripta etiam in hac Dioecesi nostra palam edici, publicarique jussam acceperimus, eam pro injuncti nobis muneris ratione, Discretionibus Devotionibusque vestris ac vestrum singulis ita edicimus, annunciamus et publicamus, ut conformiter ad eandem Apostolicae ordinationis dispositionem noveritis quod: Paschatis, Pentecostes, aliisque per annum Dominicis, nec non Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, Circumcisionis, Epiphaniae, Ascensionis, Corporis Christi, item Purificationis, Annunciationis, Visitationis, Assumptionis, Nativitatis et Conceptionis Beatae Mariae Virginis Immaculatae, Sanctorum item Apostolorum Petri, et Pauli, Sancti Josephi nec non Sancti Stephani Confessoris primi Regis Apostolici Hungariae ac omnium Sanctorum, item cujusvis Civitatis et Parochiae vestrae praecipui Patroni, ac demum Sancti Michaelis Archangeli, qua praecipui Ecclesiae Cathedralis ac totius Dioecesis nostrae Patroni Festivis diebus, pro veteri Catholicae Ecclesiae instituto non tantum Sacris reverenter ac devote adstare, sed etiam a servilibus operibus, ac laboribus manualibus usque huc vetitis perinde ut antea abstinere omnino debeatis ac teneamini [1]).

In reliquis vero Festis per annum omnibus et singulis, sive per leges Ecclesiae antea praeceptis, sive per Provinciales Synodos, sive quacunque alia de causa, etiamsi ex causa voti, per vos forte aut Majores vestros facti, (quod dum nobis innotuerit in aliud pium opus etiam auctoritate Apostolica commutare possumus) praescriptis, (auditis tamen prius diebus iisdem ipsis Festis Sacro Missae caeterisque Divinis officiis, ad quae perinde, ut antehac, nec secus ad Vigiliarum observationem, sub gravi conscientiae reatu manetis, manentque singuli vestrum, secluso legitimo impedimento, obligati) laboriosis artium vestrarum exercitationibus, servilibusque ac manualibus quibusvis laboribus et operibus sine ullo conscientiae scrupulo vacare libere possitis ac valeatis. Hortamur autem vos in Domino paternae Dilectionis cum affectu, ut hanc tam liberalem Sanctae Matris Ecclesiae indulgentiam, non in libertatem carnis,

---

[1]) Michaelis Archangeli Festum in Hungaria adnumeratur iis Festis, quibus peracto cultu Divino servilibus operibus vacare licet.

verum in majorem Spiritus fervorem convertatis, paucioraque proinde jam illa Festa, Deo Divisque dicata, quae cum cessatione a laboribus remanent vobis colenda, longe majore cum zelo, spiritus alacritate, pietatis fervore, mentis contentione, charitatis ardore observare et celebrare, sanctissimo nimirum Altaris Sacrificio, in quo Christus Dominus tradit semet ipsum oblationem, et Hostiam Deo gratam, nobisque salutarem, reverenter ac devote adstare, Divinis officiis, Sacrisque concionibus, Christianae Doctrinae explicationibus et explanationibus frequenter adesse, auresque et animos intentos praebere porro ne per eos potissimum dies Sacros, corda vestra graventur in crapula et ebrietate ac cogitationibus secularibus (addimus) et operibus carnis solerter cavere, atque ut profana quaeque, ludicra et minus religiosa exulent e medio vestri, quam diligentissime curare studeatis, saepe recogitantes animo, quam grande sit piaculum, eos temerare dies, qui ad Divini Numinis cultum, Sanctorumque gloriosam memoriam recolendam consecrati sunt, memoriaque retinentes Propheticum illud oraculum, quo solemnitates, quas vitiosa consuetudine homines deturpant, tanquam stercus a Deo projiciendae et disperdendae denunciantur. Datum in Palatio nostro Episcopali Alba Carolinensi, Dominica Sanctissimae Trinitatis, in diem nonum Junii incidente Anno 1754.

Sigismundus Antonius m.p.

L. S.[1]

Ad mandatum suae Episcopalis Excellentiae Antonius Szeredai Cathed. Ecclesiae Albensis et a Latere altefatae suae Excellentiae Canonicus.

[1]) Locus Sigilli.

§ XIII. *De Piis Fundationibus.* — Extendit Sacratissima Regia Majestas curam suam etiam ad Pias Fundationes in quavis Religione existentes. Mandatum de his ad Regium Gubernium dedit sequens: „Maria Theresia etc. Illustres, Reverende etc. De Piarum Fundationum, quarum cura summe nobis cordi est, in illo etiam Principatu nostro, statu, quod eatenus est in Receptis singulis Religionibus, institutum sit, fructusque et emolumenta inde provenientia qualiter impendantur, pro supremo nostro Apostolico Regis et Principis Haereditariae munere (velut in aliis Provinciis et Ditionibus nostris Haereditariis) informari cupientes benigne decrevimus, ut vos Gubernium nostrum Regium omnes et singulos cujuscunque Religionis, sub quorum manu et dispositione ejusmodi fundationes habentur, eatenus moneatis, quatenus unus quisque eorum, quid, quantum, qualiter, per quem, quo fine fundatum sit, quidve illud annuatim importet, utrum de securitate ejus sufficienter provisum sit, quo item census et beneficia harum Fundationum conversa fuerint et convertantur, coram vobis adinvestigandum rite exhibeat, vos tandem seriem hujus Investi-

gationis, adjecta etiam demissa opinione vestra Majestati Nostrae intra semestre spatium pro ulteriori benigna dispotione nostra submissuri quod vobis benigne mandamus. Quibus in reliquo Gratia et Clementia etc. Datum in Civitate nostra Viennae Austriae die 29 Apr. an. 1754.

Maria Theresia.

Inquisitio per Dioeceses et Ecclesias. — Facta est igitur eodem anno Investigatio de Collegiorum ac Ecclesiarum Piis Fundationibus ac Beneficiis ad eas pertinentibus per juratos Cancellariae scribas, quae per Superintendentem repraesentata est supremo Reformatorum Consistorio, medio Consistorii Regio Gubernio, ab ipso suae Majestati Sacratissimae repraesentanda. Jussu Supremi Reformatorum Consistorii facta est alia etiam Inquisitio secundum Dioeceses ac Ecclesias de Rebus Ecclesiasticis, Templis, Turribus, Campanis Parochiis, Fundis, Agris, Pratis actu existentibus vel abalienatis, quae Regia mensura in longitudinem et latitudinem fuerunt mensurata; de Beneficiis, Proventibus, et iis, quae quocunque modo ad Ecclesiam pertinerent. Relatoria de his omnibus legitime per authenticas Personas confecta Illustrissimo Reformatorum Consistorio repraesentata atque in archivum Consistorii reposita.

§ XIV. *Rescriptum de studiosis Peregrinantibus. — Mandatum de Circularibus.* — Extractus Rescripti Caesareo-Regii anno 1756 a Regio in Transilvania Gubernio publicatus de Peregrinantium Passualibus, quibus studiosi ad exteras provincias profecturi, et qua modalitate muniri debeant. Occasionem Rescripti subministrarunt tres e Saxonica natione studiosi absque requisitis Passualibus e Principatu discedentes, consequenterque tandem in censuram vocati. Rescriptum Caesareo-Regium ita est:

Maria Theresia, Divina favente Clementia Romanorum Imperatrix etc.

Illustres, Reverende, Spectabiles, Magnifici, Egregii, Generosi, Prudentes item ac Circumspecti Fideles nostri sincere nobis dilecti! Relata est Majestati Nostrae humilima vestra informatio quam vos circa Andreae Lani, Thomae Helvigii et Martini Gross Saxonum studiosorum sine requisitis Passualibus ex illo nostro Haereditario Principatu ad exteras Universitates profectorum preces, examenque sub duodecima Decembris Anni novissime evoluti submisistis. Cum itaque de perfectione studiorum aut etiam quamcunque ob causam ad exoticas ditiones instituenda in eodem Principatu Nostro Lege jam ab olim, Benignisque Caesareo-Regiis ordinationibus successive editis, prius quoque ac memorati studiosi Patria movissent, ita cautum fuerit, ut proficisci volentibus, non nisi facta vobis vel Gubernatori congrua significatione, acceptisque inde salvi Passus litteris, eousque saltem, dum alias nostras obtinerent, valituris, egredi liceret. Hinc rationes, quibus illi factum suum excusare nituntur, haud equidem eo

evincentes apparent, quo culpa penitus vacare dignoscerentur; ex speciali tamen gratia nostra, iisdem hac adhuc vice factum praemissum benigne condonamus. Et una vobis clementer injungimus, quatenus spargendis per antelatum Principatum Nostrum Circularibus strictissimam cum Legis recentioris in Anno 1752 de ejusmodi profectionibus editae, tum et Benignarum Caesareo-Regiarum ordinationum observationem sub poena iisdem expressa indispensabiliter exequenda, inhabilitatisque praeterea ad quaevis in dicto Principatu munia, seu Ecclesiastica, seu Politica et civica, citra omnem in futurum talium obtinendorum spem irroganda ex novo publicetis, simulque censurae Peregrinantium eam habeatis curetisque haberi adtentionem, ut haec exacte, et pro debito per illos, quibus articulariter delata est, fiat, nec promiscue cuivis, verum iis, de quorum capacitate, et subinde redundatura in Publicum utilitate congruam capietis notitiam, Passuales dentur. Imo circa has ipsas Passuales pro privata Vestra directione observabilis porro id etiam specialiter, ut si quidem ad Theologica studia sufficiens in ipsa Patria et Regno nostro Hungariae campus et occasio habeatur, nec appareat necessitas, cur eorum condiscendorum intuitu, pecunia, cujus alioquin etiam in illo Principatu Nostro haud levis esset penuria in exteras provincias efferri debeat. Hinc ubi quispiam, ad sectanda hujusmodi studia peregre abeundi animo coram vobis pro impetrando salvo Passu comparebit, detis operam, ut tales potius ad ipsa Patriae vel praeattacti Regni Hungariae Gymnasia venire disponantur reliqui autem qui in aliis scientiis, exercitisque Militaribus et nobilioribus sese excolere vellent, huc ad Academias Providentia Nostra erectas et Nobili illius quoque Principatus Juventuti absque discrimine Religionum patentes, juxta praevias Nostras Resolutiones dirigantur. Quibus in reliquo Gratia Nostra Caesareo-Regia Principalis jugiter manemus propensae. Datum in Civitate Nostra Vienna die 2 febr. An. 1756 Regnorum Nostrorum XVI.

Maria Theresia.
Ad Mandatum S. C. R. Majestatis proprium Adalbertus Somkjai.
Gabriel Comes de Bethlen.

§ XV. Eodem anno 1756 gravissimum exortum est bellum inter Augustam Domum Austriacam atque Brandeburgicam; cujus intuitu Passuales Studiosis ad exteras regiones proficisci volentibus penitus denegatae sunt neque ulli ex Hungaria aut Transylvania dimissi sunt. Tandem anno 1759 circa finem facta est spes dimissionis non tantum, sed libertas actu exeundi non paucis concessa. Interventu, quantum scimus Illustrium Belgii ordinum, qui jam ab olim in suis Academiis proprio sumptu e Transylvanis ac Hungaris Studiosis non paucos alebant; ac variis beneficiis

cumulatos ad patrios lares ut Ecclesiae Christi ac Patriae commodius inservirent, cum bona gratia remittebant.

§ XVI. *Reformati Cibinii certum locum et ministrum pro cultu S. conducunt. — Supplex libellus Reformatorum.* — Proceres Reformatae ecclesiae evitare volentes gravissimas, quas occasione Cultus Sacri Cibinii ferre cogebantur molestias, tam ratione loci, quam etiam Ministrorum cultus, qui hinc inde e Provincia arcessebantur, fecerunt inter se hanc ordinationem, ut certus ibidem propriis expensis Minister interteneatur, certusque locus conducatur; ubi necesse non sit quovis die sedilia dislocare, ac loci faciem actui Sacro confirmare. Quod ubi innotuit, primum quidem per Regium Provinciae Gubernatorem a proposito prohibiti; recursum facientes ad Augustam Aulam etiam ejus Rescripto ab ordinatione sua ac a domo conducta amoti. Libellus supplex Reformatae Ecclesiae Curatorum est iste:

Sacratissima Caesareo-Regia et Apostolica Majestas Domina Domina et Princeps Clementissima!

Dum sub piissimo Majestatis Vestrae Sacratissimae Regimine, sua Publico Privatisque salus, sua Legibus sanctitas, et custodia, sua denique Religionibus, utut hic in Transilvania diversis, sociato tamen Legum Diplomatumque praesidio suffultis libertas, imperturbatumque earundem exercitium vigeret, moesti nunc vehementerque dolentes, et supplicem hunc, quoad Sanctissimum Majestatis Vestrae solium adrepimus, libellum lacrimarum nostrarum imbribus humectantes opem Majestatis Vestrae et auxilium imploramus turbati.

Liberum nempe nobis,, Sanctissima Princeps, a seculis fuit, inque usu ad praesens usque perstitimus, coetus hic in Metropolitana Transilvaniae Urbe Cibiniensi celebrare sacros et in Hospitiis consiliariorum, aut aliorum quorum Hospitia ampliora erant confluere summi Numinis adorandi causa.

Quam stricta nunc et angusta sint consiliariorum Reformatorum non modo, sed et aliorum Hospitia, querelae frequentes ad Majestatem Vestram eatenus submissae testantur. Et haec nos etiam Reformatae Religionis consortes necessitas compulit, ut quia locus in Hospitiis nostris, tempore praesertim Diaetarum numerosiores Auditores nequaquam caperet, de ampliori commodoque congregationis nostrae loco cogitaremus.

Ea quippe coetus nostri Sacri facies est, ut quoties feriatis diebus convenimus, pars in uno, pars in secundo et tertio conclavi, vix locum sibi, sedemque reperiat, pars in atriis extusque, ea pedibus stans, fractaque, et a parietibus repercusa concionatoris verba, vix aut plane non intelligens, ora patula, et hiantia in aurium convertat ministeria.

Ipsis autem Hospitibus dum res suas in angulum quemdam aedium

seponunt, dum sedilia, quibus ut tot homines collocent, destituti ipsi, a vicinis emendicant et comportant, dies ipsi, qui festi esse deberent operosiores multo sunt profestis.

Quid dicamus ea de sollicitudine expensis et prope defatigatione, qua Parochos interdum ab extremis, hujus Principatus angulis, ordinante primum Superintendente, iis vero saepe reluctantibus gravi vecturae impendio huc advehi curavimus, aegre admodum adventantes, ob repletas ubique hospitibus civium aedes, in sordidam admodum domunculam deducere valentes.

His tot incommodis deterriti et certe coacti conduximus prout contractus initi copia hic demisse annexa sub lit A loquitur, hic in singulorum nostrum vicinia sitas aedes civitatis Schesburgensis ruinae proximas et pene desolatas, ita ut praenumerata certa pecuniae summa, tractuque aedium inferiore in usum civitatis ejus Deputatorum relicto, superior ea ratione restauraretur, ut demolito, qui nunc inter duo cubicula interjacet, pariete intergerino, domus sit in medio ampla, recipiendisque Auditoribus capax, et accommoda: in altera extremarum concionator resideat; altera consultationibus consistorialibus deserviat; quae apud nos sermonem Sacrum excipere de more solent.

Haec dum acta inter nos transactaque fuissent, exivit in populum sermo, et quod famae proprium est, mutata auctaque facie, prout scilicet eam livor, et invidia fucavit. in publicum processit. Loqui statim coeptum est innovationes inducere velle Reformatos. Basilicam contra interdicta Caesarea, media in urbe, in ipso loco Residentiae Gubernialis, coram obtutu Gubernatoris et Generalis commendantis, quin quod summum est, cum injuria Catholici Plebani erigere conari. Neque tamen rumor hic in verbis solummodo et sermone publico substitit, verum id virium eundo acquisivit, ut ipse Excellentiss. Gubernator noster Regius per secretarium Gubernialem Monos in absentia nostra collegae Fratrique nostro Illustri S. R. I. Comiti Ladislao Teleki de Szék, tunc in Classico Gubernio praesenti, rem hanc veluti novam Legibusque et Resolutionibus Regiis interdictam exposuerit et ab aedium reparatione, inque finem praedictorum conversione arcuerit prohibueritque, pront annexum sub lit. B. sub praefati Secretarii subscriptione authentice emanatum perhibet.

Novimus Sanctissima Princeps! Clementissima Majestatis Vestrae jussa, ut in religiosis ii, qui se quodammodo gravatos sentiunt ad Regium Majestatis Vestrae Gubernium primum recurrant. At cum vulnus hoc, quod adeo nos affligit, ab ipso Gubernii Regii Praeside Excellentissimo Gubernatore, cujus ab officio instructioneque erat protegere nos accepimus, dum vulnerati ipsi membra Gubernii simus deliberari hac de re in Gubernio posse non vidimus, nedum certi aliquid concludi.

Ad Sanctissimum itaque Majestatis Vestrae et pro sua pietate, justitia

et sanctitate vere Apostolicae Principis nostrae Tribunal confugimus, et pressae libertatis, liberique Religionis nostrae exercitii vindicias de genu supplices oramus. Adoravimus quippe Deum Triunum per successiones Patrum nostrorum imperturbata serie hic Cibinii in aedibus et conductis privatorum hospitiis nullum hoc ipso scandalum ulli mortalium praebentes, nemine unquam reclamante, nihil unquam prohibentibus legibus, at neque nunc aliud in corde habemus, quam ut aedem habeamus capiendis nobis amplam satis et accommodatam. Scimus verbo Majestatis Vestrae sanctissimo interdictas Templorum, Parochiarum et Scholarum, nisi clementissimo ejusdem indultu, erectiones, at vero nihil ejusmodi molimur. Nulla aedis antiquae forma mutatur, quin id expleto conductionis tempore commodi eventurum est, ut aedes ipsa nova conductori aptior et ornatior, locatori utilior evadat. Id solummodo interest, ut qui nunc tot incommodis in Hospitiis nostris Sacra audiunt, illi in simili nisi quod modice ampliori aede locum sibi reperiant commodiorem.

Nulla hic Parochiae erigendae intentio, nisi quod concionator antehac in aliquo Hospitiorum nostrorum angulo, aut sordida civium domuncula delituit, cubiculum habeat solitarium studiisque suis in silentio tractandis magis opportunum. Quod autem Parochi nostri quoties necessitas ferebat, aegrotos hic Religionis nostrae inviserint, mortuos sepellierint, et fonte quoque Baptismatis infantes natos laverint liberrime, nulla ulli aut Catholico aut Evangelico Pastori seu Plebano stola, nisi forte pro militaribus depensa, id omnium scientia tam notum est, quam quod notissimum.

Quae cum ita sint, dum nihil contra clementissima Majestatis Vestrae jussa, nihil contra leges, nihil contra Majorum nostrorum instituta, moremque pristinum peccavimus, verum sola commoditatis nostrae ratio ad contractum, ratione praefatae aedis cum Magistratu Schesburgensi ineundum nos compulit, ne eundem Majestas V. Sacratissima rescindat, verum contra minas et turbationem exercitii, ab Excellentissimo Gubernatore, nimio fors et immodico zelo intentatam, nos clementissime protegat, suppliciter oramus.

Sacratissimae Majestatis Vestrae

humilime perpetuoque fideles subditi
et servi Johannes Comes
Lázár Ladislaus Comes Teleki
Emericus Comes de Bethlen.

§ XVII. *Resolutio ad Libell. sup.* — Genuina fuit haec rei expositio optatamque spei pleni exspectabant Resolutionem, illa tamen exspectationi non respondit; sed omnem eorum destinationem evertit. Quae talis est:

Maria Theresia Divina favente Clem. etc.

Illustres, Reverende etc. Demissa Capituli Strigoniensis Generalis Vicarii (vacante sede Archiepiscopali) circa Domus cujusdam Cibinii in publicum Reformatae Religionis exercitium et consistoriales celebrandas consultationes accommodandae conductionem facta repraesentatione in qua id contra Mandata et Ordinationes Regio-Caesareas fore exposuit. Ac supplici ipsorum etiam ecclesiarum nunc fatae Religionis in illo Principatu Curatorum libello, in quo Rem hi se hoc facto licitam suscepisse scripterunt, Nobis suo modo relatis confrontatisque et ruminatis, tum ex eo quod iidem Curatores contra Decretum Caesareo-Regium conductam Domum in publicum Oratorium formare moliantur; tum vero ideo, quod in locum Jurisdictioni suae non subjectum suae Religionis Ministrum, legitime non vocatum, sed propria saltem auctoritate inducere et stabilire moliantur. Inde autem collisiones etiam servitio minus gratae olim reviviscere possent. Invenimus sufficientem adesse rationem, ut contractum de praefata Domo per memoratos Curatores initum rescindamus, per consequens eosdem Curatores a repetitae Domus reparationibus et quibusvis novis in ea formandis aedificiis. quae Oratorii Publico cultus sui Divini exercitio amplificandi formam inducere possent inhibeamus, prout rescindimus etiam et inhibemus.

Quod ipsum vos illis, et una id quoque serio intimabitis ut tametsi privatus Reformatorum in Hospitiis suis, ubi Cibinii morati fuerint, Religionis cultus, prouti hactenus impeditus non fuit, etiam deinceps admittatur. Nihilominus Ministrum et Cautorem praemisso fine a se constitutos et inductos continuo dimittant severe iis injungendo, ne vel in minimam Parochialium functionum partem Cibinii se immittere praesumant. Vobis in reliquo etc. Datum Viennae Austriae die 2da Mensis Junii Anno 1760.

Maria Theresia
Gabriel Comes de Bethlen, ad Mandat.
Sacr. Caes.-R. M. propr.
Michael Benök.

§ XVIII. *Mendicatio Ecclesiae Siklodiensis.* — Memorabilis accidit res, dignaque quae in litteras referatur, ne posteritatis effugiat memoriam. Parva scintilla magnum excitare videbatur incendium; aut saltem fumum. Ita autem accidit. Ecclesiae Reformatae in Hungaria aeque ac Transilvania in summam redactae paupertatem; earum proventus si qui ex Majorum munificentia ac benigna ordinatione fuerunt aut camerales acciderunt officiales aut abrasit avaritia aut temporum iniquitas exhausit. Unde evenit, ut sicubi Templa, Turres, Campanae veniant renovandae, suis perficere sumptibus, prorsus sint inhabiles; sed respectent aliorum auxilia. Ecclesia etiam Siklodiensis in Dioecesi Udvar-

helyensi non adeo populosa, quum suum oratorium ex antiquo rudere propriis sumptibus erigere minime valeret, respexit ad auxiliatrices ejusdem confessionis Fidelium manus. Mendicatoriis igitur consueto stilo et modo expeditis, per Scholae ejusdem Ecclesiae Ludi-Magistrum Andream Nagy stipem colligebat. Qui modernos Transilvaniae limites egressus in Comitatu Bihar, Possessione Ottomany a vice Comite R. Catholico Gabriele Barannyai interceptus, Varadinumque missus, ubi in carcerem compactus ferrum ponderis novem librarum aliquamdiu portavit. Interceptio ejus Viennam ad Augustam Aulam perscripta; inde Regium exarabatur Mandatum d. 8 Maji an. 1761 quatenus investigaretur: quis, cujus Religionis, status ac conditionis? Quare interceptus? Quando iter ingressus? Quibus in comitatibus, sedibus stipem collegit? Quantam pecuniae summam apud se habeat? Quibus administravit etc. quod et factum ac severe examinatus. Interea e carcere litteras ad Superintendentem Ref. de sua captivitate exaravit; notum fecit idem Illustri Ref. Consistorio, genuinam tandem informationem de eo perhibentes Superintendens ac alii; libertati restitutus. Quantum crimen Christiane Lector in summa egestate a consortibus fidei subsidium petere!

§ XIX. *Mandatum Regium.* — Hac eadem occasione Regium prodiit Mandatum in Universa Provincia circulariter publicandum, quo interdicebatur collectas seu stipem faciendi gratia in Hungariam proficisci. Edicti illud ita se habet.

Maria Theresia Romanorum Imp. etc.

Illustrus, Reverende Spectabiles etc. Qualiter certus Andreas Nagy Helveticae Confessioni addictus in Principatu nostro Transilvaniae et sede Siculicali Udvarhely Ludi Magister Köröspatakiensis subsidium ad ecclesiam Siklodiensem colligendi fine in comitatum Regni nostri Hungariae Bihariensem penetraverit ex alio sub 8va exeuntis Mensis ad vos circa eundem exarato Mandato et ejus annexis uberius perspexistis.

Cum autem in praedicto Regno Nostro Hungariae quemadmodum per Cancellariam Nostram Regiam Aulicam Majestati Nostrae demisse repraesentatum est, istius modi collectae, non modo per expressas constitutiones, verum etiam per benignas nostras in iisdem radicatas ac saepius iteratas constitutiones severae prohibitae sint; ne cuipiam ex ignorantia edictorum in eodem Regno, quodpiam propterea incommodi deinceps eveniat.

Clementer vobis mandamus, quatenus in illo Principatu nostro, Partibusque eidem Reincorporatis. sparsis circularibus, publicari faciatis, ne quispiam ad ejusmodi collectas in Hungariam in posterum proficiscatur, vel alicui ea ratione, seu per vos, seu per alium quemcumque Passuales ad Hungariam praebeantur.

Quibus in reliquo Gratia Nostra etc. Datum in Civitate Nostra Vienna Austriae Die 29 M. Maji An. 1761.

M. Theresia mp.
Gabriel Comes de Bethlen.
Ad Mandatum Sacr. Caesar etc.
Franciscus Bándi.

§ XX. *Juventus ad exteras universitates proficisci prohibetur* — Fervente bello inter Domum Austriacam et Brandeburgicam, rursus interdicta est studiosae Juventutis peregrinatio extra fines Ditionis Austriacae Rescriptum est tale:

Maria Theresia etc. Illustres, Reverende etc. Servitii nostri et publici boni, securitatisque privatorum ratio exigit ne sub moderni ferventis Belli tempore Juventus ad exteras universitates proficiscatur. Quemadmodum superinde ipsarum quoque Legum Patriarum vigore cautum habetur.

Quare vobis et medio vestri, universis Collegiorum, Gymnasiorum et Scholarum Moderatoribus clementer praecipimus, ne interea ulli extra ditiones nostras experientiae et studiorum causa proficisci volenti, seu per vos, seu per illos Passuales concedantur. In reliquo etc. Datum Viennae Austriae d. XI. Maji An 1762.

Maria Theresia.
Gabriel Comes de Bethlen.
Ad Mandat. Sacr. Caes. R. M.
Franciscus Bandi. m.p.

§ XXI. *Rescriptum d. d.* 24 *Aug.* 1764. — Pace tandem post varias belli tempestates feliciter anno 1763 conclusa, iter profecturis ad exteras Academias operiendum et praestolabantur, et cum ratione sollicitabant Reformati. Verum duo Rescripta de die 24 Augusti anno 1764 acceperunt, quae spem praescindebant.

Copia alterius talis est:

Maria Theresia etc. Illustres Reverende etc. E demissa de scholis in illo Principatu exstantibus earumque Fundationibus, studiorum item melioratione, submissa informatione vestra, et juxta hanc relatis Scholarum, Gymnasiorum et Collegiorum. Specificationibus, adparet frequentes illic actu et bene etiam fundatas exstare scholas, in quibus non modo in humanioribus et Philosophicis, verum etiam Theologicis informatur Juventus, et prout Fundus, mensque est Fundatorum, reliquae etiam Disciplinae in iisdem cum primis majoribus tradi possint, ac debeant. Eam proinde non videmus necessitatem, ut Juventus cum sua fere, aut Parentum enervatione studiorum causa peregre ad exteras Universitates proficiscatur. Atque adeo cum nonnulli Principum quoque exterorum suos

subditos ne studiorum et experientiae causa ad Ditiones nostras proficiscantur penitus arceant; id ipsum nos etiam de subditis nostris statuimus. ut intra ambitum Ditionum nostrarum, in quibus antiquissimae et celeberrimae frequentantur Academiae, studia, animumque suum percolant. Id quod itaque iis quorum interest, notum facietis, sese insinuarent eos ad hanc Benignam ordinationem Nostram remittetis. In reliquo ....

Datum Posonii d. 24. Aug. 1764.

Maria Theresia.
Gabriel Comes de Bethlen.
Alexander Horváth.

§ XXII. *Excel. Gubernium communicat Rescriptum de erig. Universitate.* — Rescriptum alterum fuit de erigenda Universitate in Transilvania, quod Excelsum Regium Gubernium Curatoribus ecclesiarum Reform. sequentibus insinuavit.

Excellentissimi Illustrissimi, Spectabiles, item ac Magnifici, Reverende item Domine, Nobis colendissime, Fratres observandissimi, observandi et Honorande!

Assiduae sollicitudinis, quam Augustissima Princeps, in communem felicitatem hujus quoque Patriae impendere consuevit, eximium praebet exemplum Benignum suae Majestatis Decretum 24 recentioris Augusti ad nos exaratum, cujus copia his advoluta est. Et quo sua Majestas clementer Nobis significare dignata est, eo nimirum animum suum inclinare ut pro Juventute Acatholica, Hungarica aeque ac Transilvanica, nova in hoc Principatu Universitas erigatur. et cum ad hujus erectionem certus et necessarius Fundus ante omnia sit constituendus Excell. Illustr. Praetitulatasque Dominationes Vestr. etiam de talismodi Fundo ac mediis Gubernium audiat.

Ut igitur Benignae huic intentioni Regiae in veram Patriae felicitatem tendenti satisfieri posset, condecenter Excellentissimas, Illustritates, ac Praetitul. Dominationes Vest. Gubernium requirit, ut eorum intuitu, quae in praeattacto Benigno Mandato jubentur, collatis primum eatenus inter se consiliis, suam declarationem Gubernio quantocyus exhibere ne graventur. Ut tandem de negotio exquirendorum ad salutarem hunc scopum mediorum commissionaliter quoque tractando, Regium Gubernium convenienter ordinare possit. Quibus in reliquo condecenti respectu manemus, E Regio Principatus Transylvaniae Gubernio Cibinii d. II 7 br. An. 1764.

Comes Andreas Hadik

Alexius Tserei.

§ XXIII. *Repraesentatio Helv. et Aug. Confess. addictorum.* — Curatores Ecclesiarum in Transylvania Reformatarum seu Helveticae Confessioni addictarum, facile animadverterunt his Rescriptis studiosam Juventutem praecludi non solum a cultura ingenii in peregrinis oris, cultioribusque Regionibus; verum etiam ab amplis ac singularibus Beneficiis, quae Respublicae Helveticae in Academiis Basileensi, Tigurina, Bernensi, Genevensi, Illustres ac Praepotentes Foederati Belgii Ordines in Academiis, Lugduno-Batava, Ultrajectina, Groningana, Franekerana, Harderovicena, Rex Borussiae in Universitate Francfurtana ad Viadrum, jam ab olim liberaliter conferre consueverint. Idcirco Repraesentationem in legibus Patriis ac Justitia fundatam, necessariam adornarunt, quam per Excelsum Regium Gubernium Sacratissimae Caesareo-Apostolico-Regiae Majestati humilime, sub spe consolationis exhibuerunt. Quae quia solidissime est conscripta, hic legi meretur:

Excelsum Regium Gubernium!

Deest tristibus Nobis perterritis Mens juxta et animus, dum communicato 24 Septembris per Excelsum Gubernium Sacr. Majestatis (quod 24 Augusti 1764 currentis Posonio emanavit) Rescripto Coelesti quasi igne tacti concidimus prorsus. Sperabamus quippe laetiora, et dum ad Regia Majestatis jussa, quicquid adversum Religioni Catholicae, quicquid Juribus Majestatis praejudiciosum, aut scandalosum in Codices Legum Nostrarum, illatum repertumque fuerat, id omne Diaetalibus Articulis Novellis, sublatum, antiquatum qualificatumque esset, Halcyonia certe jactatis ante varia tempestatu Religionibus nostris imminere pollicebamur. Sperabamus leni jam nos perfruituros otio, et desaevientibus bellorum procellis, reddita terris pace; iisque jam etiam, quae peregrinaturae studiorum causa Juventuti nostrae posita interim erant obstacula remotis, velut blando quodam ventorum positu, evolare tandem illam apum ritu ex alvearibus suis, et mella scientiarum longioribus etiam e locis, colligere posse, inque sui perfectionem, Principisque et publicae rei, utilitatem, in Patriam, solumque genitale referre eidem liceret. At proh dolor! quam tota spe excidimus, quam aliena spei nobis ingruunt, dum altefati Rescripti, Caesareo-Regii interdicto Juventus Nostra oris ab exteris arcetur.

Pudor certo nos et verecundia, ipsaque facti nostri conscientia, prohiberent si poenae loco dictata haec nobis essent, interpellare, quam laesimus Majestatem, nunc dum nihil horum est, eo fidentius ad solium Majestatis, firma illa, duplicataque Justitiae et clementiae basi subfultum adrepimus; quo non tantopere nos, quam Legum ipsa sanctitas, hac in re subversatur, quarum defensionem nullum aliud in terris Numen, ac Princeps Nostra Augustissima tutatur.

Notum publico est, quam severae Constitutionum nostrarum Appr.

Const. Part. 3. Tit. 14 Praesertim autem Compil. Const. Part. 3. Tit. 3. sub Titulo salvi conductus Leges, studiorum causa peregrinantibus exstabant, quarum nonnullos apices velut Potestati Principis, ejusque Majestatis Juribus praejudiciosi et scandalosi, jussu Majestatis suae in generali Statuum et Ordinum Principatus Transylvaniae confluxu ad diem 21 Augusti An. 1752 indicto, sublati omnino cassatique penitus fuerant, Articulis tamen modificatis et quoad cetera in vigore relictis, in posterum quoque extra haereditarias Principis Nostrae clementissimae Ditiones profecturis, exitus neutiquam praeclusus; verum juxta modum in Articulo anni praescripti edito, Legemque in illo perlatam liber est relictus, quemadmodum copia Articuli hic humilime adnexi luculenter probat.

Agitur itaque Excelsum Gubernium Regium, non tam uti praemisimus de Personis rebusque Nostrorum quam de virtute publicarum Legum, earumque stabili firmitate. Quod enim miseris perfugium, quod Legibus solatium praesidiumque futurum sit, si leges publica solennitate, non Populo saltim sciscente, sed ipso summo Principe, iis consentiente, prolatae, adprobatae quin Mandato ejusdem Principis in codicem Legum inferri jussae, nullo deprehenso Legibus contrario usu, ritu quasi oculi elidantur? Ecquid tam operosa in comitiis de rogandis et perficiendis Legibus contentio et tam solers sagaxque vel unius verbi scrutinium proderit? Si quas (prout addecet) in saecula quasi duraturas condimus, brevi aliquot annorum curriculo velut consuetudine quadam contra ipsas inducta, robur suum obligandique virtutem amittant. Quae spes seu Publico, seu Privato cuilibet in ferendis in posterum quoque Legibus, eaque in Articulos, codicemque Legum referendis firma stabilisque reponi poterit, si nec Leges ipsae stabiles futurae sint, neque modis iisdem dissolvantur, quibus colligatae fuerant; mutabunt certe omnia et res quascunque Juraque et Publica et Privata intercidere necesse est. Si Leges ipsae, quibus haec innituntur, tam momentaneae sint viribusque destitutae suis.

Provocamus igitur a Jure summae Potestatis, Placitique Regii, ad Sanctissimum clementiae Augustae Thronum, quem Justitia firmat, Misericordia exaltat. Adrepimus ad hunc vermium objectorum ritu, genubusque nixi, oramus ne patiatur Sacrat. Sua Majestas nos et innocentes Juribus excidere nostris, et praecluso scientiarum penetrali in atriis solummodo haerere, quin ad Cimmerias ignorantiae tenebras aeternum detrudi. Quamvis enim scholae nobis supersint, utcunque instructae, ea tamen illarum ratio est, ut rudia duntaxat scientiarum sublimiorum fundamenta in illis ponantur, ipsa Artis perfectio, culturaque adeo et politura ingeniorum absolvi neutiquam possit. Nam et pauci numero Professores Juventutem in qualibet illarum erudiunt, neque

plures, quam in usu adusque erat adlegere conceditur. Quin nec si concederetur, etiam Fundi solutionum jam Augustae Aulae noti pluribus suppeterent alendis. At vero unde emortuis modernis sufficere quoque alios dabitur nisi nova in Academiis exteris Professorum seges sobolescat formandae hic admovenda Juventuti? Quae scientiarum atque adeo morum etiam sperari possint incrementa? Si nullus eruditionis ab oris cultioribus fiat accessus quia enim rarissime supra Magistrum Discipulus est, quin deterior illo plerumque habetur; suffectis in decedentium loca docendo minus aptis ipsam etiam cum tempore doctrinam decrescere necesse est, Discipulosque tandem prodire bardos, nulliusque frugi. Quid verofieri aut concipi potest, Rei magis damnosum publicae, quam ignorantes cives? Quid magis inutile Principi, quam obcaetatus ignorantia subditus, qui discriminis verum inter et falsum nescius, atque lucem illius et umbram hujus peraeque habens in suspicionibus tantum velut luce crepera aberrat. Nobis autem imprimis Helveticae et Augustanae Confessioni addictis, ea quam maxime incumbit, Studiosos nostros ad Gentes alias emittendi necessitas, ut quia Legibus nostris Appr. Const. Part. II. Tit. I, art. 3, innovationes et schismata introducere sub nota Infidelitatis cautum sit, ad unionem omnino Fidei conservandam conducit, ut Theologi nostri, oras illas adeant, in quibus exercitium Religionis nostrae vigentius est, et ex ipso quod dicitur fonte, aquas suas hauriant, ne irrepente (ob neglecta studia) rerum inscientia, Dogmata etiam a receptis aliena irrepant, legesque post se adtrahant ultrices. Funesta rei hujus exempla in Pelagianorum et Eutychianorum sectis oriens ostendit, qui primigenii cum aliis Christianis Patrumque Ecclesiae antiquorum ministerio, veris Christianismi Principiis imbuti, tantum quod remotius a corpore Ecclesiae dissiti, hujusque destituti frequentia fuerunt, ad sectas, haeresesque delapsi. Nec vero modicum illud, quod in Peregrinationibus consumitur pecuniae, peregrinationem ipsam protinus intercludendam suadet. Non enim tam grandis ille pecuniae modus est, ut cum pretio scientiarum conferri aut publica privatorumque aeris inopia inde metui possit, neque enim a Plebe colligitur tributaria, nec tam e Parentum, cognatorumque et Agnatorum rebus decerpitur, quam Patronorum liberalitate, et aliorum opulentiorum Eleemosynis, propriaque per institutiones Puerorum pro merita mercede, quae ipsa quidem vix itineris explerent impendia, in Praepotentum Belgii Foederati Ordinum Reique publicae Helveticae, aliorumque Regum ac Principum munificentia; gratuito illic victu alerentur, gratuitisque exciperentur Hospitiis, in Academia praesertim Leidensi, praesenti quoque in reditus, expensas pecunia foverentur.

Sed ne Spes quidem illa, quam de erigenda in usus duarum harum Religionum universitate, clementissime Majestas sua nobis injecit malis nostris omni medebitur ex parte. Tacendo quippe hic, quod ob emersuras

circa illam difficultates, aeris potissimum indigentiam, Religionumque differentiam, morae id plusculum deposcat; ne constituta quidem illa exitus ad Academias celebriores interdicendus foret. Id quippe cultiorum Gentium moribus inductum videmus, ut cum virorum celebriorum seges tam parva sit, ut nec loco quolibet, nec tempore nascantur, concurritur ad hos ex omnibus ferme terrarum Regionibus eorumque eloquia captantur. Quanto igitur magis necessarium est excurrere, e rudiori hac orbis parte quo instituta hic universitate praeter indigenas nostros, viri ab exteris celebriores, ne ampla quidem allici poterunt mercede.

Quae cum ita sint ad scabellum rursum pedum Majestatis Suae gementes provolvimur, et collacrimantes, oramusque Majestatem Suam per quicquid Sacrum Sanctumque est, per Coeleste nempe Numen illud, quod Vicarium sibi in terris suam constituit Majestatem, per gloriam ipsam Majestatis Suae. Domusque Augustae, per pietatem ejus, et quae certe precibus nostris invicta esse nequit Clementiam et Misericordiam Majestatis Suae Sacratissimae jussu, firma de Peregrinationibus nostris Lex, quam Sacrum, Majestatis Suae oraculum, voxque illa Divina firmavit, ne collabascat Lex, una aeque cum aliis Sacra, imo (quia praesenti Suae Majestatis numine est lata, recens adhuc spirat) longe solemnior antiquis, ne patiatur sacratissima sua Majestas, interitu unius hujus velut omnium nos metuere ruinam, quod et illae pari fulcro nitantur cum hac, et certe impossibile ducimus, ut omnes, quae nos defendunt Leges, verbi Regii sustentantur virtute; haec sola sit, et unica, quae ab eodem Sanctissimo ore profecta, ejusdem verbi Spiritu perflata, vim tamen aliis habeat minorem.

Et hoc unicam est quod nos in solatium erigit, hocque fine humillime Excelsum Gubernium et reverenter rogamus efficaci sua coram Majestate intercessione, nostram etiam equidem, sed Legis praesertim publice causam tutari humillimamque hanc nostram Repraesentationem sua in Relatione supplicis nostri libelli Loco, pro mitigando Regio Decreto, clementissimaque desuper Resolutione elargiendo promovere dignetur. Qui prout Sacratissimae Suae Majestatis fideles aeternum subditi, ita perenni devotiones cultu vivemus emoriemurque

Excelsi Regii Gubernii

Cibinii 7. Octobr. 1764

Humillimi obsequentissimi servi Joannes Comes Lázar et Ladislaus S. R. I. Comes Teleki mp. Ecclesiarum Reform. in Transylvania Curatores Supremi. Michael de Rosenfeld mp. Petrus Binder de Saxenfald mp. Nomine reliquorum August. Confessionis Consistorialium.

§ XXIV. *Rescriptum S. Majestatis ad Repraesentationem.* — Relata est Augustae Aulae operosa haec Repraesentatio Helveticae et Augustanae Confessioni addictorum per Excelsum Gubernium. Cui in haec verba Sacratissima Sua Majestas rescripsit:

Maria Theresia etc. Illustres Reverende etc.

Relata Nobis sunt ea, quae Curatores et respective Consistoriales, ut scribunt, Helveticae et Augustanae Confessioni in illo Principatu addictorum, circa Juventutis ad exteras Universitates studiorum causa proficisci volentis admissionem vobis repraesentarunt, vos vero Majestati Nostrae penes demissam undecima praeter lapsi Mensis Octobr. datam Informationem submisistis. Deprehendimus suplicantes illos in hac Repraesentatione minus convenientem scribendi licentiam adhibuisse, quam iisdem proinde exprobrabitis, simulque noveritis Benignae ordinationi Nostrae sub 24 Augusti currentis anni ad vos rescriptae, intuitu Catholicorum aeque atque Acatholicorum porro standum esse, Nostro autem arbitrio non secus ac hucusque reservatum manere; si pro circumstantiarum ratione e re visum fuerit, uni alterive subjecto dispensationem a Lege, atque proficiscendi ad exteras Universitates licentiam concedere. Ceterum quam jam ante hac circa institutionem Universitatis in illo nostro Principatu per vos submittendam injunximus, accelerabitis Informationem. Quibus etc. Datum Viennae Austriae 27 Novembr. 1764.

Maria Theresia
Gabriel Comes de Bethlen
Ad Mandatum.
Adalbertus Somlyai de Tsik Somlyó.

§ XXV. *Rescriptum S. Majestatis an.* 1764. — In Formula copulationis Neogamorum ab olim usitata fuit apud Reformatos phrasis: Quoad usque in sua Honestate et Puritate permanserit, quae tantundem Hungaris significavit; quousque Fornicando causam divortii non praebuerit, valiturum matrimonium. Eam conditionem Sua Majestas Sacratissima jussit omittendam. Anno 1754 Benedictus XIV Pontifex Romanus Matrimonium Christinae Matskas. cum Stephano Váradi initum pronunciaverat invalidum ea potissimum inductus ratione, quod sub ea Honestatis ac Puritatis ratione contractum fuerit. Rescriptum autem Sacratissimae Majestatis, simul Julianae de Bethlen maritum Franciscum Földvári deserentis, Michaelique Dosa adhaerentis causam complectens, tale est.

Maria Theresia etc.

Illustres Reverende etc. Causa matrimoniali, quae inter Julianam Comitem de Bethlen et Michaelem Dosa, intervenerat, Nobis relata clementer resolvimus, ut illa, postquam contra expressissimum Episcopi

Transilvaniensis Interdictum nupsit, in poenam ad tempus aliquod in quodpiam sanctimonialium claustrum, Michael autem Dosa in Monachorum Coenobium, includantur. Ex postvero id Juris ipsis concedatur, quod juxta Leges, tam Ecclesiasticas, quam civiles, iisdem competit. Proles vero e priori Matrimonio susceptae, pro legitimis habeantur.

Ex quo autem informatae fuissemus Matrimonium in illo Principatu apud Helveticae Confessioni addictos, sub illa clausula, seu conditione: Quoad usque in sua Honestate et Puritate permanserit, contrahi eorundem Superintendenti intimabitis, ut deinceps clausula haec, seu conditio, quemadmodum alioquin respectu Calvinianorum aliis in locis fit, in copulationibus penitus omittatur; prout Episcopo etiam Transilvaniensi in mandato dedimus, ut si casus, qualis cum fata Julianna de Bethlen eveniret, ne ante copulatio peragatur, quam facta ad Nos remonstratione, Nostrum elargiremur consensum. Vobis in reliquo Gratia Nostra, Caesareo-Regia benigne propensae manemus. Datum in Civitate Nostra, Viennae Austriae die 30 M. Novembris, Anno Dom. 1764 Regnorum vero Nostrorum 24.

Maria Theresia

Gabriel Comes de Bethlen

Ad Mandatum Sacrae Caesareae Regiaeque Majestatis, Proprium

J. Josephus à Peltzer.

§ XXVI. *Superintendentis ordinatio.* — Rescriptum Sacratissimae Majestatis cum Superattendente Reformato communicatum; is extempore sequentem fecit ordinationem.

Admodum Reverendi ac Clarissimi Venerabilium Dioecesium Seniores, et Venerabilium Capitulorum Decani. Fratres in Christo dilectissimi!

Benignissimum Augustissimae Imperatricis Reginae D. D. Mariae Theresiae Dominae Nostrae Clementissimae, Mandatum, ratione conjugum, Juramento copulandorum, una cum Commissione Excelsi in Transylvania Gubernii Regii vobiscum in Apopraplio duxi communicandum. Jubet verboque Regio mandat Sacratissima sua Majestas, ut Sacri Ecclesiarum Nostrarum Ministri ex Formula Juramenti illius, quo Sponsi ac Sponsae inter Nos copulari solent, clausulam hanc seu conditionem: Quoad usque in sua Honestate et Puritate permanserit, penitus omittant. Homagialis vestra exigit obligatio, omnibus illis, qui sacro in officio sunt, ut Regio morem gerant Mandato, idque in copulationibus conjugum strictissime observent. Valete in Domino et Fidelitatis, quam Sacrae Caesareae Regiaeque Apostolicae Majestati

sancte jurastis, semper memores et servantissimi estote. Dabam Claudiopoli An. Dom. MDCCLXV die 21 M. Januarii.

Vester admodum Reverendi et Clarissimi Viri
in Christo Jesu Frater et in Sancto ejusd. opere Conservus.
Georgius Verestói
Ecclesiarum in Transylvania Reform. et quarundam Evangelicarum Superintendens.

CAPUT SEPTIMUM.

De Illustri ac Supremo Reformatorum Politico-Ecclesiastico in Transylvania Consistorio.

§ 1. Principes Reformatae addicti Religioni fuerunt in Transylvania, per decursum saeculi decimi septimi ad annum usque nonagesimum, quo in vivis esse desiit P. Michael Apafi senior. Cui equidem homonymus ejusdem successit filius; verum confirmatio successionis in Regimine primum ab Augustissima Aula dilata, tandem graves ob causas etiam denegata est. Transeunte itaque Provinciae Gubernatione ad Augustissimam Domum Austriacam, Reformatorum Religio desiit esse Dominantis in Transylvania. Interim Comes Georgius Bánfi Reformatus Gubernatoris potestate gubernabat cum consiliariis Transylvaniam, qui res etiam Ecclesiasticas cum aliis Magnatibus in primis vero cum cancellario comite Nicolao Bethlen moderabatur. At his quoque fato involutis moderatio Reformatae Ecclesiae ad primaria ac praecipua ejusdem Membra recidit.

§ II. *Constitutio Consistorii Politico-Ecclesiastici.* — Consensu ergo totius Ecclesiae Reformatae constitutum est Politico-Ecclesiasticum Consistorium cujus muneris esset curare res omnes Ecclesiae, causas subortas dijudicare, decidere secundum aequitatem, et ea pollere auctoritate, qua in Sphaera suae activitatis absque ulteriori provocatione etiam exequi possit. Formam Regiminis tunc constituti propriis eorum verbis prout literis consignatum inveni tradere non est inutile.

Erectio.

Supremi in Transylvania Politico-Ecclesiastici Consistorii Anno 1709 die 21 Aprilis Cibinii.

Constituti sunt pro Supremis Curatoribus Ecclesiarum Collegiorum, Scholarum, et Moderatoribus omnium rerum Religiosarum Illust. L. Baro Stephanus Vesselenyi de Hadad, Illust. S. R. J. Comes Ladislaus Teleki de Szek, Illust. Comes Ladislaus Bethlen, et venerabilis Superintendens, quicunque eo munere fungeretur.

Quorum officium erit: Universae Ecclesiae Dei his terris militantis, Cura, Protectio et Defensio universalis; quocirca ad subordinatos Curatores adtendant solicite. Gravamina et querelas, seu ab ipsis Curatoribus, seu ab Ecclesiis et vel maxime a Superintendente delata recipiant fideliter. Eas si inter socios Fratresque suae Professionis orirentur, omni prudentia et authoritate componant, si ab aliis alterique Religioni addictis motae fierent amica complanatione juxta dictamen aequitatis sopiri allaborent, si sopiri nequirent eas ad debitas Instantias, quin et ad Augustam Aulam nervose promoveant. Consistoria publica indicent, commembra eorum mox inferius specificanda convocent, ibi seu simul seu alternatim servata inter se mutua Harmonia praesideant, res tractandas graviores et mutua consilia desiderantes proponant, ac serio ventilari curent, omnemque in tuenda Dei Ecclesia oppressorumque solamine impendant sudorem.

Commembra et Adsessores supremi Politico-Ecclesiastici Consistorii erunt universi, Primo: Proceres, Praenobiles Reformatae nostrae Religioni addicti quin et Nobiles ex Politicis Secularibus, e Comitatibus, ac Sedibus Siculicalibus, sincero erga Deum et Religionis amore zelantes. Specifice vero denominantur.

1 Illust. Comes Georgius Bánfi
2 Illust. L. Baro Ladislaus Kemeny
3 Illust. Comes Josephus Teleki
4 Illust. Comes Joannes Bethlen
5 Illust. L. B. Simon Kemény
6 Illust. Comes Paulus Teleki
7 Illust. Comes Alexand. Teleki
8 Spectabilis Andreas Nalatzi
9 Spect. Ludovicus Nalatzi
10 Illust. L. B. Emericus Josika
11 Spect. Abraham Bartsai
12 Spect. Balthasar Kemény
13 Spect. Georgius Lazar
14 Spect. Paulus Redei
15 Spect. Daniel Vas
16 Spect. Adam Rhedei
17 Spect. Petrus Torotzkai
18 Spect. Stephanus Daniel

19 Spect. Georgius Pongrátz
20 Spect. Joannes Nemes
21 Spect. Ladislaus Bánfi
22 Spect. Sigismundus Korda
23 Spect. Franciscus Miko
24 Sp. Joannes Toldalagi

Horum officium erit: In publicis Consistoriis, privatorum suorum negotiorum neglectu fideliter et tempestive comparere, rei propositae et discutiendae serio attendere, cum pio zelo et flagrante erga Deum amore adsumere, viribus et consiliis conjunctis ventillare: quodcunque et a quopiam dicatur, nuspiam suggillare, secretiora consilia aeterna taciturnitate velare, si quis vel ad singulare ecclesiae, aut collegii alicujus aut Tractuum curatelam quocunque casu designabitur, vel nomine, publico cuipiam aliquid tractandum, aut ad suas Instantias deferendum jubebitur; id omne seposito renitentiae et excusationis praetextu fideliter praestare, supremos Curatores ipsumque consistorium debito respectu venerari, ac summatim omnia, quae ad emolumentum ecclesiae pertinent juvare et promovere.

Secundo. E Personis Ecclesiasticis pariter omnes verbi Divini Ministri fidelissimi, pietate prudentia, rerum gerendarum activitate, et morum integritate noti. Speciatim celeberrimi Collegiorum, in Enyed, Claudiopoli et Alba Julia Professores, venerandorum Tractuum Seniores et Notarii, Ecclesiarum, Claudiopolitanae, Saxopolitanae, Albensis, Fagaras, Enyed, Vasarhely, utriusque Tordae, Vizakna, Hunyad, Deva, Kolos, Szék Dés et similium Pastores dignissimi, quibus propria conscientia, Fides erga Deum et Ecclesiam ejus, strictissimo sub consecrationum homagio sufficiens Lex esto.

Notarii Consistorii sunt Spect. ac Dn. Samuel Alvintzi, Josephus Intzedi, Michael Tserei, Andreas Pongrátz; hi obligati erunt tempore et loco Consistorii celebrandi, seu simul seu alternatim indilate comparere, prout a sup. Curatoribus pro re nata injunctum fuerit. In gremio autem Consistorii sedentes ad calamum omnia Acta diligenter et fideliter connotabunt. Querulantium Memorialia sincere praelegent, Resolutiones indorsabunt; dum ad suffragia ventum erit, vota intemerata colligent, Deliberata ad mentem Consistorii excipient, silentii tenaces, scribendo fideles, et candore exemplares.

Tempus indicendi Consistorii ordinarium et opportunius erit sub Generalibus Principatus Comitiis, et occasione Synodorum Generalium, quo quidem si universis Consistorii Membris confluere incommodum esset, vel summa necessitas minime urgeret, nomine Supremorum Curatorum et Collegatus Secularium, mittantur e Secularibus selecti, et magis idonei Ablegati. Illi fraterno cum amore attendant et invigilent ne inter

consecrandos Procedentes inepti recipiantur, ne quid in prostitutionem Sacri Ministerii quo pacto contingat; ne in causis Ecclesiastico-Consistorialibus, quidpiam vel disordine vel contra aequitatem committatur. Puncta insuper si qua a supremis Curatoribus in Bonum publicum et conservationem ecclesiae in Gloriam Dei et mutuam harmoniam communicanda et recommendanda erunt, proponant et feliciter determinare adsistant. E contra si casu aliquo, urgens aliqua necessitas postularet (periculo in mora existente) confluxum consistorii, extunc supremi Curatores pro ratione status et temporis. Membra Consistorii convocare minime intermittant. Convocandi autem pariter indilate compareant, eo quo et tunc dum res ipsa exiget, ne de dilatione consilii detrimentum nascatur.

Autoritas altefati Consistorii plenaria et indisputabilis esto, in omnibus ecclesiasticis, et Ecclesiastico-Politicis difficultatibus ac Litigiis, coram eodem adsumendis ventilandis et determinandis. Quicquid itaque coram hocce Tributiali determinatum existet, id in effectum etiam deducere posse facultatur. Et si quis contumacia ductus reluctari praesumeret, Persona Ecclesiastica juxta Canones irremissibiliter et absque omni indulgentia puniatur. Politica vero Curatore ejusdem Tractus referente ad Supremum Consistorium seriem facti, secundum qualitatem delicti luat; cui obstinate se opponens excommunicabitur, neque re assumetur, antequam resipiscat, et ad meliorem frugem redierit.

Forma haec Consistorii anno 1713, cum post diuturnum bellum ac tempestates Provinciam in varias projicientes miserias alma Pax rediisset, unanimi consensu confirmata est. Specificati sunt consistoriales etiam ex Ecclesiasticis XXIV quatuor nominetenus, ita ut in universum constaret ex XLVIII Personis Secularibus ac Ecclesiasticis.

§ III. Subsistit adhuc benignitate Dei inter tot tantasque adversas iniquitatis procellas Regimen hoc Politico-ecclesiasticum, quo res ecclesiae in Transylvania moderantur. Ecclesiaque Dei ad piorum Consolationem diligenter custoditur, ne aut in doctrina aut in moribus corruptionem sentiat, aut denique vi externa in extremam praecipitetur desolationem.

Curatores supremi iidem sunt, qui et Consiliarii intimi in Excelso Gubernio Regio, Praeses ab aliquo tempore ille, qui et Statuum in Transylvania Praesidens Reformatae addictus Religioni, adeoque viri excellentes ac magnae auctoritatis. Terminat omnes Reformatorum controversias cum Synodo Generali, ecclesiasticas, nisi quod ab aliquo tempore in causis matrimonio-divortialibus ad Principem regnantem provocari coeptum est: Appellatioque Mandati Principis est admissa; qui se supremum Protestantium in talibus causis Judicem agnoscit, talemque et Illustre Consistorium veneratur.

CAPUT OCTAVUM.

De Synodis Dioecesanis et Provincialibus.

§ I. Synodi ad causas in Ecclesia subortas commode ac tempestive sopiendas; decentemque in eadem ordinem retinendum ordinatae sunt. Estque Dioecesana seu Partialis, seorsim omnium Diocesium: quam Senior Dioeceseos quovis anno ordinarie bis, aut in majoribus Diocesibus ter convocat, illique praeest; cui adsistit Synodi Notarius cum Adsessoribus. Hic causas matrimoniales, et alias quasvis incidentes in ecclesia controversias tractant, examinant decidunt. Censurasque in exorbitantes Ministros vel Auditores peragunt. Si tamen sententia in hoc Foro lata Litigantium alterutri displiceat, habet jus provocandi ad Synodum Generalem.

§ II. Synodus Generalis seu Provincialis convocatur a Superattendente, seu Generali Ecclesiarum Inspectore, et quidem quovis anno in Transylvania semel in locum commodum pro arbitrio designandum, ubi comparere sedecim Dioecesium Seniores cum suis Notariis et uno Adsessore, necesse habent. In his Synodis novi quovis anno in locum decedentium ad messem Domini exmittuntur operarii; qui hic severae, tam quoad doctrinam, quam quoad vitam, censurae subjiciuntur, ac examinantur, et ubi censorum suffragio habiles declarantur; addocendam veritatem secundum Prophetarum ac Apostolorum scripta et ad redarguenda in Auditoribus suis peccata sine personarum respectu juramento adstringuntur, ac ad munia sacra quaevis obeunda facultantur.

§ III. In iisdem Synodis Provincialibus est locus examinis causarum, quae ex Synodis Dioecesanis appellatae ac ad hoc Tribunal transmissae sunt. Praesidet hic Superintendens, adest illi Generalis Synodi scriba, et assident Dioecesium Seniores, Notarii ac Legati: praeter hos duo illustris supremi Consistorii Legati Seculares. Causae ecclesiasticae hic peremptorie deciduntur; nec appellare ad superiorem sedem licet [1]). Contigit tamen aliquando tempore Principum Reformatorum ut Synodi decisiones reviderent; quod aliquando etiam ab illustri Consistorio supremo factum est, ut tanto magis ansa querulantium in Ministros quasi non satis circumspecte causam examinantes praecideretur. Mandato Principis, praecipue decisiones causarum matrimonialium ab aliquo tempore ad Augustam Aulam deferuntur revidendae; et peremptorie terminandae.

---

[1]) Innuit Canon XCIII ecclesiasticus Transylv.

CAPUT NONUM.

De controversiis in Ecclesia Reformata ac Lutherana agitatis

§ I. Eximii quidam, doctrinaque insignes viri, ex Academiis Belgicis in Transylvaniam redeuntes incurrerant in suspicionem Dogmatis, ut vocant, Universalistarum; qui tamen vocati in quaestionem, ingenue sese declararunt, et ab omni suspicionis labe ac macula absoluti sunt. Cum vero ea controversia inter clarissimos Theologos, Antonium Drissen Groninganum, et H. Venema Franekeranum in Belgio ferveret, excitavit aliquem si non ignem fumum tamen etiam in Transylvania. Ediderat enim Groningae Drissenius librum Hypotheses Arminizantes H. Venema detectae et refutatae an. 1733. Praeterea insinuaverat in suis scriptis Discipulos H. Venemae Franekera redeuntes ob heterodoxiam in Transylvania in jus vocari. Hinc necessitas adegit H. Venemam ad sui defensionem testimonium ex Transylvania procurandi; aeque et Drissenium ut ea quae adfirmaverat comprobaret. Dedit ergo Literas ad amicum Venema Franciscum Tsepregi Professorem Claudiopolitanum eruditissimum, qui non solum ipse cum collega Georgio Verestoi respondit, sed etiam ab amicis et fautoribus literas ad eum procuravit.

§ II. *Literae Joannis Lazar ad H. Venema.* — Unam, ex his Illustris tunc Baronis jam vero ex merito suo Comitis ac Statuum in Transylvania Praesidentis Joannis Lazar extare volo, quae si acriori alicubi inspersa sale adpareat, non animo id placidissimi viri, sed informationi de Drissenio novas quasi revelationes somniante tribuendum. Ita ergo ad Venemam scripsit:

Vir admodum celeberrime, Domine mihi aestumatissime!

Quanquam doleam vel primas has ad Te ab ignoto missas, non quaeri modo, sed maximi quod habetur damni, honoris utpote Tui, indigne ab aliis, quantum audio lacessiti jacturam referre, easdem tantum ita curas Tuas interpellare, ut simul nonnullas causae vindicias adferant, gaudeo et triumpho. Intellexi nimirum ex Tuis ad Clarissimum Virum Franciscum Tsepregi Professorem Ref. Claudiopolitanum datis, mihique ab illo per amice communicatis, quid et qualiter in Te moliatur novae illius civitatis preco Drissenius. At valde omnino demiror bonos illos Hungaros, non cautius texisse angustiores ingenii partes; dum sive Discipulos Tuos, vel hoc nomine quod Te audierint heterodoxias in Transylvania apud nos suspectos referant, produnt male se a particulari nonnullorum praejudicio occupatorum, ad universalem omnium consensum

concludere, sive ad strictiorem illos quandam Helveticae Confessionis indicta Lege observationem obstrictos esse fatentur, peregrinos in Patria testantur, quibus ignotum sit, majorem apud nos esse Confessionis Helveticae vim et sanctitatem, quam ut alia adhuc sepimenta huic praestruere velimus, imo in synodo Ecclesiarum Ref. anniversaria, cui a parte Illust. Consistorii Reformati delegatus interfui, nova constitutione sancivimus, omnes deinceps Ministerii Candidatos ad Catecheseos Heidelbergensis et Confessionis Helveticae observantiam in formula praestandi Juramenti obligandos esse. Quae cum ita sint, vix putem tam malo errore abripi judicia Batava, ut sudores tuos, mores et virtutes, non magis ex fructibus operum Tuorum, quam ex felle tincta malevolorum accusatione metiuntur. Sed nec superos tam negligenter de rebus nostris statuisse credimus, ut illum falsarum in ecclesia opinionum eradicatorem, et purae fidei vindicem nobis asserant, qui e nescio quibus somniis nuper vigil factus, non dum ita animum helleboro detersit, quin ineptiat adhuc, novos coelos, et aliam quam ab Apostolis accepimus vitam commentus, turbidas beatioris, quam in suis angoribus senserat vitae cupiditates in Muhammedana quadam Paradiso, seu novae civitatis suae idea depingit: fide forte dignior futurus nisi solus esse vellet veritatis promuscondus, nec Cartesio et Leibnitzio tantis nominibus obstrependo ostenderet, se gloriae laudem in illorum sordibus rimari, et ad ingenii sui eam esse asymptotam, quae quo ad ipse vixerit, producta licet nunquam alias continget. Gratum mihi feceris si nunquam meam erga Te fidem rectius quam in adversis testaturo nosse dederis, quis porro vestrae causae successus? quis exitus fuerit, me enim ubi ad nominis Tui existimationem, ita etiam ad mutua amici officia si res exegerit promptum paratumque senties. Vale celeberrime Domine et me tuis adnumeratum habe. Vale!

a Lib. Barone Joh. Lazar Illust. Collegii
M. Vasarhellyensis Curatore Supremo.

§ III. *Literae Gabr. Alvintzi ad Drissenium.* — Has juxta cum aliis mordaciore stilo exaratis Apologiae Lingua Belgica exaratae inseruit H. Venema. Quas cum publice extare viderent rerum ecclesiasticarum in Transylvania Moderatores displicenter tulerunt, veriti ne apud Groninganos studiosis Hungaris ibidem studiis operantibus obessent. Igitur Gabriel Alvintzi Illustr. Collegii Enyedensis Curator sequentes in hac materia ad Drissenium exaravit:

Viro venerando Antonio Drissenio Groningensi in Belgio Professori salutem et incolumitatem.

Veritatis Amicos honestatis amor exstimulaverat, Libellum anno 1735 apud vos Belgica Lingua editum in supremo Procerum Ref. Consistorio producere: in quo conspicuae erant Professorum nostrorum Claudiopolit,

literae Latine conscriptae; quae cum Patronum non invenirent graviter latae sunt. Atque utinam cum immaturum hunc ederent foetum, consilii saltem quod ipsis adtunc dederam mei rationem habuissent, in publicam reprehensionem haud incurrissent. Hunc eorum sese cum offensione tui defendendi modum Patribus consistorialibus maxime detestantibus taliterque comparatis ut in causam inter vos convertentem se immiscere nefas arbitrati, Te et quotquot nostris Musis benevole communicastis in numero honoratorum habere et gratitudine prosequi vellent. Unde de dando petentibus testimonio et tunc et nunc alieni, de restinguendo Universalismi incendio, acerrima consultatione, sed felici semper successu ab annis laboravimus. Ego tantum virum sub his scommatibus haerere indignum ratus, temperare mihi non potui, quin tempus a me ipso Publicis occupatissimo impetrarem, hoc ipsum tibi literis hisce renunciare. Accipe fronte serena Honoratissime Domine et scias nomen Tuum apud nos summo loco haberi, Nostrisque fave et vale. Cibinii Transylvanorum die 23 Dec. an. 1737. Tui studiosissimus

Gabriel Alvintzi Sac. Caesareae Regiaeque Catholicae Majestatis in Transylvania Principatu Secretarius Gubernialis.

§ IV. *Georgii Bonyhai Superintendentis literae ad Driessenium.* — Ne sibi deesset Driessenius, jam ante dederat Literas ad Superintendentem Reformatum in Transylvania, cupiens edoceri de statu hujus apud Transylvanos controversiae. Cui sequentes is dedit Responsorias.

Viro admodum Reverendo, ac clarissimo D. Antonio Driessen S. P. D. infra scriptus.

Humanissimas Tuae Claritatis de die sexta Novembris Anni proxime elapsi Groningae datas, una cum Praefatione acclusa, accepi 21 praesentis Januarii debito cum respectu et honore, ex quibus summa cum condolentia intelligo graves inter Te et Clariss. H. Venema disceptationes exortas de praecipuis Religionis nostrae Capitibus; mentionemque injicis motuum in ecclesiis nostris Transylvanicis a nonnullis Fratrum nostrorum olim clariss. Venema Discipulorum superioribus annis excitatorum, simulque obnixe rogas, monesque me officii mei, quatenus mihi summae carae sit studium orthodoxiae apud nos conservandae, ut Te docerem rei hujus apud nos actae rationem omnem. His igitur brevibus accipe speciem Facti.

Quintus jam labitur ab an. 1730 annus, quo nobis innotuit quorundam Fratrum nostrorum Franequerae olim studentium suspectae heterodoxiae fama, quorum praecipue unus imbutus Hypothesi Universalis Gratiae, publice illud Dogma apud Auditores suos docebat, unde rixae ac Disputatione inter ejusdem Auditores exortae sunt. Quibus auditis cum severe tam Legibus Regni, quam Canonibus nostris Ecclesiasticis cautum sit sub gravi censura, ne quid in doctrina vel Ritibus a quoquam innovetur officii mei erat, his scandalosis Innovationibus obviam ire. Ambo equidem

horum Fratrum. cum iisdem fama heterodoxiae in supremo nostro Consistorio objecta esset: pernegarunt se in illa sententia esse, simulque orthodoxas nostras ad formam Canonum Synodalium Dordracensium Theses de Praedestinatione et Gratia Reversalibus suis subscriptione ac sigillo roboratis, erroresque iisdem adversos rejecerunt; similiter actum est cum tertio in synodo particulari. Quartus vero de quo supra cum in sede nostra superattendentiali in Quaestionem vocatus fuisset non negabat sententiam suam de Praedestinatione et Gratia Universali, imo etiam strenue asserebat. neque eam ullo modo revocare volebat. tamen literis Reversalibus datis. se obstrinxit promisitque nec publice nec privatim eam docturum, sed paci ac unioni cum sanctis operam daturum.

Verum postea fidei suae ac Reversalibus minime satisfecit. sed cum res ac materia sic tulit. publice eandem doctrinam suis Auditoribus in publico coetu docere coepit. quod nobis Generali Visitatione anni proxime elapsi innotuit eodem ipso fatente ac dicente, se non posse aliter docere quam credit, atque coram sede nostra visitatoria systema Theologicum Limborchii supra systema Heideggeri laudabat. Quare secundum Canones nostros habuit gravem censuram, nempe. suspensionem ab officio sacro usque ad Synodum Generalem[1]). Eadem visitatione Generali innotuit etiam alius ex Fratribus nostris pariter olim Franequerae studens, qui rogatus fatebatur se etiam esse in eadem doctrina universalismi; verum adhuc haerere se inter duas Hypotheses referebat subinde. Quare eidem etiam injunctum est ut ad sequentem synodum se determinet in alterutram partem.

Insuper scire Te velim non tantum Franequera. verum ex alia etiam universitate reducem Fratrum quendam, eadem hypothesi imbutum Ministrum factum in celebri nostra ecclesia N. Enyediensi. suis Declamationibus publicis. multo majores dedisse turbas scandala. factionesque in illa Ecclesia in hunc usque diem. Cum itaque viderent Illustrissimi Ecclesiae nostrae Reformatae Proceres. occasione hujus innovationis tantas turbas et scandala oriri ad Synodum nostram Generalem Anno proxime elapso in oppido de Kühüllö congregatam e gremio suo duos delegarunt Deputatos cum hac propositione. Ne tales in Doctrina Innovatores in Ministerio patiatur synodus. sed a sacra functione in perpetuum amoveantur, prout etiam praenominatus Minister Enyediensis in eadem synodo cum sententiam suam neutiquam vellet retractare ab officio sacro in perpetuum amotus est; amovebiturque, nisi sententiam suam mutet ac receptae orthodoxiae nostrae se accommodet, hunc exitum habituri etiam alii, qui Leges Patrias ac Canones nostros susque deque habentes se receptae orthodoxae doctrinae pertinaciter opponunt.

[1]) Fuit ille Josephus Makfalvi Minister Szent Benedekiensis.

Ita etiam habet Antistitum tam Hungariensium, quam Transylvaniensium Szathmar Nemethini an 1646 congregatorum Canon XIX, XX, XXI. „Statuitur insuper, ne studiosis discendi gratia in Academias exoticas promovendis prius a Patronis et Fautoribus eorum pecunia in manus tradatur, quam expressis Reversalibus se firmiter obstrinxerint, quod nullam in iis haereticam aut heterodoxam, nominatim autem Socinianam, Arminianam et Anabaptisticam doctrinam imbibent, verum Propheticam et Apostolicam, quae in confessione Helvetica et Catechesi Heidelbergensi comprehenditur, sententiam addiscent, eandemque et non aliam quandum reduces facti domi docebunt.

Si qui vero ex iis quibus jam aliqua vel ecclesia, vel schola commissa est, suspecti vel de doctrina vel de ritibus habeantur, diligens in illos a suis senioribus inquisitio facienda, ac si certo compertum fuerit, eos vel heterodoxiam aliquam fovere ac docere vel vero novos ritus clam vel palam introducere studere, post unam atque alteram admonitionem usque ad Generalim Synodum ab officio arceantur."

Quod attinet ad Formulam singularem S. Ministerii Candidatis praescriptam, utique sic est: Cum enim viderent tum Illust. Proceres, tum Synodus Generalis nonnullos Fratrum nostrorum ex Academiis exoticis reducum Arminianismi suspectos in doctrina innovasse, placuit ex utrinque Formulam strictiorem praescribere Ministerii S. Canditatis, Confessionem Helveticam et Chatechesin Heidelbergensem adjiciendo solitae formulae juramenti, quod post scripta Prophetarum et Apostolorum Doctrinae iisdem contentae adhaerere velint.

Sic itaque vir clarissime ad petitionem et obtestationem suam, in quantum causam Dei et Ecclesiae Reformatae agis, ut scribis, rei apud nos taliter actae Historiam tibi notam facere debui: fecique bona fide non in eum finem ut litem tuam tum clarissimo Venema meam faciam, ejusque nomini famae et existimationi hac relatione detractum velim, cui ob eruditionem semper multum tribuo. Sed publica ecclesiarum nostrarum afflictarum in iisque a Reformatione ad hoc usque tempus in puritate sua retentae orthodoxiae causa, ut eam in posterum etiam per Doctores vestrarum Academiarum ac eorundem Discipulos ac nos reduces sartam tectamque conservare valeamus: neque eam a talibus novaturientibus impeti permittamus. Nos post Confessionem Helveticam et Catechesin Heidelbergensem pro scriptis nostrae fidei symbolicis de Praedestinatione et Gratia habemus Canones Patrum Synodi Nationalis Dordracenae, nec ab illis recedere volumus optandum esset ut etiam in Belgio vestro, et alibi successores nonnulli eorundem Patrum et Doctorum juxta eosdem Canones Hypotheses suas instituerent, neque praeter id quod ibi scriptum est saperent.

De reliquo Vir Clariss. Te Tuaque studia commendo divinae benigni-

tati, Deus Te diutissime conservet, studiaque Tua Divinae gloriae ac Ecclesiae Dei emolumento inservientia feliciter secundet. M. Vasarhellyini die 25 Jan. an. 1735.

Clarissimi Tui Nominis cultor devotus Frater in Christo dilectus et in opere Dei conservus Georgius Bonyhai Ecclesiarum Reform. in Transylvania Superintendens ac Ecclesiastes M. Vasarhellyensis.

§ V. *S. Nadudvari.* — Minister ille Enyediensis, de quo mentio est in Litteris, fuit Samuel Nadudvari, ex Hungaria oriundus, qui e Collegio Patakiensi ob libellum famosum in Professorem scriptum discedens, civibus Collegii Enyedensis adscriptus, ob eruditionis quasdam scintillas in honore habitus. Unde in Academiam Francfurtensem ad stipendium Regis Borussiae dimissus: ibi prout antea etiam in Gymnasiis suis vacavit speculationibus Philosophicis, studiaque Theologica neglexit. Brevi ob eloquentiae famam ab Enyedensibus in decedentis Ministri locum invitatus, renitentibus iis qui hominem penitius noverant, in ea tamen celebri ecclesia successit. Non pauci in sermonibus ejus ecclesiasticis inde ab ex ordio functionis se prodiderunt errores, quos hausit ex Postillatoribus Germanicis ut plurimum male intellectis profunda tamen quam in gestu ac sermonibus ostentabat humilitate ac pietate multorum sibi conciliavit favorem. Crassos Pelagii de viribus humanis, et in connexis materiis recoxit errores. Admonitus a Superioribus, non cessit, in Synodum Provincialem protractus ac examinatus officio exutus est. Tandem sententiam suam revocavit et aliquamdiu in Ministerio perseveravit. Oblata postmodum studiis ejus magis conveniens cathedra Philosophica in Gymnasio M. Vasarhellyensi Philosophiam ibidem utcunque per aliquod annos docuit, simulata quam semper prae se ferebat pietate juventutis Scholasticae nec non Benefactorum quorundam animos sibi devinxit. Interea fundos quosdam Gymnasii dilapidavit, aere alieno se obruit, vitamque a scelere puram non retinuit; imo contaminavit. Quae omnia dum amplius celare non posset, convasatis quae adhuc habebat reculis, clam se subduxit in Hungariam: ibi abjectis a se quos habebat liberis anno 1747, quum jam modus se sustentandi nullus superesset ad Romano-Catholicos transivit, verum ambitioni suae parem neque ibidem nactus est dignitatem. sed in misera sorte vitam inglorius sine certo lare ducit.

§ VI. *Josephus Makfalvi.* — Devius ab orthodoxia Minister, de quo superius facta est mentio, alter fuit Josephus Makfalvi tunc Pastor Szent Benedekiensis in sede Maros. Qui dederat scandala, suis sermonibus, in eadem Ecclesia a Reformatorum doctrina abludentibus, Remonstrantiumque Confessionem aperte satis prodentibus. Protractus in censuram,

primum quidem cedere noluit; at tandem manu stipulata gravique Reversali, scripta Prophetarum ac Apostolorum. Secundum doctrinam, quae in Confessione Helvetica, ac Catechesi Palatina comprehenditur, se docturum, serio obstrinxit. Fuitque obstrictae fidei tenax tam in Ecclesia eadem donec ibidem functus est officio; quam in Szent Miklosiensi ubi Aulicum etiam agebat Ecclesiasten Excellentissimi Comitis Adami de Bethlen; tum quoque in Fagarasiensi per sex annos absque ulla innovationis suspicione. Sed quum male inter ipsum et auditores ob duriores ejus mores obstinatioremque in actis animum conveniret, e ministerio ejus ecclesiae dimissus est alterque illi anno 1743 surrogatus. Vocationem in aliam ecclesiam non accipiens recidit in statum privatum. Anno demum 1744 circa finem ac subsequentibus coepit revocare suos errores in materia de Divinae Gratiae Universalitate et cognatis, seque aperte Reformatorum sententiae opponere ac Reformatis contra distinguere. Vocatus a superioribus in Quaestionem et censuram; objecta non negavit, sed ita palliavit, se in Reversali obstrinxisse docturum secundum Confessionem Helveticam ac Catechesin Palatinam; quod revera etiam faceret, alios vero a mente Confessionis ac Catecheseos omnes recessisse. Cumque in synodo Generali an. 1748 examinatus fuisset Etedini, ac sententia ejus rejecta, eodem anno Claudiopoli ab illustri Consistorio dimissus est e communione Reformatorum; qui si nobiscum sentire et docere nollet, vaderet ad eos qui cum ipso sentire vellent. Mansit in eodem statu et animo satis obstinato, victitans tamen ex eleemosynis Reformatorum, quos non cessabat accusare, quasi recessisent tam a Confessione Helvetica quam Catechesi Heidelbergensi, ipsumque solum sapere caeteros velut umbras in erroribus haerere.

§ VII. *Andreas Huszti turbatio.* — Exsurrexit et tertius, vir sua si professione contentus manere voluisset non indoctus Andreas Huszti Juris prudentiae in Gymnasio Ref. Claudiopolitano Professor. Hic in Academia Viadrina sub ductu celeberrimi Heincecii Juris prudentiam excoluit; in Transylvaniam reduci commoda ejus studiis adsignata est statio: quam si ornare diligenter voluisset, habuisset stadium ubi cursum suum absolvat. Sed divagatus est ad ea, quae a professione, quam nactus erat fuerunt aliena. Matrimonium contraxit non secundum Canones ecclesiae; unde subire Theologorum censuras debuit, mox negotium iisdem facessurus. Edidit quippe Tractatum quendam Juridicum, cui praemisit orationem ad studiosam Juventutem; in qua praetermissis Juridicis involavit in Theologiam, Reformatorumque Religionem praecise in materia de Praedestinatione et Gratia nigris adeo coloribus depinxit ac si revera inter Arminianos natus, quid Reformati sentiant nunquam ipse didicisset. Quod dum innotuit hominis ingrati,

beneficiorumque apud Reformatos acceptorum immemoris oratio jussu supremi Consistorii libro detracta atque prohibita est. Ipse vocatus in Synodum Generalem non comparuit, sententia in examen vocata ac rejecta est: cumque non intermitteret Religionem ejusque Antistites variis scommatis proscindere, probrisque continuo afficere officio privatus est, et e gremio ecclesiae proturbatus an. 1742. Tanto magis in Religionem insurrexit eamque modis omnibus infamare annisus est; vagatus in Magnatum Aulis vino deditus, et raro sobrius, Gratiae Divinae Universalitatem, praecipue cum ebrius esset, ingeminare solebat; ita ut non deesset, qui illi ex occasione reponeret: Nunquam Dei Gratiam ita fore universalem, ut ebrii et blasphemi regnum Dei possideant respiciens ad illius blasphemias ac ebrietatem.

§ VIII. Nactus socium Superius memoratum Josephum Makfalvi, ambo crepabant se edito libello demonstraturos, ab Helvetica Confessione ac Palatina Catechesi Reformatos ita dictos recessisse; se vero ambo et si qui sunt, qui Gratiae Dei Universalitatem asserant, ejus sensum vere tenere. Hic socius confessionis cum videret vitam Husztii ut plurimum vino madentem ab ejus conversatione se retraxit. Husztius vero scripsit aliquem libellum, quem apud novitatis cupidos dispersit. Cui titulum fecit: Confrontatio Judicialis summaria systematis Theologici fundamentalis, quod sancta. Ecclesia Christiana, Apostolica, Catholica, adeoque etiam Evangelica, Reformata, Helveticae Confessioni addicta profitetur.

Cum systematibus Pseudo-Theologicis 1. Praedestinatianorum vetustissimorum haereticorum. 2. Particulistarum supra lapsariorum 3. Particulistarum infralapsariorum 4. Universalistarum Hypotheticorum, 5. Universalistarum Categoricorum sic dictorum quo ad subordinationem Decretorum Divinorum. Super insigni capite Doctrinae Theologicae. de aeterno Dei Opt. Max. Patris Beneplacito, Consilio, Proposito, circa Salutem Hominum Credentium occupante, inter sese discrepantibus, vario modo errantibus ac cum priore Ecclesiae Christianae vero ac pulchro systemate e diametro pugnantibus. Per compendium secundum suas classes et schemata exhibita Deo Opt. Max. auxiliante Auctore Andrea Huszti Jcto.

Hic est speciosus Libri titulus, in tractatu vero Doctrinam Reformatorum vocat Apostaticam, Haereticam etc. Reformatos, Deformatos, Illustre Consistorium Supremum seductum, ac ob invigilantiam misere deceptum.

§ IX. *Literae L. B. Joan. Lazár.* — Inscripsit suum tractatum

Illustrissimo L. Baroni Joanni Lazár de Gyalahuta, obtulitque censendum in literis ad Illust. Baronem rursum invehitur in Antistites Reformatos, ac impotenter eos exagitat: de se vero velut Plautino aliquo milite gloriatur controversiam hanc, quam alii non intelligunt, comprehendisse, colligasse, contrivisse, moraliter et spiritualiter extinxisse, quam sub sole, nemo in Europa, Asia, Africa, America unquam vivificaverit: jamque in Helvetiam ut typis describatur expediisse. Respondit vir homini jactabundo, more suo, id est, placide et eruditissime. Digna est Responsio quae hic legatur.

Clarissimo Dno Andreae Huszti Jcto.
Joannes L. B. Lazár de Gyalahuta S. P. D.

Accepto nuperis diebus systemate tuo (ut vocas) Theologico fundamentali sanctae ecclesiae Christianae, Propheticae, Apostolicae, Catholicae, quod et Reformati Helveticae Confessioni et Catechismo Heidelbergensi addicti sequuntur; intellectoque desiderio tuo, quo meam de opere hoc, quinetiam hac confessione opinionem exposcis. Non volui deesse petitioni suae et quicquid de re hac sentio non tam Adversarii quam Amici more, nec tam in doctrinam (eam enim Theologis debellandam relinquo) quam intentionem tuam oppugnandam paucissimis quae sequuntur, repono.

Mirari certe animum subiit in ipso statim operis limine, quo tam speciosus systematis titulus tendat? tanquam si doctrina Reformatorum receptissima non Christianae ecclesiae sit, non Propheticae, non Apostolicae, et tanquam si Reformatus aliquis in Transylvania audire possit non Helveticae Confessioni et Catechismo Heidelbergensi addictus? Hoc est lacerare vestem Christi et unitatem, in Religione procuranda legem solvere charitatis ac societatis.

Praetendis porro tuum hoc systema esse vere Reformatum, Caeterorum Dordrectanorum praesertim sequaces deformatos habendos. At Hercle fateris in censura praedictae synodi tuam hanc Confessionem eandem esse, cum illa quam falso (ut vis) sic dicti Remonstrantes illa in synodo exhibuerunt. Quod si ita est, cur non tuo quoque systemati convenientem titulum exornas, et eum quidem quem Remonstrantes illos, vel si mavis Arminianos tacite, et inter se affectasse legimus. Et quemadmodum reliqua systemata Supra et Infra Lapsariorum nomine insigniisti, dixisset tuum quoque hoc Apostatariorum, vel submortuariorum, vel quod ego mallem Agonizantium: tunc quippe in ultimo illo Agone meritoria illa vestra sese probat perseverantiam; quae pendulo interea secreto divino, quive sint futuri ignaro certitudinem affirmat. Quis vero obsecro te et obtestor sanae unquam mentis crediderit, quantumvis Jovem lapidem juraveris, Dogmata haec

vestra, quae cum Remonstrantium placitis tu ipse identificas, et eadem revera est, pro vere Reformatis habenda, nisi crassissimos Pelagii et mox mitigatos Massiliensium et Siracusanorum, vel si mavis semi-Pelagianorum errores doctrinam vere Christianam et Reformatam nomines: hujus enim matris filia est, hic partus Vester; matri certe similima nisi quod paulo aliter fucata. Novum certe credebam aliquid reperisse vos, quo tantopere efferebamini, et tale quidem, quo forte ordo Decretorum circa Praedestinationem, qui crucem adeo eruditis fixit, concinniore aliquo modo et citra injuriam sapientissimi et simplicissimi Decernentis, Religionisque nostrae contumeliam componi et explicari possit. At postquam vidissem omnia vestra in Praevisionem fidei, liberum arbitrium, rectumque ejus usum resolvi, et quod inimica quovis tempore Reformatis Dogmata te ipso fatente, non tam communes, quam eosdem cum Remonstrantibus errores vendites. Mirabar certe quid vobis animi esset, Dogmati huic Reformati nomen obtendere, nisi Propheticum illud Apostolicumque et in Confessione Helvetica fundatum asserendo rerum ignaris imponere velletis. Neque est adeo cur in refutandis istis veri nominis Reformatus operam ludat aut impendat. Dogmata enim Remonstrantium et in Actis eruditissimis Synodi Dordracenae et a multis aliis Theologis elisa et debellata satis sunt adeo ut aequor idem remetiri vanum prope et temerarium foret. Unum tamen mihi occurrit in praesenti, quod pace tua dixero; dum Helveticam Confessionem sequi te gloriaris, hac in materia, illam te primum omnium deseruisse. Nam praeter quam quod Helvetica Confessio, aliter de libero arbitrio, quam Pelagiani et per hoc Remonstrantes, atque adeo tu etiam satis Cap. IX disserit; eadem improbat cap. X circa Praedestinationem quaestiones, quid nimirum ante omnem aeternitatem de Electis statuerit Deus?

Laudabilius certe erat vires si quae sint, ingenii ad Pacis cogitationes convertere, et irenica potius consilia talibus, quae animos per se distrahunt suggerere. Audi enim sapienter hac de re disserentem Joannem Alphonsum Turretinum in Nube Testium de Articulis Fundamentalibus pag. 49. 50. „Quantumcunque inquit, exaggerentur, hujus Quaestionis Rami, puta de Gratia Universali, Particulari de Electione ex fide praevisa, de Gratiae resistibilitate, vel irresistibilitate, quicunque ad rem attendent videbunt de rerum summa magnum utriusque consensum esse, eosque qui in hisce errant (qui ille sint jam non disquirimus) optimos nihilominus Christianos esse posse; enimvero consentiunt utrinque: 1° Bonum omne a Deo oriri malum a nobis omne. 2do Hominem liberum laude et vituperio dignum et quoties peccat inexcusabilem esse. 3° Neminem esse hominem, qui si credat et poenitentiam agat non sit acceptissimus; imo et quod credere et poenitentiam agere Deo gratissimum futurum non sit. 4to Eos omnes qui pereunt propria culpa perire, nullo Dei defectu

aut vitio, cui eorum exitium adscribi queat. 5° Nihil in tempore accidere, quod in aeternis Dei Decretis sive statutum sive permissum non fuerit. 6° Deum uno et simplicissimo actu omnia decrevisse. 7° Deum redditurum unicuique secundum opera sua, nec nisi aequissime sapientissime clementissime cum omnibus acturum esse. Denique hac in omni materia de Dei consiliis et viis multa incomprehensibilia, multa quorum rationes et modum ignoramus occurrere. Unde illud Pauli, ὦ βάθος, ô Abyssus. Huic argumento juxta utrosque adprime convenit. Quibus omnibus si sequentia adjungantur, 1° Lutherum aeque dure, imo forte durius, quam ullum ex Reformatis de his rebus locutum esse. 2do Melanchthonem, qui longe minus de his rebus sentiebat, et quem Lutherani hodie sequuntur, in summa nihilominus amicitia cum Luthero et cum Calvino nostro quam diu vixerunt fuisse. 3° Multos Doctores Reformatos v. g. Bullingerum magnum illum Tigurinorum Antistitem ad Melanchthonis ideas non obscure accessisse, quemadmodum videre est, tum ex aliis ejus operibus, tum in primis ex oratione de moderatione servanda in negotio Praedestinationis. 4to Partem non exiguam hodiernorum Reformatorum, puta Praesules Anglos paene omnes, Doctores Brandeburgicos, aliosque magno numero cum Lutheranis vel plane facere, vel ad eos admodum accedere. 5to Eos ex Reformatis qui rigidissime etiam de Praedestinatione sentiunt ab omni pravo consectario, quod inde educi queat, quam maxime abhorrere, et pietatem non minus quam reliquos commendare ac colere. Si haec inquam omnia attendantur, et animo pio ac pacifico ponderentur, utique patebit Quaestiones de Praedestinatione arduas oppido ac sublimes non debere animos dirimere et concordiam impedire. Posse unumquemque propria sententia frui, neque molestiam cuiquam hoc de negotio creandam esse, nedum ut ecclesiae communio et fraternitatis jura a materia ita obscura et perplexa suspendantur." Haec ille. Vides quam mansuete leniter et pacifice. Audis Quaestiones de Praedestinatione non debere animos dirimere. Tu vero ea propter Reformatos Deformatos, Consistorium misere deceptum et seductum clamitas et contraria sentientes tanquam Praetoris Edicto aeternis poenis torquendos addicis. Legisti nihil dubito, quid Paulus Apost. ad Phil. III: 15 inculcat. Quotquot itaque perfecti sumus, hoc sentiamus, quod si quid aliter sentitis, hoc quoque vobis Deus revelabit.

Expectandum itaque patienter erat, si quod contendis in cognitione doctrinae istius perfectior aliis es, donec diversum quoque sentientibus id forte quod tibi Deus revelet. Nec convitiis nec maledictis proscindendi Fratres eodem tecum lacte pasti ac enutriti. Eo quippe jam absque hoc deventum est, quod Hilarius ad Constantium Augustum scripserat, ut dum in verbis pugna est, dum de novitatibus quaestio est,

dum de ambiguis occasio est, dum de auctoribus querela est, dum de studiis certamen est, dum in consensu difficultas est, dum alter alteri anathema esse coepit, prope jam nemo Christi est.

At dicis credo, Te primum injuria provocatum, cuique paria reddentem aequissimo uti talionis jure. Verum adverte quaeso animum, quid magnus ille Verulamius dixerit de vindicta: Mitte arcana Dei Consilia, qui actus sunt in Deo interni ad formulas redigere forenses, agrestem illam justitiam esse ob injuriam illatam legem violare. Mitte igitur lites religiosas toties debellatas; mitte pugnam illam, quam nemo sic ingressus temere est, quin saucius inde caput referret; mitte amplius vibrare tela; mitte denique quae utut tua esse jactites tantum certe sunt revocata. obtusa, quippe jam saepius ab incude Remonstrantium, ubi primum fabricata erant, nunc quoque calentia, quia ibi iterum recusa. Mitte movere Camarinam hanc, ne irruentes in se adversarii dum publice semel ejuratam per se doctrinam nunc iterum refodicas, perjurum te et fidefragum reclament, et hoc quoque nomine Pelagio errores in Synodo subleste revocante simillimus habeare. Mitte denique ferocitatem hanc, animum pacis ac quietis cogitationibus imbue. Nam (uti Ecclesia Lugdunensis in censura Synodi an. 854 sanctissime judicaverat) qui non tranquille et pacifice moderatur, quod sentit, sed statim paratus est ad contentiones et scandala certissime habet haereticum animum.

Quod dum tibi pro perpetua actionum tuarum in Religiosis controversiis norma suggestum esse cupio, cave infesto animo sis erga salutem quam mihi obtulisse placuit. Patrocinium cum animi modestia deprecantem, qui casu hoc unico excepto, caetera commodis et emolumentis tuis non defuturum se amicissime spondet et promittit,

B. Joannes Lázár.

§ X. *A. Huszti fit Romano-Catholicus.* — Quum non desisteret male de Reformata Religione loqui, ejusque antistites variis scommatibus adficere, desertus a Benefactoribus etiam ob doctrinam erroricam, ac mores sordidos, unde vitam aleret non suppetebat; eque communione Reformatorum ejectus, fere ab omnibus contemnebatur. Transiit ad Romano-Catholicos, ubi rursus interventu eximiorum Virorum nactus est stationem studiis suis conformem, Digestor, nempe, Literalium Instrumentorum in Venerabili Capitulo Albensi creatus est. occupavitque se aliquandiu in eadem statione, verum cum salarium ipsi ordinatum ejus ingluviei minime sufficeret, resque ex voto ejus non fluerent, ac parvi etiam ibidem ob mores non satis compositos aestimaretur, deseruit stationem. Rursusque in Aulis Magnatum jactatus pro quibusdam Familiis

Tabulas Genealogicas elaboravit. Tandem anno 1755 inglorius Claudiopoli errorum vitaeque finem imposuit. Sequaces non nactus scissionem inter Reformatos excitare, vano strepitu frustra laboravit.

§ XI. Neque ecclesia Augustanae Confessioni addicta ab omni prorsus fuit immunis controversia. Dedit quendam strepitum Hallensis Pietismi in Transylvania suspicio. Accusabantur ejus Christophorus Voygth, Professor Theologiae in Gymnasio Cibiniensi, Martinus Obelius, Rector ejusdem Gymnasii, ac Joannes Baptista Haberman, Con-Rector. Qui vocati in examen se purgarunt vel in minimo se ullo modo discessisse ab ecclesiae confessione aut in theoria aut in praxi; neque deinceps discessuros. Pressi tamen malevolorum iniquitate anno 1713 ad Generalem Commendantem delati ejus jussu Transylvania excedere jubentur praeter Obelium; qui sine officio Cibinii relictus est. Qua in re eorum Pietismus consisteret, Voygthius in Litteris ad Franciscum P. Papai Professorem Enyedensem copiose exposuerat: se nempe detestari in Theologiae studiosis suae fidei commissis non solum omnem dolum et fraudem, sed etiam in omnibus Christianis omnes urbanas conversationes, id est consuetas comessationes, ad musicos concentus chorearum circumagitationes, velut diaboli casses irretiendis Christianis idoneos, praecipue diebus Dominicis exercitio pietatis jam ab olim apud Christianos destinatis, etc.

Majori strepitu detonuit causa itidem Pietistica Deidrichi Pastoris apud Bolgatzienses non indocti; qui innovasse in Religione delatus an. 1714 aliquamdiu acriter se, sequentibus ipsum potioribus ecclesiae Bolgatziensis membris, tuitus est; tandem, quum secus stationem retinere non posset, sententiam revocavit.

CAPUT DECIMUM.

De Illustribus Magnatum in Transylvania Familiis Reformatae Religioni addictis.

§ I. Variis artibus hoc seculo id agebant illi, qui per fas et nefas Romanam ecclesiam tuentur, ut a confessione Helvetica ac Augustana non pauci desciscerent; cum promotiones ad officia publica ac dignitates in Provincia non nisi Romano-Catholicis fere paterent, Religionis alterius quamvis habilibus ac benemeritis a spe consequendi publica munia

plerumque seclusis. Praeterea quantacunque patraverint scelera, edita confessione inter Romano-Catholicos impunitatem impetrantibus: prouti non pauca prostant in publicum exempla. Visum est igitur, Posteritatis sollicito, Reformatas, quae nunc adhuc supersunt, Familias connotare; ne labente tempore eadem quae jam de Hungaria ad Regnantes narrant Majestates, occinere possint; quod videlicet pauculi tantum supersunt Reformati, iique inferioris sortis, ignobiles, qui in censum venire non possunt. Comitum solum ac Baronum recensebo Familias, ac ex eis quasdam personas, Praenobiles ac Nobiles praetermittendo: hi enim fere omnes sunt Religioni Reformatae addicti, praeter paucos, qui ob panem lucrandum et officia publica consequenda, sacra sua cum Romanis permutarunt. Ordinis non usque adeo sum sollicitus dummodo ne qua memoria e Familiis Procerum elabatur.

Familia Sacri Romani Imperii Comitum Teleki de Szék.

1. Ladislaus Alexandri filius Magni Michaelis nepos, in Excelso Gubernio Consiliarius, solidae eruditionis, ac sanctissimae pietatis vitaeque inculpatae vivum exemplar. 2. Adamus Pauli filius, Militiae Equestris ordinis Generalis. 3. Samuel Militiae Equestris ordinis Generalis. 4. Josephus Lad. fil. praecocibus eruditis adnumerandus. 5. Adamus Adami fil. 6. Samuel Alex. fil. 7. Emericus Samuelis fil. 8. Ludovici non pridem vita exempti filii Ludovicus, 9. Samuel 10. Gedeon 11. Michael. 12. Alexander Alex. fil. ejusque fil. 13. Alexander.

Familia Comitum Bethlen de Bethlen.

1. Emericus, olim in Regimine Gyulaiano Supremus Vigiliarum Praefectus, nunc Consiliarius Gubernialis, vir pius ac pacificus. 2. Wolfgangus unius Regiminis Pedestris Tribunus, Proprietarius, Generalis Locumtenens, vir summae integritatis ac virtuosus. 3 Paulus supremus Sedis Siculicalis Arannyas Capitaneus. 4. Ludovicus clarus non pridem Martis filius. 5. Gregorius Ladis. fil. 6. Adamus unius Regiminis Generalis. 7. David Tabulae Regiae Adsessor. 8. Franciscus supremus non pridem Vigiliarum Praefectus. 9. Joannes Sam. fil. 10. Georgius Georgii fil. 11. Ladislaus Georgii fil. 12. Samuel. 13. Alexius 14. Oliverius 15. Gregorius filii Josephi. 16. Michaël 17. Stephanus 18. Ladislaus filii Stephani 19. Paulus 20. Pauli filii, 21. Alexander Davidis fil. 22. Adamus Joannis fil.

Non ita pridem Gabriel Adami Consiliarii ac Statuum Praesidentis fil., avitam Religionem cum Romanis commutavit sacris, primum Consiliarii in Aulica Cancellaria, mox Cancellarii dignitate ornatus et uxore Josepha a Kheovenhüller auctus. Hunc secutus frater Nicolaus, qui ad

officium supremi Capitanei et Consiliarii Cameralis tandem promotus, Conjugemque obtinuit Catharinam Tsáki, ex eadem Illustri Familia.

Ex Illustrissima hac Familia fuit inaestimabile illud Dei in terris depositum, ecclesiae Dei in hac Provincia multum oppressae munificentissima Nutrix, Pietatis ac vitae intemeratae exemplar Catharina de Bethlen S. R. I. Comitis Josephi Teleki olim conjunx suavissima; dein vidua precibus ac vitae inculpatae et φιλαδελφιας integritate coruscans; unde miseri ecclesiastae, scholares ac egeni expectant ac certum accipiunt solamen.

Familia Comitum Bethlen de Iktar.

Est et altera Familiae Bethlenianae Propago. Hic sunt 1. Samuel Tabulae Regiae Adsessor primarius, et ejusdem filii eximia charitate fulgentes 2. Dominicus ac 3. Samuel.

Familia L. Baronum Banfi de Losontz.

1. Wolfgangus Tabulae Regiae Praeses et Consiliarius Gubernalis. 2. Franciscus Lad. fil. Comes Karasinensis supremus. 3. Balthasar Lad. fil. 4. Emericus Sigism. fil. 5. Wolfgangus Wolfg. fil. 6. Franciscus Fran. fil. 7. Michael Wolf. fil. 8. Georgius Wolf. fil. 9. Josephus Emerici fil. 10. Alexius Emerici fil. 11. Ladislaus et 12. Wolfgangus filii Michaelis.

Ex antiquissima ac illustrissima hac Familia fuit Comes Georgius Banfi Transylvaniae Gubernator an. 1709 e vivis sublatus; ejusque Filius Georgius, magno Religionis zelo fervens, ecclesiarum ac Collegiorum Nutritius; qui anno 1734 mortalitatis legem implevit. Filium post se reliquit Dionysium magna cura educatum, qui matrimonium contraxit cum locupletissima virgine Agneta Bartsai L. Baronissa de Nagy Bartsa. Divitiasque a Majoribus congestas ac per matrimonium acceptas, quae parato in aere trecenta florenorum millia superabant, et Dominium Elesd Viennae consumpsit, et ingens nomen ibidem contraxit, cui expungendo par cum non esset, Mandato Augustae Aulae prohibitum, ne quis mutuum ipsi elocaret. Anno 1755 transiit ad Romana sacra, tandem in Aulica Cancellaria Consiliarii dignitatem consecutus.

Familia Comitum et Lib. Bar. Lazar de Gyalakuta.

1. Joannes, Consiliarius Gubernialis, Statuum Praesidens, Tributi Peraequationis directivae Commissionis Praeses, Vir litteratissimus, litteratorum Patronus, vena poetica excellens Hungaricus Apollo. 2. Emericus fil. Joannis excelsae indolis adolescens. 3. Joannes Joh. fil.

Familia Comitum Gyulai de M. Nemethi.

1. Stephanus unius Regiminis Pedestris Generalis, vir eximius,

fere octuagenarius, in Ecclesiam Dei munificus. 2. Franciscus Franc. fil. supremus Colonellus. 3. Josephus Supremus in Districtu Kovar Capitaneus, egregius verae Religionis ac Justitiae cultor. 4. Ludovicus antiquae simplicitatis, fucatam pietatem exosus, bonorum aestimator candidus.

Franciscus Stephani fil. non pridem occasione matrimonii cum Gubernatoris Provinciae Joannis Haller filia Romanis sacris addicta, Religionem mutavit. Similiter Samuel Franc. fil. duxit Thesaurarii L. B. Ignatii Bornemippa filiam in conjugem, eaque occasione Pontificia amplexus Sacra.

Familia Comitum Redei de Kis Rede.

1. Joannes Camerarius ac Generalis. 2. Michael. 3. Ladislaus. 4. Paulus. 5. Sigismundus. 6 Wolfgangus. 7. Franciscus. 8. Adamus Lad. filii. 9. Franciscus Sigismundi fil.

Familia Lib. Baronum Kemeny de Gyerö-Monostor.

1. Nicolaus. 2. Gregorius. 3. Sigismundus. 4. Simon Adami fil. 5. Emericus. 6. Sigismundus Balth. fil. 7. Samuel. 8. Georgius. Non pridem ex illustri hac Familia Ladislaus Ladislai viri eximiae pietatis fil. ad Romano-Catholicos transiit Filiosque Ladislaum Laurentium, Wolfgangum in eadem Religione educavit, consecutus ipse Comitis titulum Consiliarii ac etiam tandem Gubernatoris dignitatem. Adamus cum male ipsi cum conjuge conveniret, neque divortium apud Reformatos obtinere posset, deserta Professione Reformatorum ad Romana amplectenda sacra se obligavit; priorique conjugi, necdum ab illius matrimonii vinculo solutus, aliam superinduxit, Romanae Religionis pallio tectus. Paulus itidem ob spem matrimonii cum virgine locupletissima religionem mutavit. Virginem non obtinuit, sed dignitatem Tabulae Regiae Adsessoris.

Familia Lib. Bar. Vesselenyi de Hadad.

1. Franciscus Camerarius, Consiliarius, et Comes Comitatus Szolnok Mediocris Supremus. 2. Wolfgangus Fran. fil. 3. Nicolaus Steph. fil.

Familia Comitum Vas de Tzege.

1. Nicolaus Consiliarius Regius. 2. Georgius. 3. Adamus.

Familia Comitum Szekely de Boros Jénö.

1. Ladislaus. 2. Adamus variis in Europa studiorum ac experientiae causa peregrinationibus clarus.

Familia Comitum Nemes de Hidvége.

1. Adamus per Regnum Transylvaniae Magister Protonotarius. 2. Ladislaus Martis alumnus. 3. Franciscus Fr. fil. 4. Josephus Fr. fil. 5. Alexius Johannes Adami filius ex ephebis vix egressus insciis Parentibus adhaesit virgini cuidam Romanae religionis, persuadentibus Juvenem et aliis, religionem mutavit, virginemque quamvis infra suam sortem duxit.

Familia L. Baronum Korda de Boros-Jenö.

1. Georgius, suae Majestatis Camerarius Consiliarius supremus Comitatus Kolosiensis Comes. 2. Sigismundus, 3. Georgius, 4. Adamus Georgii filii.

Familia Lib. Baronum de Daniel et Vargyas.

1. Stephanus sedis Siculicalis Udvarselyensis Supremus Judex, vir grandaevus longa rerum experientia ac eruditione clarus. 2. Stephanus. 3. Stephanus Camerarius. 4. Gabriel. 5. Joannes. 6. Petrus. 7. Michael. 8. Alexander. 9. Stephanus.

Familia Comitum Torotzkai de Torotzko Szent György.

Antiquissima Illustres inter familias in Transylvania, Sigismundus vir pius ac moderatus.

Familia Comitum Toldalagi de N. Ertse.

1. Ladislaus Tabulae Judiciariae Adsessor. 2. Franciscus. 3. Paulus. 4. Michael Lad. fil.

Familia Comitum Tóldi de N. Szalonta.

1. Adamus Tabulae Judiciariae Adsessor. 2. Sigismundus.

Familia L. Baronum Bartsai de Nagy Bartsa.

1. Franciscus. 2. Petrus. 3. Franciscus.

Familia L. Baronum Nalatzi de Nalatz.

1. Stephanus. 2. Carolus experientiae causa diu terras alio sub sole calentes visitans. 3. Alexius.

Familia L. Baronum Josika de Branyitska.

1. Josephus Generalis. 2. Daniel Mosis fil. Emericus non pridem religionem mutavit spe officii cujusdam consequendi. Factus Tabulae Regiae Adsessor, omnem suam facultatem jam excoxit.

Familia Comitum Földvári de Tants.

1. Franciscus et 2. alter Franciscus.

Familia L. Baronum Radah de Magyar Benye.

1. Stephanus nuper in Regimine Vetesiano Pyrobolariorum Capitaneus. 2. Laurentius in ordine equestri centurio. 3. Adamus 4. Stephanus. 5. Laurentius Stephani filii.

Familia L. Baronum Szentkerepti de Zágon.

1. Samuel Tabulae Judiciariae Adsessor. 2. Sigismundus. 3. Josephus. 4. Georgius Samuelis fil.

Familia L. Baronum Josintzi de Josintz.

1. Josephus Secretarius Gubernialis. 2. Michael ejus frater. 3. Alexander. 4. Ludovicus. 5. Ladislaus. 6. Carolus Josephi filii.

Familia L. Baronum Intzedi de Varad.

1. Samuel vir variis scientiis cultus. 2. Gregorius. 3. Samuel Sam. fil. 4. Paulus Greg. fil. 5. Michael Sam. fil.

Familia Lib. Baronum Alvintzi de Borborek.

1. Gabriel Gabrielis Consiliarii fil. 2. Adamus, ambo centuriones in Regimine Gyulaiano.

Familia L. Baronum Györfi de Lasad.

1. Samuel, hujus filii 2. Ladislaus. 3. Josephus. 4. Michael. 5. Alexius.

Familia L. Baronum Dioszégi de Dés.

1. Stephanus. 2. Sigismundus. 3. Michael.

§ II. Notari hic meretur, ante annum 1690, qui fuit Principi Apafio emortualis, sub jugo Turcico nullus vel admodum rarus in Transylvania charactere Baronis vel Comitis fuit insignitus: titulis carebant, vitulis abundabant. Aemulatio tandem sub Regimine Austriaco varios et in hac Provincia peperit titulos. Supersunt plures Familiae Illustres absque iisdem characteribus, veluti Kun de Osdola, Kendefi de Malom. (Kun et Kendefi Comitum familiis jam accensentur.) Kabos de Gyerö-Monostor, Fekete de Frits, Horvat de Vasad, Szilvási de Tsepelitzke, Zeik de Zeihfalva, Makrai de Pesteny, Buda de Galatz etc.

CAPUT UNDECIMUM.

De Basileensi Hungaricorum Bibliorum Editione.

§ I. Thesaurus inaestimabilis est Hungaricis ecclesiis oblatus, quando Biblia Hungarica anno 1751 Basileae sunt edita. Editio omnium, quae hactenus fuerunt, pulcherrima: charta subtilis ac candida, characteres nitidi, paucis adspersa mendis; mole sua parva portabilis ac parabilis; denique loci paralleli non ad calcem rejecti, sed in fine versuum textui inserti, pluresque additi.

§ II. Quis primus Editionis huius auctor fuerit, sumptusque tulerit, de eo disquiritur. Dubium nascitur ex duplici, sibique contraria Editionis praefatione Hungarica ac Latina. In Titulo comparet nomen Stephani Pap Szathmari ac Francisci Török; quorum sumptibus in solidum prodiisse ibidem adseritur. Hoc ipsum in praefatione Hungarica amplius adfirmat Steph. Pap. Szathmari; quod instinctu divino motus sibi socium Franciscum Török adsciverit, propriisque suis sumptibus a die 10 Maji anni 1750 ad diem 1 Augusti anni 1751 ediderint, ita quidem ut sancte ibidem adseveret se a nemine vel petiisse vel accepisse in hunc finem vel obolum, praeterqum a Daniele Gerdes S. S. Th. Doctore ac Professore Groningano, centum viginti sex florenos ultro in subsidium exhibente. Quis non in re tam seria ac sancta, personarum ac rerum ignarus, tantae horum adseverationi fidem adhiberet.

§ III. At vero in quibusdam Bibliorum exemplis praefatio Hungarica non comparet; sed Dedicatio Bibliopolae Joannis Rodolphi Imhoff ad Proceres praecipuarum in Helvetia urbium; et Praefatio Latina ad Lectorem Christianum Jacobi Christophori Beckii Theologi Basileensis; in utrisque adseritur Juvenes Hungaros pro correctoribus adscitos, Biblia vero in solidum typis et sumtibus Bibliopolae prodiisse. Verba Dedicationis, quae hic locum invenire possunt, haec sunt: „Notum est Nationem fortissimam Hungarorum magnis quidem terrarum spatiis dissitam neque eo secius tamen arctis quibusdam vinculis nobiscum iunctam esse. Maxima enim pars eius eandem profitetur puriorem fidem, nonnulli Augustanae, multi Helveticae nostrae Confessioni addicti, quam et inter varias calamitates atque angustias mirabili ac summopere laudanda constantia ad hoc usque tempus retinuerunt. Cum igitur Hungari isti Helveticam ecclesiam tanquam communem ecclesiae Reformatae matrem

in honore semper habuerint, cumque doctrinam salutarem aliasque bonas disciplinas uberius cognoscere cupientes ad eam non sine itineris sumtu atque incommodo notabili sese conferre soleant: cum tandem ab alma hac Matre benigne suscepti, non tantum optatos in discendo progressus faciant, sed et multi publicis alantur sumtibus: ecquis est qui negare possit satis arctam nostrae cum Hungarica ecclesia necessitudinem intercedere? Porro cum sine sedula S. scripturae lectione ac meditatione Ecclesia diu subsistere non possit, illos haud exiguo beneficio Populum Dei adficere manifestum est, qui aut ipsi operam dant, aut aliis in ea re laborantibus succurrunt, ut Natio tam longe a nobis remota, et facultate carens S. Biblia in Linguam suam vernaculam fideliter translata typis exprimendi, per nos voti sui tam salutaris, tamque necessarii compos reddatur. Qua propter ante aliquod jam tempus apud Batavos viri pii doctique effecerunt, ut Biblia Hungarica excuderentur, atque pretio quamvis non exiguo comparari possent. Ego vero postquam Biblia Germanica aliquoties; dein etiam Gallica, meis sumtibus, ea elegantia, eaque cura edidi, quae nihil in parte ulla desiderari pateretur; ut iam de pretii exiguitate nihil dicam, quod etiam pauperrimis facile parabilem hunc sacrum Thesaurum faciat: in animum induxi, ab Hungaris rogatus, ab eruditis ac piis amicis excitatus etiam Biblia Hungarica eodem modo parique et diligentia, et pretii aequitate meis typis, meisque in solidum sumtibus exprimere. Eam in rem duos eius Nationis doctos adhibui Juvenes, qui ut quam emendatissimus prodiret Codex, curarent. Quomodo consilium istud meum executus sim, vident, qui oculos habent, quamvis Linguam hanc peregrinam haud intelligant. Ipsa Batavorum Editio quamvis duplo carius vendatur, nec chartae nitore, nec distincta characterum perspicuitate, nec emendationis cura nec denique concinnitate formae, ullo modo conferri potest. Non itaque metuo si arrogantiae accuser, si dicam opus me praestitisse, quod cum ecclesiae Dei utile, tum et Patriae nostrae gloriosum sit. Sic enim ex sinu eius prodit talis liber, cui parem nulla unquam aetas vidit."

§ IV. Verba praefantis Beckii Facultatis Theologicae Decani cum venerandorum Collegarum consensu scribentis, quae materiam respiciunt, sunt sequentia:

„Quoniam vero rariores esse videbantur editiones, exindeque cariores, visum est Bibliopolae nostro, pro laudabili illo studio quo Bibliorum Germanicam itemque Gallicam Versionem, forma exigua commodaque, pretio iusto elegantissime excudit: hanc quoque Hungaricam typis suis exprimere; ad eamque rem duos adhibuit eruditos Juvenes, Stephanum Pap et Franciscum Török Hungaros,

qui emendationis curam haberent, et quantum fieri potest impedirent ne mendosus exiret codex iste sacer. Nec diffitetur idem ille Bibliopola, omni eos esse usos fide atque diligentia, et sub oculis plerumque suis singula folia a Typothetis composita tertium perlegisse, atque cum Prototypo contulisse; id quod hic commemorari ipse voluit, ne debita recte factis laude viri illi carerent. Secutus autem est exemplum editionis Ultrajectinae quae an. 1747 in lucem prodiit; quam et sine alia mutatione expressit, nisi quod bene multos errores typographicos, per modo nominatos viros tolli, loca parallela suis quaeque versiculis subjici atque etiam copiosius adnotari curavit."

§ V. Quid iam ex his concludemus? Bibliopola adfirmat suis typis et sumtibus in solidum edidisse Biblia Hungarica; idem testatur Beckius: Stephanus Pap vero adtribuit suae ac socii solicitudini ac expensis? Res ita se habet. Joannes Rodolphus Imhoff Bibliopola Basileensis induxit in animum edere Biblia Hungarica instigantibus Hungaris, duo memorati Studiosi commode intervenerunt onus correctionis in se suscipientes: praeterea contractum inierunt cum Bibliopola ut bis mille exempla pro singulis florenis in antecessum depositis (quod tamen praestare non potuerunt) illis cederent; tria millia vero pro se retenturus et pro arbitrio venditurus. Hinc evenit ut circa finem operis, cum iam prope esset ut prelo liber exiret, ius dedicationis tam Juvenes hi correctores quam Bibliopola lucro inhiantes ad se pertinere arbitrarentur; unde lis inter istos orta, quam Magistratus ita decidit, ut ius dedicationis in bis mille exempla Studiosis, in ter mille exempla Bibliopolae adiudicaret. Haec est ratio, quare in quibusdam exemplaribus Latina Dedicatio et Praefatio inveniatur, in aliis Hungarica Praefatio tantum. Studiosi enim Bibliopolae Dedicationem et Praefationem e suis exemplaribus abjecerunt; idem fecit Bibliopola Hungaricam Praefationem praetermittendo.

§ VI. Finita editione Török rediit in Hungariam, Pap vero abiit ad Academiam Bernensem; sibi autem temperare non valens cum ab sperato per Bibliopolam lucro partim excidisset, non parvam excitavit comoediam, sibi tandem in tristem exituram tragoediam. Virulentas enim scripsit litteras ad Politarchas, Consulesque Tigurinos, Bernenses, Scaphusanos, quibus Bibliopola novam Bibliorum editionem obtulerat, contra venerandum Theologum J. C. Beckium quem imprudenter ac impudenter adfirmavit aere conductum a Bibliopola ad putide mentiendum. Litterae cum Basiliensibus communicatae satisfactionem veneranda Facultas a Magistratu Bernensi, ubi nunc vivebat Papius, expetivit. Clarius haec omnia ex Litteris eximii viri ad Stephanum Hatvani Professorem Debrecinensem datis hauriri possunt; quae ita sequuntur:

„Clarissimo Viro Stephano Hatvani Hungaro Bonarum Litterarum Professori Jacobus Christophorus Beckius Theologus Basileensis S. P. D.

Quamvis inde ab aliquo tempore nihil a Te Litterarum accepi, non tamen Te mei immemorem esse cognovi ex iis, quae ad clarissimum meum Socerum Joan. Rodolphum Zvingerum nuper dedisti, quibus mihi dicendam Tuis verbis salutem adscripseras. Itaque tuis negotiis atque etiam valetudini haud satis prosperae tribuebam tuum silentium. Quod autem ego nunc ad Te scribo illud hoc potissimum animo fit, ut Tu vir clarissime et tecum viri clarissimi, quibus in Academia Vestra collegis uteris, edoceantur quid hic loci a nonnullis Popularium Vestrorum sit gestum; quod si animum meum et venerandorum collegarum meorum male habeat, mirum vobis haud videbitur. Res paucis ita se habet.

Quum Joan. Rodolph. Imhofius Bibliopola, Biblia sacra in Hungaricam Linguam translata typis expressisset venit ad me ut ordinis Theologici h. a. Decanum, quaesivitque an non Facultatis nomine Praefatiunculam Latinam huic Bibliorum editioni praefigendam scribere vellem. Respondi, me quidem, si id peteret, haud abnuere; sed Facultatis nomine nihil inconsultis V. Collegis agere posse; me itaque rem ad ipsos delaturum. Id ergo feci. Cumque unanimiter adsentirentur, exaravi illas Pagellas, quas fortasse vidisti iisque legenda et emendanda, eoque facto Bibliopolae excudenda misi. Sic autem ea Praefatio incipit. Cum honestus vir civis noster, qui hoc exemplum S. Bibliorum in Hungaricam Linguam translatorum suis impensis ac typis expressit. etc. Haec itaque Praefatio vixdum typis expressa, et ab iis vestratibus studiosis Stephano Pap et Francisco Török, qui ut Textus emendate prodiret, curaverant, lecta fuerat; cum mihi offertur Libellus Hungaricus, Praefationis loco Bibliis praefigendus, ut eum qua Censor Librorum Theologicorum subscripto nomine Decani Theologici adprobatum excudi paterer. Ego vero re nova commotus coepi apud me cogitare, quomodo libellum ignota mihi meisque Collegis Lingua conceptum adprobare ac prelis permittere possem. Dicebat quidem Franciscus Török, qui eam offerebat, posse me interpretationem a duobus popularibus factam cognoscere, verum id in Libello S. Bibliis adiungendo non videbatur tutum satis. Quamvis enim de voluntate eorum studiosorum possem bene sperare: non tamen certus eram, quod per errorem aut imperitiam nihil iis excidere potuerit, quod offensionem postea ederet. Itaque suasi ut Libellum in Latinam Linguam translatum, vel una cum Hungarico Textu si velint, mihi offerant. Me lectam translationem si nihil contra censurae leges deprehenderem, subscriptione adprobaturum esse. Vel etiam si id nollent ab aliquo Ven. Theologorum Patriae suae adprobationem propria manu scriptam impetrarent; tunc me sine dubitatione:

imprimatur, adscripturum. Nam auctoritate et fide Theologi in publico munere constituti, non vero studiosorum Juvenum, me stare posse. Sed cum neutrum illis hominibus placeret — imprimis illud posterius — aiebant ob temporis angustiam fieri non posse, qui tamen toto illo anno, quo Biblia sub ipsorum oculis exprimebantur, de Praefatione cogitare potuissent, ac debuissent. Interea collocutus de ea re cum Ven. Collegis meis, ne ulla in parte crederent Vestri, nos ipsorum voluntati aut ecclesiarum vestrarum, quam ajebant Praefamine hoc carere non posse, usui adversari; placuit tandem ut impressio illius Libelli Hungarici permitteretur, sed addita conditione quatenus sine mora ergo excuso libello, primum quidem ex MM exemplorum, quae vestri a Bibliopola emerant, Praefatio nostri ordinis detrahitur; id quod, quia vel maxime, sub oculis Bibliopolae ac Compactorum, studiosorumque hominum plurium qui ad hos ventitare solent, fiebat, in nostram contumeliam interpretari poteramus, nisi hominum imperitorum rusticitati ignoscendum esse putaremus.

Brevi post quum interea Steph. Pap Bernam, Franc. Török domum abivisset, insalutatis omnibus nobis: ecce Tibi adferuntur mihi Litterae, quas Steph. Pap ad Ampliss. Magistratum Scaphusinum dederat, hicque deinde ad nostrum transmiserat. In iis Litteris cum multa de Imhofio et Dedicatione Bibliorum Hung. scripsisset, quae ad me non pertinent; tum et haec addidit, quae qualia sint videbis D. Rev. Beckium S. S. T. Doct. Facultatisque Theol. Basileensis Decanum aere conductum in suas partes pertraxit, effecitque, ut sibi hic eruditus alioquin Theologus pro Bibliis Hungaricis, quae a nobis aere conductus impressit Praefationem Latinam et Dedicationem scriberet, in qua imprimis Praefatione, ut alia omittam, putide vir eruditus mentiri non veritus est D. Imhof suis impensis Biblia haec Hungarica impressisse.

Facile intelligis, quem molestiae sensum ista hominis impudentia in me excitaverit. Sunt enim hic criminationes eiuscemodi ut vix graviores proferri possent. Primum enim ait me esse mentitum, deinde mentitum putide porro, id factum in Praefatione Bibliorum S. nomine Facultatis Theol. scripta: tandem ad id me aere conductum esse. Quid de Theologo atrocius cogites? Ego igitur innocentiae meae probe conscius confestim rem ad Ven. Collegas meos deferre, petere consilium, sciscitare, quid agendum esset. Illi stupentes insaniam Hungari, quid sentiant aperiunt, rem communem agi censentes, cum illa Praefatio omnium consensu a me scripta et ab iis adprobata esset. Itaque rem ad Ampl. Magistratum nostrum deferimus, eum rogantes, ut primum quidem Imhofium per suos delegatos hac de re interrogare, dein si nostra innocentia manifesta esset futura, quod nec mentiti essemus in Praefatione

nostra, nec ab Imhofio aere conducti, ut dein ad Illustr. Magistratum Bernensem in cuius nunc clientela Stephanus Pap viveret, rem deferret, calumniatoremque argui curaret. Utrumque haud difficulter impetravimus. Illust. Magistratus Bernensis per Senatum Academicum hominem de toto negotio interrogari, et dein pro merito increpitum deprecationem scribere ad nos iubet, hancque nostris Ampl. Proceribus et per istos nobis mittit. In hac equidem agnoscit Pap se ira ac festinatione praepeditum imprudentius et asperius scripsisse, quam par erat. Itaque veniam cum a Ven. ordine nostro, tum a me petit. Sed primum quidem diligenter tacet, quod easdem litteras impudentibus et falsis criminationibus refertas non ad Scaphusinos modo, sed et ad Tigurinos miserit, id quod interea a nobis certe cognitum erat, dum Tigurini exemplum earum Litterarum ad me curaverant, in quibus omnia similia. Dein in fine suae deprecationis adserit, me artibus callīdissimi Typographi in errorem inductum scripsisse. Id quod certe quamvis tollerabilius prioribus non tamen ferendum esse mecum Ven. Collegae judicarunt. Itaque optimum factu censuerunt, ut Historia Facti a me vernacule composita ad Ven. D. Decanum et Universum Ministrorum V. D. Collegium Bernense, cum Ven. Burcardi de hcc negotio publicis litteris mitteretur, cum Politarchis, si ita videretur communicandum: unde isti intelligerent: quamvis deprecatione Papii non adeo contenti essemus, quippe qui in hac causa non leviter et perfunctorie simus versati, ut tam facile a Bibliopola nobis verba dari pateremur; tamen nos qui hominem detrimento vel infamia adfici non optaremus, totam rem ipsorum Prudentiae relinquere.

Summa scripti germanici est eadem, quam legisti hactenus. Ceterum in fine addidimus V. capita apud nos notissima, et quicquid Papius apud exteros dicat certissima, ex quibus patet, quod ab Imhofio in errorem inducti non scripserimus 1. Imhofium iam ante aliquam multos annos, priusquam Papio innotuisset, in animo habuisse Biblia Hungarica edere, eiusque consilii sui indicem schedulam Hungaricam edidisse. Huius ni fallor poteris tu ipse adhuc meminisse. 2. Papium cum Imhofio litteris talem iniisse contractum, ut praenumerando pretium duorum Millium exemplorum, editionem Imhofio faciliorem redderet. Eas litteras Imhofius post ortam inter ipsum et studiosos litem typis excusas promulgaverat. 3. Imhofium non duo, sed quinque millia exemplorum ipso Papio inspectante excudisse. 4. Hungaros Imhofio non pretium duorum millium ante factam editionem, sed tantum sexcentorum repraesentasse, residuum demum aliquamdiu post editum librum numerasse. 5. Cum tandem de Jure dedicandi controversia ad Ampliss. Proceres civitatis delata esset, Hungaris ad se trahentibus, quod Bibliopola sibi deberi sentiebat, decretum fuisse ut Hungari duo Millia exemplorum postquam pretium solvissent, quo

vellent destinarent; quod idem Imhofius de tribus M. residuis faceret. Ex his apertum est, iure meritoque, adeoque verissime scriptum esse, Imhofium suis impensis, typisque Biblia Hungarica edidisse.

Nunc ipsum Te V. C. et unum quemque Lectorem huius meae Epistolae iudicare patiar, quid de tali homine sit statuendum qui nunquam a me laesus, sed dum hic fuit, semper a me humaniter habitus, talia publice scribere fuerit ausus. Potes etiam intelligere, quo loco ea sint habenda, quae ad vos quoque fortassis scripsit. Mihi autem perinde est, quid fiat: dum modo boni ac sapientes viri, quid verum ac bonum sit videant. Neque certe ego, ut hoc quoque bona cum tua venia addam, ita male de Hungarica ecclesia sum meritus aut imposterum tempus fortassis pro re nata mereri possem, ut male animatus, maleque feriatus homo affectuum tantum non barbarorum aestu abreptus ita me publice carpere ac criminari debeat. Spero etiam id Ecclesiarum Academiarumque vestrarum Antistitibus, in quibus Te quoque Tuo merito locum insignem occupare gaudeo, non placiturum esse. Pravum enim arguit in tali homine animum qui me collegasque meos facile in Beneficiis conferendis publice privatimque, si non segniores, saltem cautiores faciet. Quod vero ad Te potissimum ego haec scribam, facit singularis meus in Te adfectus. Citius scribere nolui, quoniam expectandum erat an homo noster omnino ad saniorem mentem rediret. Ceterum facile vides non exigui rem momenti agi, si Theologus haud ullo hactenus crimine notus in Praefatione Bibliorum sacrorum cum consensu Ven. Collegarum scripta, putide mentitus, atque ad id aere conductus, publice perhibeatur. Vale et quid Tibi aliisque de hoc negotio videatur, item quid valeas ipse, quid rerum agas, quid de Libris Tuis apud me residuis fieri velis, quam primum scribe. Datum Basileae a d. XV Cal. April 1752."

§ VII. In Hungaria tandem Stephanus Pap Szathmári Debretzini, cuius Ecclesiae ac Collegii antea alumnus erat, vocatus in consistorium, gravissimam factorum subiit censuram; dignusque iudicatus est, qui a Ministerio Sacro in Hungaria obeundo in perpetuum arceretur. Quae Ecclesiae sententia cum uberiori factorum eius declaratione Superintendentibus in Hungaria Reformatis insinuata est: ne a rerum ignaris locus alicubi homini in omnes occasiones adtento adsignaretur. Significavit eximius vir S. Hatvani venerando Theologo Beckio, cuius vel maxime honor laesus erat, quid de Papio factum, et quae in nova Editione Bibliorum viderentur ratione praefationis immutanda. Cui respondit uberrime Theologus Basileensis: dabo litteras Editionis Historiam majori adhuc lumine perfundentes:

„Viro Clarissimo atque Doctissimo Stephano Hatvani J. C. Beckius S. P. D.

Summas Tibi ago, habeoque gratias ab singulare Tuum in me

studium, quod non privatim solum, sed et publice demonstrasti. Mihi equidem in animo non erat Papio nocere, eumque infelicem reddere. Id enim unice intendebam ut venerandorum meorum Collegarum et mea fama modis legitimis in tuto poneretur: illeque Papius ceterique studiosi vestrates, imo omnes, qui nos audiverunt, atque audient in posterum, consideratius de nobis et sentire et loqui et scribere discant. Nullam enim duriorem conditionem nosti, quam est illa Doctoris Publici, qui ab ipsis suis Discipulis contemnitur ac ignominiose traducitur. Vos itaque exemplum statuistis, quod omnibus salutare futurum confido. Ceterum Litteras a venerandis vestris Superintendentibus nullas accepi, nec etiam a Clarissimo Sylvano, quos revera talem laborem suscipere non desidero; quamvis ipsorum omnium litteras summo mihi honori merito ducere, sed et de ipso prompto paratoque animo gratias agere debeam. Verum quoniam ad Te potissimum amicum meum singularem, eundemque suo merito publice loco honestissimo docentem perscribendum esse duxi, ut esset qui veram rei gestae Historiam nosset, aliisque narrare posset, cum opus videretur: abunde mihi sufficiunt Tuae adcurate et peramanter scriptae. Eundem autem in vos pessime gessisse et gerere non miror. Ex omnibus enim quae narras et quae vidi ac audivi ipse hominem esse intelligo impotentis animi etiamque omnia proprio lucro metientis. Illud omnino nefandum esse censeo, ut is qui duo millia exemplorum Bibliorum singulis florenis emerat, ea quaternis nunc vendat. Sumptuum enim et periculi compensationem sat iustam habuisset, si in singula exempla singulos florenos lucrifecisset. Quod enim correctionis laborem adtinet, pro eo nutritus a Bibliopola, aliterque ei satisfactum est. Igitur tanto magis optare debetis, ut Bibliopolae consilium de recudendo libro illo S. non careat successu, de quo post.

Quod autem adnotasti manifestam contradictionem inter ea, quae in Titulo posuit Papius, et verba quaedam nostrae Praefationis, id contigit partim perfidia illius hominis, partim quod vestrae Linguae ignari sumus. Nam studiosi vestrates, qui tum aderant Papio favere, adeoque in hoc negotio non satis fidi videbantur. Unde et tanto magis nonnulli Procerum nostrorum in ea opinione, quam tamen falsam esse probe sciebam, confirmabantur, agere Papium vestrae ecclesiae publicam causam contra Imhofium; id quod illi faventiores effecit multorum animos. Idem et dubio procul Bernates permovit, ut post qualemcunque Papii deprecationem nobis perscriptam ignoscendum ei censerent. Nos quidem id haud inviti agimus, ita tamen ut caveremus, ne fama nostra aliquid detrimenti acciperet. Fecit ergo Bibliopola quod suasisti illis exemplis Bibliorum, quae apud eum supersunt, demptis Titulis alios adiunxit, quibus verba, quae notasti sunt detracta. Ceterum illud magis ignorabamus utrum aliquid in Bibliorum Textu aut inscriptionibus mutassent

correctores nec ne? Illi certe Bibliopolae, Bibliopola mihi sancte adfirmaverat factum id non esse; quapropter si quid eius generis deprehendatur, vobis tam ut idoneis Judicibus, quam ut ecclesiae Hungaricae Ἡγουμένοις respondebunt illi homines. Ceterum in nova editione omnia in melius poterunt restitui. Si quid igitur vel casu vel studio a Te V. C. aut ab aliis deprehendatur, scripto consignatum ad me mittatur, faciam ut sedulo emendetur. Idem dico de iis quae nostrae Praefationi addenda fortassis putabitis. In eum finem poterit, si ita videbitur in vestram Linguam transferri, et per modum supplementi non nihil adjici. Papii certe scriptum excudi passus non fuissem nisi venerandi Collegae mei, qui hominem non satis noverant existimassent illum et Törökium (nam hic Praefationem obtulerat) reverentia ecclesiae vestrae permotos nihil quod non deceat edituros, quippe alibi nullum lectorem, emptoremque inventuros, nisi apud eos ubi et rationem de omnibus quae scriberent reddituri essent. Nunc vero sic sentio; istam studiosorum Praefationem in nova editione prorsus abjiciendam esse. Idem fiet de Dedicatione, quae varias ob causas non bene ut audio excepta est, neque etiam satis prudenti consilio addita. Illa vero quae mones ex Historia ecclesiastica Hungarica uberius et rectius de versione Hungaricorum Bibliorum cognosci potuisse, mihi pergrata fuerunt. Eius certe libri nulli tum nostrum in mentem venit recordatio. Interim nihil video a vero magnopere aberratum in iis, quae ex Cwittingero scripsi. Virorum insignium nomina, quorum sumtibus promotum opus fuit, video pleraque τοῖς ὑπερέχουσι invisa esse, itaque non censuerim eorum laudibus animos esse irritandos. Quae vero H. E. pag. 736 commemorantur de laboribus Georgii Tsipkes Komaromi aliorumque iterum de Editione Franekerana, ea puto talia esse ut Editioni Ultrajectinae an. 1747, quam secutae sunt operae Typographicae nihil derogent. Quamvis enim effectui data fuisse consilia de Textu emendatiore excudendo suspicor, nullum tamen in Titulo nomen nisi Casparis Caroli expressum, quod certis de causis factum nullus dubito.

Porro igitur quod ad novam adtinet Editionem gavisus est magnopere Bibliopola probari Tibi consilium suum, quod et aliis non displiciturum confidit. Ceterum quod mones de invectionis periculo, id est verissimum; quapropter eum petas ut Vratislaviam exempla curentur; id quidem Bibliopola se facturum recipit, Chirographoque dato promisit, in quo non amplius ut floreni unius pretio accedat petit, quam sex decim cruciferos in singula exempla vecturae portorii caussa. Itaque Uratislaviae accepta constabunt vobis num. 19 batziis, quod utique modicum esse pretii vides. Et si editio Ultrajectina in Batavis binis florenis emenda facile accedente portorio Uratislaviam usque pretium sic adcrescet ut duplo majoris veniat quam nostra. Nunc vero tuum est pium opus quantum in te est promovere. Non putem difficile fore duo aut tria

millia florenorum colligere atque ita in tutas deponere manus ut Bibliopolae saltem de parte exemplorum statim parata pecunia dinumeranda sit cautum. Id quod tamen ita fiet, ut dimidia saltem eius summae pars statim huc mittatur: reliqua vero tum accedat cum Editio finita fuerit.

Audi autem quid consilii dederim Bibliopolae, quidque ille sequi decreverit. Cum initium operis fiet (fiet autem cum nummi apud me fuerint) mittetis vos unum alterumque ex vestris studiosis, quos ad hoc idoneos judicaveritis, ut typothetarum specimina corrigant. Hos in fidem publice recipietis, ut de industria sua et sedulitate vobis opere transacto respondeant, vestrae enim Ecclesiae res agitur. Testimonium illis publice scriptum tradetis, quod nos de ea re certos reddat. His autem Imhofius domi suae hospitium et victum honestum ac fortassis praeterea aliud praemium dabit, sicque totum negotium tuto et publice quidem non per privatos geretur. Haec de Bibliis Hungaricis, de quibus quid sit sperandum Tu me quam primum docebis. — Dabam Basileae die IX Decembr. 1752."

§ VIII. Non est hic sicco praetereundum pede, quid in Transylvania hisce Basileensibus actum sit Bibliis.

Venum exposuerat non nemo Enyedini anno 1752 die 9 Julii aliquot horum Bibliorum exemplaria, centum definito numero, nec amplius fuerunt. Requisierat in hunc finem virum clarissimum Michaelem Abod Ajtai Linguarum Orientalium Graecaeque, ut et Historiarum Professorem ac Paedagogiarcham perpetuum Collegii N. Enyedensis celeberrimum, quo nemo hac aetate rei litterariae utilior, publicique commodi in Transylvania studiosior exstitit, ut eius interventu quantocyus mercibus suis liberari posset. Verum quia Bibliorum exempla erant sine ligatura, pretium vero definiverat pro singulis exemplis quatuor florenos, Bibliopegi quoque, quamvis ut plurimum artis suae rudes, tantumdem fere pro ligatura expetere soleant, emptores non inveniebat. Ex consilio eximii viri Prof. M. Ajtai in Collegio, in Templo, et aliis solemnitatibus ac congregationibus publicatum est Biblia venalia prostare, sed ob superius memoratam difficultatem nemo emptor comparebat. Inscius harum rerum commode supervenit Petrus Bod V. D. Minister in ecclesia M. Igeniensi; qui suasit vehementer omnia exemplaria emenda esse; siquidem ob varias censuras ac indignas vexationes difficilime ex peregrinis oris in Transylvaniam deferuntur, ut plurimum in Tricesimis detinentur, ibidemque ingenti Possessorum vel emptorum damno perpetuo retinentur, ac pereunt: se in pretii exsolutione pro facultate sua accessurum. Restabat difficultas de compactione; conventum quoque est cum Bibliopego qui pro ligatura singulorum exemplorum acciperet duos florenos Hungaricos; atque ita sex tandem florenis unum Bibliorum exemplar constaret emptori. Hoc modo centum Bibliorum exempla a M. Ajtai Professore, cui ex parte accessit etiam Minister Igeniensis, empta sunt; ac Compactori in

vicinia Collegii commoranti ad compingendum transposita. Sed audi quid factum. Dum compactor in compingendis Bibliorum exemplaribus occupatur Enyedini; exiit de Bibliis rumor ad excellentissimum Sigism. Sztoika Romano-Catholicorum in Transylvania Episcopum ac Excell. Joseph Ignatium Bornemippa Thesaurarium; qui varios animorum motus efformavit. Fama enim uti adsolet. non ut res erat enarravit; sed in alias ac alias figuras transformavit. Narrabatur in Collegio Biblia imprimi; sed hoc cum apertius esset, quam cui fides adhiberi posset; alter fingebat iam a pluribus mensibus sex compactores ibidem clam in compingendis occupari Bibliis; alii alia narrabant. Nihil autem erat, nisi centum illa Bibliorum exempla compactores exercebant. Sed largiri mihi Biblia ibidem impressa, multa millia compacta, vendita, quodnam inde scelus, quale illud crimen? Verbum Domini in aliorum manus dare, lac pueris praebere, escam esurienti. Verbum Domini, verbum Domini manet in aeternum. Thesaurarium decet hunc coelestem Thesaurum in scrinio pectoris recondere. Episcopum decet verbum hoc veritatis recte tractare.

§ IX. Dimissi sunt tandem iussu Directoris ex Cancellaria iurati scribae; qui severam ac strictam de his Bibliis Claudiopoli ac Enyedini peragerent inquisitionem; iidem tandem iussu eiusdem Directoris Fiscalis in ius vocarunt clarissimum deque re publica optime meritum Michaelem A. Ajtai Professorem Enyedensem die VII. Julii an. 1753. Puncta evocationis fuerunt: 1. Quod multa Bibliorum exempla ipse simul cum Ministro Ecclesiae Igeniensis ex oris aliis curaverit in Transylvaniam adferri. 2. Quod curaverit in Templo publicari. 3. Quod eodem, quo emerat pretio vendiderit. 4. Quod gratis etiam aliis donaverit.

CAPUT DUODECIMUM.

De Illustris Collegii N. Enyedensis ab anno MDCCXI a Compositione scilicet Szathmariensi ad tempus praesens fatis.

§ I. *Studia a caede die Palm. facta utcunque conservantur.* — Ruderibus suis ac cineribus involuta plures per annos haeserat illustris Musarum sedes Schola N. Enyedensis. Post evastatos edaci igne anno 1704 per milites Caesareos, Collegii parietes, ac dilacerata disjectaque instructissima Bibliotheca, atque in Bibliotaphium conversa, tignis stramine injectis, humiles studiosi efformarunt casas, quas incolentes inter perpetuos terrores utcunque studia prosecuti sunt. Adtendentes pii literarum

Statores, praeclari variarum scientiarum Professores, ne Seminario radicitus evulso, oblatio ad altare Dei cessaret, ac ecclesiae ab infelicibus loliis insessae prorsus interirent, egerunt quod in potestate fuit. Exterorum Fidei Sociorum misericordiae commendabant futuros in ecclesia ministros, qui eosdem sumptibus adjutos, ac doctrina perpolitos tandem benevole ecclesiis redderent.

§ II. *Commendatitiae Stephani Erdödi.* — Quid calamitosis istis temporibus egerint, commendatitiae Stephani Erdödi ad publicos Academiarum administratores datae satis explicant quae ita sunt:

„Viris Magnificis, Venerandis, Excellentissimis, celeberrimis Academiarum imprimis Reformatarum Rectoribus Decanis Professoribus, Dominis Fautoribus, Fratribus et in opere Domini conservis, Praesentes has nostras visuris salutem et perennem felicitatem.

Seminamus etiam nunc cum lacrymis, quando qualisque sit futura messis nihil solliciti, dum omnia nostra boni Dei providentiae humiles submittimus, in eum oculos conjicientis, unde nobis certum, licet ob peccata nostra tardare impatientibus videatur, sperari unice potest auxilium. Hac spe freti laboramus in eo ut ministerium Evangelicum Religionis Reformatae, in hac misere per intestinos motus divexata ac lacerata conservemus patria: parenturque nostra qualicunque cura idonea pro Domo Dei instrumenta ad veritatem orthodoxam propagandam, et errores, qui partim radices egerunt, partim in dies germinant, opprimendos. Ei fini praesentium exhibitorem, egregium moribus et eruditione juvenem Stephanum Erdödi, hactenus Scholastica cura nostra formatum, vobis felicioribus amplius ornandum propinamus; ut quod factitavimus faciatis, et opus consummetis quod nos incepimus. Quia vero qui hic musas nostras respiciebant exilio, morte, vinculis, ita a nobis submoti sunt Patroni, ut vix in dies in loco nobis victitare integrum sit, tantum abest ut peregre studiorum causa profectos viatico debito munire liceat. Oramus omnes Confessionis nostrae socios ὁμοπιστους ut dicto discipulo nostro, qui συστατικας istas a nobis digne meruit, omni ope Christiana adsurgere et rem eius angustam juvare; quin ubi hoc divina benignitate concessum est inter stipendiarios Palladios numerare bono ecclesiae consecratum, nec degenerem sui esse officii pie judicent; facturi rem Deo gratam, ecclesiae Reformatae in hoc reducto angulo et Turciae finibus utilem ac precibus nostris quotidianis Deo et Christo ejus invicto ecclesiae capiti ad remunerandum commendandam. Valete omnes et loci tanto intervallo dissitis fratribus vestris favete et diu felices vivite, bonoque nostro perennate. Enyedini d. XII Aug. 1706. Publico Collegarum nomine

Franciscus P. Papai."

§ III. *Litterae ad Dan. Ern. Jablowskium.* — Praecipuus certe qui apud exteros vivendi modum studiosis Enyedensibus in Musarum gremio

parabat fautor fuit Daniel Ernestus Jablowski, qui apud Regem Borussiae ac ejus Aulae Ministros effecerat, ut continuo ordinarie duo, extraordinarie et plures in stipendio Regio alerentur studiosi Enyedenses atque ita pro ecclesiis Transilvanicis docti formarentur ministri.

Plures ad manus sunt eius aevi litterae: dabo ex illis has Jablowskio exaratas ac velut eucharisticas.

„Ad venerandum Virum Dominum Danielem Ernestum Jablowski Serenissimo ac Potentissimo Regi Prussiae a Sacris Aulicis.

Musa nostra ab osorum turba majorem in modum afflicta ac semianimis nondum tamen lacertos movere, mentem inspirante Deo, cessat; quin contra, qua data porta ignorantiae cancellos perrumpere vel in tanta temporum difficultate tentet. Cuius signum aliquod praesentium exhibitor Georgius Jastfalvi, disciplinae nostrae aliquot retro annis sectator edere statuit, hinc ad vos recta contendens; ut gemmulas, quas inter nos cum lacrymis legit, in officina vestra feliciore elegantius poliat, atque omnino perpoliat, cum lucri auctario olim, ubi vicissim suis reddetur easdem distracturus: Juvenis est a pio et sancto proposito, bonis quibusque nisi nos amor fallat merito commendandus, quo nomine ipsum Tibi studiorum nostrorum hac tempestate Promotor pientissime commendamus bona fide, et juxta oramus, ut eius usibus promovendis pie ac patienter ut soles adsurgere apud Regios, imo si res ita feret, Regem ipsum, avitae ac proavitae Religionis orthodoxae et assertorem et propagatorem zelosissimum, fortissimum, felicissimum digneris, ut aut vacans in Francofurtana Academia Regia stipendium occupet, aut si forte stipendio illo adhuc dum alii nostri fruantur, ut non una est benedictio tanto Regi, novum hic tertius te interprete impetret, quo se suaque studia juvare, ac ecclesiasticis Patriae suae usibus parari, votisque ac spei nostrae hoc pacto respondere possit.

Haec est occasio qua usus Te litteris hisce meis, vir venerande, inter graviores curas lacessere sum ausus; ut me post tantum temporis intervallum, quo motus isti civiles epistolico commercio sufflamen injecerant in memoriam revocem ac denuo tuae dilectioni insinuem; non desperans fore ut supra meritum nostrum respicias exoticos ὁμοπίστους, quod jam non semel fecisti. Utinam vero de ecclesiastica Historia Tua, quam vir peritissime rerum moliebaris tandem per manus hominum volitante aliquid inaudire, si videre non detur, liceat, qua tamen si mihi potiri aliquando contingat, ero curculio in hoc farre non facile saturandus. γένοιτο, Vale Venerande Fautor et graves curas tuas interpellanti ignosce. Servet Deus propitius vobis nobisque Regem, in quem domus nostra inclinata recumbit. Servet sub eo ecclesiam, Academias, servet litteras et terras a barbarie vindicet. Servet vos Academiarum φωστῆρας, servet omnem

literariam pubem ac nos de rerum vestratium successibus perpetuo gaudio impleat. Enyedino VIII Julii 1706.

Fr. P. Papai."

§ IV. Motus tot Regis beneficiis Dictionarium cum anno 1708 ederet Professor Papai Potentissimo Borussorum Regi dedicavit; quae dedicatio quum sit rarior ac res Collegii in se contineat, hic locum inveniet: „Augustissimo ac Potentissimo Borussorum Vandalorumque Regi Friderico I. Sacri Romani Imperii Archicamerario et Electori etc. etc. Pio, Felici, Augusto D. Domino Clementissimo, Vitam. Victoriam, Felicitatem.

Quantum Augustae Majestati Tuae Regiae debeamus Transylvani clientes, nemo magis intelligit, quam nosmet ipsi, quos Regia munificentia Tua tantopere Tibi obligasti, ut ab aliquam multis retro annis magnum nomen sis in Primarii Transylvanorum Reformatorum Collegii Enyedensis tabulis; cui dispungendo quicquid eius est, sufficere non potest, nec certe cupit aere Tuo exsolvi nedum exire unquam: gaudet contra potius et reliquari et in dies reliqua plura apud tam Benignum Clementissimumque Creditorem contrahere. At insuper si altius ordiatur non potest non profiteri se jure nexi mancupiique imo religione quadam Tuum esse, et vel natales suos debere serenissimae Domui Brandeburgicae. Collegium enim hocce pio consilio a Magno Principe Gabriele Betlenio et Serenissima eiusdem coniuge Catharina nata Marchionissa Brandeburgica fundatum; eruditis Professoribus Alstedio, Piscatore, Bisterfeldio, qui iam tum Herbornae Nassoviorum inter doctos caput extulerant, luculento millenorum talerorum uncialium in singulos salario annuo e Germania accitis informatum, instructissima ac sumtuosissima Bibliotheca exornatum, legibus firmatum, privilegiis donatum, et omne genus reditibus locupletatum, steterat inconcussum; nisi Mars cui nunquam cum Musis bene convenit, felicitati huic invidisset ac ferociter intercessisset. Qui ante hoc quadriennium ita in nos saeviit ut dictum Collegium Betlenio-Brandeburgicum iam iam seculum impleturum et de Festo Jubilaeo ac jubilis secularibus cogitans in cineres sederet ac non iubilare, verum contra tristibus elegis sibi parentare cogeretur, lectissimis e pube litteraria ferro et flamma haustis, quorum exsanguia cadavera tristi spectaculo in viis et collibus vicinis candebant, quasi intercute corpora lacte: idem fatum instructissimae Bibliothecae fuit, pro qua nonnisi Bibliotaphium nobis relictum est.

Excitas tamen deficientibus domi nostrae Patronis liberalitate Tua Rex Auguste, musas nostras, quae torpore quodam veternoso inter acerbissima Patriae taedia, pene emarcescere ceperant, ut nunc quasi redivivae ac devotionis suae memores, vel chartaceo honorario liberali Majestatis Tuae gratiae quadantenus pariare mallent, quam ingrati

silentii notam subire; quamvis ab altera parte temeritas quoque nobis in hoc audendo vitanda fuit, cuius non possumus non merito coargui; quod pannucea nostra Tuae purpurae adsuere non sumus veriti, et post tot tantosque apud vos Alcidas, nos pumiliones in arena vestra saltare animo praesumsimus nostro. At certe si non alia ratione placere et locum invenire possint nostra, saltem ut grati animi pignus hanc volam aquae ex obvio nobis rivo haustae, Rex Pientissime accipe, tenuem industriae Scholasticae fructum apud Te primum, utinam non tardum admitte: praemetivus hic quidem, nec maturus satis est, at vel ea ratione etiam acerbitate sua pretium quoddam habiturum confidimus; quia novum est et e longinquo missum munus. Tu nos prior ad hoc audendum Regia gratia Tua invitasti, Collegium enim hoc, quantum quantum est, novo quoque nexu Tuum esse Rex optime voluisti, quando ab hinc annis quindecim ut in studiosis suis in inclytam Academiam Tuam Francfurtensem ad liberale stipendium ex aerario Tuo ecclesiastico numerandum, transponendis, continuando etiam post fata, utinam tarda ab heredibus Regiis beneficio, Augustum nomen tuum ferret, et de tanto Patrono, et ubi res ejus postularent, etiam Protectore gloriaretur, pia et tanto Principe digna mente, ultro sancte statuisti. De Tuo ergo oblatum, quod humilime offertur tanto lubentius agnosce, Dictionarium illud est Latino-Hungaricum et Hungarico-Latinum, quod ad devotionis novellae aram apponimus. quale muneris genus magni Reges sibi inscribi, imo impensis suis publico dare non sunt dedignati, et opus hoc quando totius gentis Hungaricae manibus teretur, non patietur eandem de Tuis in Rempublicam suam meritis conticescere unquam. Excipe Rex Auguste quod tanta devotione et omine offertur, utque Dictionarium hoc in splendidissimae Bibliothecae Tuae Berolinensis vel ultimis forulis, autor vero operis aerumnis quam annis debilior, inter clientes Regios aliquem locum inveniat, patere. Nos nostraque studia Pietati Tuae et inde Regibus ac Principibus ὁμοπιστοις a nobis passim sepositis commenda, ac Gratia Tua Regia ad majora et luculentiora in Augustaeque Aulae Tuae luce collocari digniora, excita. Tu vero Rex Pie, Felix, Auguste, cui hac aetate tributum a Deo Opt. Maximo est, literas earumque cultores apud Nos respicere, et sine quo nos valere non possumus, diu optime vale, et in Augustum Nomen Tuum ituris serenissimis pignoribus Principibus Regiis, Filio ac Nepote et qui nascentur ab illis aeternum felix vive. Nos si non aliud, pium certe ac gratum affectum nostrum Tibi volumus aeterna lege lubentiaque consecratum, Tuum est nos quacunque velis conditione Tuos agnoscere. Utinam vero in afflicta Gente nostra Jani Portae cura quoque vestra Regia mox claudantur, ne iterum nova Enyo eas vel aperiat vel disjiciat prorsus. Utinam Astraea coelitus justitiam pluat, ne tot tantisque cir-

cumveniamur dolis! Utinam ut diu desiderata ita longa quies sit musis nostris!

Augustissimi Nominis Tui Domusque Regiae

Enyedini Transylvaniae, quod olim Annia Via inter ruinosi Collegii parietinas Anno 1708 die 23 Maji.

Devotus venerator
Franciscus P. Papai."

§ V. *Difficulter aedif. Collegium.* — Lente admodum Collegii resurgebant ex ruderibus parietes, etiam postquam alma pax per Compositionem redierat Szathmariensem, quamvis medio supplicum libellorum singuli ferme qui aliquid in Transylvania valerent ad concurrendum de perficiendo hocce opere sollicitarentur. Magnates enim per decennales Patriae turbas ac continuas in Provincia calamitates et caedes partim hausti, partim ad varias Europae regiones patria extorres, ejecti; partim vero per assiduas effreni militis et turbonum hinc inde palantium depraedationes facultatibus adtriti, opem ferre non poterant. Depositum Betlenianum pro Ecclesiarum et Collegiorum necessitatibus curatorum ac administratorum fraude vel negligentia ex parte interversum ex parte accisum: quod vero superabat, nondum foenerabatur.

§ VI. *Recurritur ad Anglos pro auxilio.* — Crescebat tamen in dies Pubis scholasticae numerus, ex captivitate velut Babylonica cum alma pace reducis. Professores et qui res Collegii moderabantur circumspiciebant, si Deus aliquis e machina in tanta egestate opem ferret: quodque domi non inveniebant, foris auxilium Musis quaesiverunt. Primus fuit S. R. I. Comes Alexander Teleki de Szék alter Collegii Curator, qui anno 1714 ad Anglorum ὁμοπιστων Pietatem recurrendum suasit, subsidiumqne a transmarinis divisisque a nobis toto orbe Britannis sollicitandum; quod et factum per filium Professoris Papai Franciscum. In Anglia igitur Regis indultu, in cuius armamentarium Comes jam nominatus Gladium Hungaricum auro gemmisque fulgentem, in Bibliothecam vero Papai Dictionarium elegantissime ornatum detulerunt, ac Cantauriensis Archiepiscopi adnuentia Collecta pro necessitatibus Collegii Enyedensis instituta; summa ex ea collectione emergens foenori ibidem locata; ex cuius annuo proventu ad hunc diem usque perdurante, tandem successive Collegii muri erecti, ac illustris haec Musarum sedes in illum, quo hodie floret, pervenit statum.

§ VII. *Anglica summa adteritur.* — Silentio tamen involvendum non est, maiorem fuisse olim summam pro Collegio Enyedensi ex Anglorum pietate collectam, quam qua hodie fruitur, quamvis hodie quoque annuus ex foenore proventus septingentos florenos Hungaricos et amplius efficiat. Sed partim collectoris imprudentia, qui non tantum circiter XVI annos in Anglia victitavit, verum etiam aliquam partem ampliorem reddere

satagens in ollam fortunae (Lothariam) conjecit et amisit: partim administratoris malitia, multum ex integra summa adtrivit. Prope aderat ut tota periret circa annum 1738 privatorum quorundam versutia, at vero moderante ita summo Numine requisitus Primas Angliae Archiepiscopus Cantauriensis ac de summae pecuniariae ratione informatus, cam pro summa sua pietate ac prudentia extra periculi aleam collocavit, atque pro Gymnasio Enyedensi prudenter atque pie stabilivit. Tantam Anglorum pietatem Transylvanica Reformatorum Ecclesia necesse est ut perpetua memoria celebret!

§ VIII. *Fata Steph. Enyedi Prof.* — Stephanus Enyedi Rivulino oriundus, inde ab anno 1692 Professor Theologiae, vir sublimis anno 1714 die XV Augusti vitam aerumnosam cum morte beata commutavit. Hic ex variis bellicis tumultibus, in quibus et ipse saepius de vita periclitabatur, consternatus ac lenta apoplexia tactus, sub ultimis quatuor vitae annis linguae et reliquorum membrorum usum amisit, praeclarus cetera vir, tam sibi quam aliis oneri fuit. Evenit vero quod dum rerum moderatores alii parcendum viro praeclare de re litteraria merito, ac exspectandum donec restituatur, censent, alii consulendum bono publico, ne studiosa iuventus defectum patiatur, urgent, tumultum studiosi in collegio excitarent; quem Illustrissimus S. R. I. Comes Ladislaus Teleki de Szek Consistorii Reformati Praeses, dum vi ac autoritate sua componere tentat, maiorem efficit, eo usque ut expetita Triballorum manu Enyedini se tutandum necesse haberet. Ne vero medicina morbum efficeret periculosiorem, interventu Inspectoris Curatoris S. R. I. Comitis Alexandri Teleki res componitur. Coryphaei enim se illi captivandos dediderunt, qui aliquamdiu in castello Gernyefregiensi opipare habiti, tandem datis Reversalibus in Collegium dimissi. De Enyedio interea decretum ut relicto ipsi Professoralis salarii dimidio in tanta etiam Collegii pauperitate alter surrogetur.

§ IX. *Steph. Gyula Szigeti Profes.* — Vocatus ergo in eius locum eximius vir Stephanus Gyula Szigeti ex ministerio Felsö Banyensi an. 1713 ult. Octobr. inauguratus vero more solenni die V. Januarii an. 1714. praesentibus Illustris Collegii Curatoribus Alexandro S. R. I. Comite Teleki, Joanne Nemes cum splendida Nobilitatis comitiva, R. D. Superintendente Stephano Kolosvári ac aliis quam plurimis, rem hanc summa cura ac industria urgente ac promovente Illust. S. R. I. Comite Ladislao Teleki Consistorii Praeside ad continuas studiosae iuventutis preces.

§ X. *Petrus Szilagy Kolosvario succedit.* — Jam anno praecedenti in locum defuncti Reformatorum Episcopi Stephani Veszpremi suffectus est Procerum praecipue suffragio Stephanus Kolosvári per XXXV annos Enyedini Philosophiae et Linguae Hebraeae Professor, vir annis et meritis gravis. Qui mense Novembri habita oratione valedictoria officio decedens, Albam Juliam in Residentiam Episcopalem pro more istius temporis,

Pastor ecclesiae simul et senior Fratrum Tractus Vicini futurus concessit, cuius vacans Cathedra Petro Szilágyi ex Orientali imprimis litteratura notissimo. oblata; qui ex Ephoratu Illustr. Baronum Sigismundi ac Samuelis Kemenyiorum, atque Pastoratu Aulico vocatus, vacantem Kolosvarii locum occupavit.

§ XI. *Fr. P. Papai Prof. moritur.* — Vir laboriosus, litterator summus imprimis latinus cultissimus, de variis, qui post fata laudant eum operibus notus, Franciscus P. Papai Med. Doctor et in eadem Facultate in Academia Basileensi Adsessor, per XXXVI et amplius annos in Illustri Betleniano Professor variarum Facultatum Paedagogiarchaque perpetuus. Restaurator Collegii indefessus. ingruentis propulsator barbariei assiduus, die X Septembris anno 1716 laborum et vitae metam adtigit. Epitaphium sibi ipse scripsit:

Pacis amans, pacem docui, coluique professus
Ipso opere et veri non semel indicio.
Intentus paci, proprium ius saepe remisi
Et potius duxi pacis honore nihil:
Nec potui tamen hic solida unquam pace fruisci,
Pace una defecto, Spes erat una super.
Optima nunc rerum peto, pax te, pacis oliva
Tegmen sub tutum me quia Christe vocas.

§ XII. *Instrumenta Literalia recensentur.* — Quod magno conatu multisque fatigiis per totum triennium consequi allaboraverant Collegii Professores, tandem anno 1717 mense Februario occasione Comitiorum Cibinii ingenti Collegii bono in Consistorio obtinuerunt. Literariorum scil. Instrumentorum per foedam Cryptae Collegii expilationem disjectorum recollectionem ac recensionem, inque Archivum collocationem. Fundi praeterea pecunialis collegii a fundo generalis ecclesiae discriminationem. Omnia enim incuria. fraus et negligentia miscuerant.

§ XIII. *Alumnia Leydensis.* — Vide nunc quid hominum ingratitudo possit et invidia? Resolutum erat ab Illust. ac Praepotentibus Foederati Belgii ordinibus ad intercessionem Francisci Papai filii, ex Patris instigatione serio urgentis, ut duo Alumni e collegio N. Enyedensi studiosi in Academia Lugduno-Batava continuo intertenerentur. Anno 1715 Joannes Remetei Claudiopolitanus tunc peregre existens extremeque indigus, cum alter mitti tunc non posset, cum Emerico P. Papai Professoris filio ad usuram novi Beneficii collocatur. Redux ille in Transylvaniam beneficii Benefactorumque immemor. Alumnia communiter concernere studiosos Transylvanos, non vero praecise Enyedenses, Mag-

natibus retulit ac persuasit. Unde Beneficiorum Academicorum tam Leydensium, quam etiam Francofurtensium, non Moderatores Collegii Enyedensis, sed in communi Supremum consistorium respiciat dispositio, atque ex Collegio utrolibet designentur ac mittantur studiosi perinde esse. Orta hinc est confusio ac Collegii Moderatorum collisio. Quae tamen sopita est, quum Beneficia illa prout ante fuerant a Moderatoribus Enyedensis Collegii acquisita, atque ad studiosos eiusdem Collegii restricta, ita novis Ordinum ac Regis Prussiae ordinationibus eidem arctius sunt adstricta.

§ XIV. *Comes A. T. valedicit Curatoratu.* — Administrabat res Collegii S. R. I. Comes Alexander Teleki pro suo arbitrio, qua Curator Collegii, cuius administratio cum vehementer displiceret Professoribus, damnosaque Collegio censeretur, Petrus Szilágyi Professor scriptis ad eum litteris naevos administrationis monstravit: molamque pappyro conficiendae destinatam, scholasticae iuventuti summe necessariam, sustulisse questus est; aliaque quae in administratione controvertebat, non sine oris intemperie objecit: unde indignabundus curatoratu valedixit. Cuius exemplum ceteri curatores Petrus Torotzkai, Joannes Nemes, Andreas Szilágyi, quum neque inter se convenire possent, sunt secuti. In eorum vero locum Josephus Comes Teleki de Szék vir magnae auctoritatis et in rebus oeconomicis sine pari, atque Josephus Intzedi de Varad summus litterarum Litteratorumque fautor litteratus et ipse, Professorum votis expetiti atque a supremo Consistorio designati.

§ XV. *Fames et Pestis.* — Bellum Carolus VI Imperator felici progressu ac eventu intulerat Turcis; ordinariae belli comitivae fames et pestis misere etiam Transylvaniam vexarunt. Primum anno 1718 fames totam fere provinciam occupavit, praecipue tamen terram Siculorum; tunc collegii Professores pro studiosa iuventute et sua familia conservanda medio supplicis Libelli stipem colligere necesse habuerunt. Annonae caritatem saeva lues excepit: qua anno 1719 in Transylvania grassante, iussu Superiorum Professor Stephanus Gyula Szigeti cum studiosis sponte eum sequi volentibus Tel-Enyedinum die V Julii abivit, victualibus alioquin Enyedini destituendi ob interdictum Gubernii peste infectorum communicationem cum non infectis severe prohibens. Ibidem divina miseratione ad unum omnes conservati, oppidanis interea saeva lue absumptis; unde anno 1720 tandem rediit.

§ XVI. *Georg. Gyula Szigeti succedit.* — Post fata eximii viri Francisci P. Papai duo tantum Professoralem occupabant cathedram ob exilem proventum, ut interea restantiae Salarissarum diminuerentur. Tandem anno 1721 iussu Illustris Ref. Consistorii cum maxime vero Stephani Vesselenyi L. B. de Hadad Consistorii Praesidis, tertius etiam designatus est, Georgius Gyula Szigeti germanus Stephani Professoris frater. Qui ex

Professoratu Udvarselyensi successit Enyedinum, solenniterque introductus ac inauguratus per Curatorem Josephum Intzedi de Várad. Cui Mathesis cum Philosophia obtigit docenda. Petro Szilágyi Lingua Graeca cum Orientalibus et Antiquitatibus Hebraicis. Stephano G. Szigeti cum Historia ecclesiastica Theologia. His adiungi coepit studium Linguae Germanicae, quod summe necessarium videbatur pro moderni temporis circumstantiis, ut ejus usu nobiles ad Principis ac Patriae servitia redderentur expeditiores.

§ XVII. *Collegii status florens.* — Florentem in statum deductae res Collegii videbantur, tam quoad studia quam vero quoad oeconomica. Professores Collegii viri insignes eruditione praeclari ac seduli. Ambo Curatores viri incluti ac utilissimi; alter auctoritate maxima praevalens, ac ex rei oeconomicae cura et peritia omnibus probatissimus. Alter optime in rei litterariae studia animatus ac litteratissimus et ipse. Res omnes secundo procedere flumine adparebant.

§ XVIII. *Novum de Lectoribus consilium.* — Novum hoc tempore Directoribus Collegii subrepsit consilium, annuente etiam supremo Reformatorum Consistorio. Scilicet ut tertii Professoris Petri Szilágyi A. 1723 fato functi salarium in posterum duobus junioribus intertenendis cederet. Qui Lectorum Professorum sub titulo varias studiosae Juventuti traderent disciplinas, ac cum se utiles publico futuros sua diligentia ante probassent, decedentibus Professoribus surrogarentur. Instructio Lectoribus praescripta sequentibus fuit conditionibus a Sup. Ref. Consistorio anno 1724 die XII Martii.

1. Quoniam ordinariis Professoribus Lector in hunc finem est adiunctus, ut scientias, quas ordinariis docere non vacaret, traderet: igitur necesse est, ut collatis consiliis dispicerent, quid et quando Lector doceat, horaeque ita sunt constituendae, ut duae quovis die Lectori eveniant, quas ipse diligenter observet ac docendae impleat.

2. Supremam dependentiam habebit a Supremo Reform. Consistorio, proximam ab Inspectoribus Curatoribus. Cum Professoribus vero ordinariis fraterne, amicabiliter, ac correspondenter vivat.

3. Directioni Juventutis se non immisceat, nisi ordinariis ita volentibus, vel absentibus.

4. Eo magis oeconomicas Collegii res non curet. Sed unice curae cordique sit, utilem studiosae Juventuti se exhibere.

5. Salarium habebit dimidium ordinarii Prof. salarii, quo contentus sit; elapso vero anno valedicat; si vero Supremo Consistorio visum fuerit retinere, et rebus Collegii proficuum, maneat.

6. Studiosi deinceps qui Beneficiis Academicis fruuntur redeuntes in Patriam obligati sint per biennium Lectoris munere fungi, si ita visum Illustri Consistorio fuerit; suaque diligentia specimina dare, quid humeri valeant, quid ferre recusent.

§ XIX *Emericus P. Papai Lector.* — Redux itaque ex Academica peregrinatione Emericus P. Papai Francisci filius, Lector Professor creatus an. 1723 et per curatores introductus, Linguae Graecae ac Logices Professionem suscepit. Sub eodem Lectoris titulo Collegam habiturus Stephanum Töke Vásárhelyi tunc in Academiis Germanicis ac Belgicis peregre existentem, in hunc finem etiam publico Collegii sumptu sublevatum. Sic equidem constitutio de Lectoribus et initium executionis fuit; at vero mox ad intercessionem Petri Nadudvari Pastoris Saxopolitani praeclarissimi affinis Emerici Papai, et interventu paternorum amicorum, integrum Emerico Papai salarium decernitur, et exhibetur; fuit aliquamdiu cum titulo Lectoris et integro salario. Stephanus quoque Töke Vasarhelyi in locum decedentis Georgii Szigeti, anno 1725 die VII Decembris, habita oratione in laudem Philosophiae erudita, non Lector sed Professor cum titulo et integro salario creatus est. Atque ita utilis de Lectoribus constitutio brevi evanuit.

§ XX. *Fundus sustentationis.* — Fundus sustentationis aeque docentium ac discentium fuit ex pia Fundatoris Principis dispositione, aeris mutuo elocati ac Decimarum proventus oppidi N. Enyed ac Pagorum quorundam. Cui accessit Patronarum Pietas; inventi enim non pauci, qui unum aut duos propriis sumptibus in studio litterario nutrirent.

§ XXI. *Monachi Decimas Enyedin Cath. praetendunt.* — Monachi Tövissienses anno 1726 praetendebant Decimas Romano-Catholicorum Enyedensium, qui duo tantum aut tres erant, ex mandato Episcopi Albensis. Cumque illi Decimas praestare nollent, Provisor Collegii currus eorum frumento oneratos cum bubus ad Horreum Collegii jussit deferri, atque in ius vocando Decimas detinuit; boves vero ob respectum Episcopi Albensis restituit. Cui dum Collegii Curator Josephus Intzedi remonstrasset, quid iuris Collegium ad Decimas Enyedensium habeat, amplius urgere destitit.

§ XXII. *Minoritae Enyedin. introd.* — Supremus Comitatus Albensis Comes Steph. Kornis variis persuasiunculis ac terriculamentis imperitos oppidi Enyed cives induxit, ut locum pro Minoritis in aliquo civitatis angulo designarent, quod etiam obtinuit. Tres ad summum erant ex oppidi civibus, qui ob varia scelera notati, desciverant ab avita religione ad romanam: pro his ut oviculis (verba sunt litterarum C. Stephani Kornis) pastor ibidem interteneretur, urgebant caulae locum; nacturi hoc pacto oppidani eximios fautores ac Patronos, qui nunc ab omnibus opprimerentur ut tandem minus aggravarentur civilibus oneribus.

§ XXIII. *Vacantia Profess. officii per 7 annos.* — Post decessum Emeric P. Papai, qui exiguo fructu Professoris locum occupaverat, quem paterni nominis splendor ac dulcis apud plerosque memoria magis quam propria eruditio in cathedram collocaverat; per septem fere annos, nescio

quo fato, malo certe exemplo, et maximo studiosae Juventutis damno Sparta Professoris tertii vacaverat. In tanta eruditissimorum virorum abundantia ac tantae bonae indolis studiisque dicatae adolescentiae frequentia, quid Collegii moderatores induxerit? nisi favor erga quosdam partialis ac Publico nocentissimus. Tentabat unus et alter clientem aut sibi necessarium promovere: Juventus Scholastica reclamabat. Non est hic silentii sipario involvendum: fuisse nonnullos e Proceribus, qui eam Spartam mordicitus deferendam volebant Josepho Felfalusi Medicinae Doctori ac Practico satis infelici; praeterea homini indigesto, vanitati dedito, dicaci, ac rumusculorum collectori, bonorum irrisori; qui ultimis vitae suae annis eo inconstantiae processit, ut Religionem suam apud Valachos Balasfalvenses permutaret. Studiosi sordidos ob mores virum aversati ut acceptent induci non potuerunt. Delectus tandem est Sigismundus N. Borosnyai studiorum causa tunc in Academiis Germanicis absens. Cuius Spartam per plures annos duo Collegii Professores dispertiti, salariumque tertii Professoris accipientes, insigni rei litterariae detrimento sustinuerunt. In tanta enim discendorum copia ac discipulorum frequentia non minuendus, verum augendus erat docentium numerus. Evenit namque exinde, quod Linguae Graecae, Hebraicae, Antiquitatum, Historiarum et plurium Theologiae ac Philosophiae partium vix promulsidem studiosi haberent, nisi a condiscipulis aliquam earum ac mutis Doctoribus notitiam acquirerent.

§ XXIV. *Steph. G. Szigeti decedit de Prof.* — Stephanus Gyula Szigeti diu Rector et Professor Enyediensis, creatus est generalis Synodi Notarius et mox anno 1737 Superattendens. Jam tunc Gabriel Alvintzi Gubernialis Secretarius vir doctus ac vehemens cum Samuele Kemeny Lib. Barone de Gyero Monostor Supremo Comitatus Dobozensis Comite iussu Illustris Consistorii Supremi factus erat Inspector Collegii curator. Cui male cum Professore Szigeti conveniebat: quae enim innovanda ac in melius mutanda Alvintzius censebat, Superattendens obstabat: cumque secus progredi Curator non posset, censuit a clavo gubernaculi deturbandum, invenitque rationem satis plausibilem. Scilicet, Superattendens est supremus omnium Scholarum ac Collegiorum ex officio curator, Professor vero Collegii debet subesse Curatorum dispositioni: duo ergo illa officia sunt incompatibilia: atque ita dum munus Professorium retinere non posset, habita oratione de infelicitate Regiminis die VI. Januarii an. 1738 Professoris munere decessit.

§ XXV. Tandem Sigismundus N. Borosnyai SS. T. Doctor inauguratus est die IX Januarii, habita oratione de felici scientiarum Connubio. Demandata est illi Professio Theologica, Historiae Universalis, Juris item Naturae et Gentium. Eodem die et anno Professioni Philologiae admotus Cl. D. Michael Abod Ajtai, dicta oratione de Sacrae Philologiae necessitate.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

De Illustri Schola S. Patakina variisque eius fatis.

§ I. Necessarius rerum ordo in superioribus requirebat tractatum de origine Illustris huius Scholae S. Patakinae; quae inde a prima in Hungaria Sacrorum reformatione, celebris humaniorum scientiarum et bonarum mentium officina semper exstitit. Distulimus tamen haetenus documentorum uberiorem ad tantum negotium conficiendum copiam praestolari; quae ne nunc quidem ex voto suppetit. Illustres Musarum sedes hanc Debrecinensem ac Kolosvariensem etsi obscura caligine quoad originem involutas cernamus, satius attamen ea, quae comperta habemus, communicare aliis existimamus, quam prorsus e collectionibus nostris praetermittere.

§ II. *Fundator Gymnasii Patakiensis.* — Fundator itaque Gymnasii S. Patakiensis fuit Petrus de Peren, vir opibus, clientelis, ac eminentibus dignitatibus illustris; fuit enim Waivoda Transylvaniae, Custos Coronae, Cancellarius Regni Hungariae; multorumque Dominiorum, Arcium et Castellorum, uti etiam Arcis et Patakiensis Dominii Possessor ac Dominus. Quo praecise fundamenta posuerit anno, nisi literatus aliquis ex angulo emergat ac eloquatur lapis, determinari non potest. Accidisse tamen ante annum 1542 palam est, siquidem currente eo anno in captivitatem Neostadiensem abductus est; cui ultima linea rerum mors anno 1548 finem imposuit. Sacra vero pontificia cum renatae veritatis Evangelicae professione, vivente adhuc et regnante Ludovico Rege, commutaverat. Ad annum 1530 probabiliter erectio Templi ac Scholae S. Patakiensis, cum maxime res Perenianae ex voto fluerent, referri potest. Nemo est ex antiquis scriptoribus, qui Templi S. Patakiensis ex fundamento erectionem, atque Scholae constitutionem non ad Perenium deferat. Qui non satis habuit fundasse sed etiam unde alumni viverent ordinavit. Filius eius Gabriel de Peren non solum in Dominio arcis et oppidi Patri successor exstitit, sed et ampliator et dotator Scholae re et affectu, qui annuos ex arce reditus administrandos Rectoribus et Praeceptoribus disposuit ab Imperatore ac Hungariae Rege Maximiliano Secundo regio diplomate confirmatos. Eximii ambo ac pietate clari Heroes Petrus Pater et Gabriel Filius Arcem Patakinam muro vallaverant, ac Templum ubi utriusque ossa tandem recondita sunt tempore renati Evangelii fundaverant. Testatur Inscriptio Monumenti marmorei a Basilio Fabricio Szikszai anno 1567 Gabrieli Pereni facta; ubi ita literatus loquitur lapis:

Pannoniae Proceres inter clarissimus Heros
Unica spes stirpis, lux gloria sola Perenae.
Religionis honos, Patriae Pater (heu breve Regni
Solamen) populi dubiis in rebus asylum:
Pacis amans almae, bellis civilibus hostis.
Imperioque bonis clemens, ut sontibus asper,
Securam solitus requiem praestare colonis,
Musarum portus, tuus o ecclesia vindex:
Quo duce Pannonicis Spes fulsit laetior arvis,
Quo moriente labant et squallent cuncta videmus.
Hic iacet ad luctum Regni, Patriaeque perennem
Illustris Gabriel Procerum decus ille Perénus
In Templo sibi quod pridem fundaverat ipse.
Qui licet hic summis perfunctus honoribus amplum
Jam nomen meruit, cui funera nulla nocebunt,
Stemmatis ecce tamen fatalia stamina prisci
Quod per sexcentos nunquam defecerat annos
Finiit, et patriis obdormiit ipse ruinis.
Hunc Petrus in tumulum sua clauserat ante Perénus
Ossa Parens; hanc qui vallavit moenibus urbem,
Clara de hinc Mater Zekeline sanguinis atque
Barbara dicta soror, rapuit quam parca priorem.
Ultimus his Gabriel iungit se nominis haeres
Quae nunc tota Domus cantat super aethera Christo.

Maximus uterque renascentis in Hungaria purioris Religionis Patronus, ac literarum literatorumque fautor, sed brevis aevi, nam Petrus XLVII aetatis numerabat annum cum pia clauderet membra sepulchro. Gabriel ne aetatem quidem Parentis, etsi magnos honores adtigerat. Inscriptio enim vexilli ad tumulum erecti ita fuit:

Genere, Magistratibusque spectabili, opibus Magnifico, Domino Gabrieli Perenio, Comiti Abarnjariensis comitatus perpetuo, Eodem anno, summo Militiae superiorum Partium Ungariae Praefecto, et Thavernicorum Magistro, Consiliario sacrae Caesareae Majestatis, et postremo Judici Curiae Regiae, quem Posonii in conventu omnium Baronum lethalis dysenteria confecit 28 Junii 1567 vixit annos. XXXV. Menses XI. Uxor Helena Orfrág moesta F. I.

§ III. Gabriel Prinyi, seu de Peren anno 1567 vitam Posonii clausit, scholaque munifico adeo Patrono ac benefactore orbata est. In quo etiam defecit linea Petri Perenii Dominiumque oppidi S. Patak et Arcis transcriptum est Stephano Dobo Waivodae Transylvano et celebri Arcis Agriensis propugnatori ac conservatori, qui omnes boni Patroni ac

liberalis benefactoris erga scholam partes implevit ad annum usque 1571, quem ultimum habuit. Cui successit pio in nutricatu Illustris Heroina Sara Sylyok Steph. Dobonis vidua ac Franciscus Dobo eiusdem filius optimae indolis adolescens, quorum pia liberalitate caput extulit et inter omnes Hungariae Scholas florentissima valde eminuit. Accessit munificentia Illustrium Familiarum Batori, Homonnai, Rákotzi. Stephanus enim Batori Judex Curiae, Stephanus Druget Homonnai, Sigismundus Rakotzi Generales Superioris Hungariae Capitanei, victoriisque contra Turcas Duces clarissimi, Caspar et Franciscus Magotsii non solum in schola alumnos intertenebant; verum etiam ad exteras Academias promotum ibant. Denique Familiae Lorandfi, quae in dominio oppidi et Arcis S. Patak successerat, unde per coniugium cum Susanna Lorandfi ad Georgium Rákotzi filium Sigismundi post fata Stephani Botskai Transylvaniae Principis, possessio devoluta est.

§ IV. Comes Georgius Rákotzi singularem Scholae curam habuit. Anno 1621 adjuncto sibi Matthaeo Tihemeri venerabilis Tractus Zempleniensis seniore et praecipuis eiusdem Dioeceseos Ministris, leges a majoribus conscriptas recensere iussit, auxit ac confirmavit, sicque scholam in meliorem redegit ordinem. Aedificia nova erecta, vincta a piis Benefactoribus, ex quorum proventibus studiosi alerentur collata, alumni multiplicati, certatim confluentibus ad alumnorum sustentationem ac promotionem Magnatibus, Nobilibus, Dioecesium Senioribus ac praecipuarum ecclesiarum Ministris, qui alumnos non solum in schola intertenebant, sed etiam ad exteras Academias viaticis instructos promotum ibant. Principalem adeptus dignitatem Georgius Rákotzi, necessariis proventibus ac viris doctissimis ornatam auctamque aemulam Gymnasio Albensi a Principe Bethlenio fundato effecit. Insigni officina Typographica, unde plures prodierunt libri in omni scientiarum genere, donavit, supellectili Libraria auxit, cui ex multorum liberalitate, et testamentariis dispositionibus, multis tandem accedentibus libris Bibliothecam possedit schola Patakina omnium Hungariae scholarum praecipuam. Hisque modis instructa caput extulit inter omnes Hungariae scholas, miroque modo ac suavissime floruit ad annum 1644 Rectores ad scholarum gubernationem, Pastores ad ecclesiarum curam quotannis magno numero exmittendo. Ex omnibus Hungariae partibus iuventus huc confluxit, praecipue generosorum ac nobilium liberi, quorum saltem anno 1643 trecenti numerabantur, et Musis superioribus sacrati iuvenes ecclesiae et Patriae servitio omnes devoti; ad quorum gubernationem et institutionem Viri Docti, liberalibus Principum aliorumque Patronorum et ecclesiarum sumtibus ad exterorum Academias sunt promoti, et ibidem insignibus salariis sustentati: qui regendo et docendo non tantum, sed et libros manuales iuventuti utiles conscribendo, bonum publicum sublevarunt.

§ V. Non minimum celebritati scholae pondus ex loci amoenitate accessit. Habitacula Nobilium in Domibus Rakotzianis, conversatio cum aulicis multum ad culturam Nobilium filiorum faciebat. Georgius quippe Rakotzi primus post fata Gabrielis Bethlenii Principatus Transylvanici dignitatem consecutus anno 1630, post cuius mortem anno 1648 factam vidua eius Susanna Lorandfi matrona pientissima hic loci habitavit ad mortem usque suam, quae contigit anno 1660. Patronaque scholae fuit nunquam satis laudanda. Filiorum alter Georgius Rakotzi II Patre ad superos evocato Principatum successor obtinuit, Nutritiumque Patri non dissimilem scholae praestitit. Praeprimis alter filius Sigismundus Rákotzi, pietatis et literarum studiosissimus tenerimo complectebatur scholam favore. Libros etiam, quos magna copia possedit, tum in vita, tum post mortem quae anno 1651 contigit, scholae usui concessit: inter quos erant Biblia Polyglotta Regia Parisiensia, et Atlas Mercatoris, quos Amstelodamo magnis sumptibus advehi iusserat. Crescebat in dies nomen et celebritas scholae ita ut tam Nobili quam ecclesiastico magnum fuit gloriae in schola Patakina didicisse. Plurimique hinc studiosi quotannis diviti viatico instructi ad exterorum Academias visitandas exibant, quorum preconio haec schola etiam apud peregrinos celebre sibi nomen acquisivit.

§ VI. Verum ut non sunt rosae sine spinis, ita laetam hanc faciem cum tristi permutare Deo ita iubente debuit.

Anno enim 1660 obiit piissima Heroina Susanna Lorandfia et eius filius Princeps Georgius Rakotzi secundus, qui anno 1643 duxerat sibi uxorem Sophiam Bathori ex vetusta Bathoreorum oriundam, antea Pontificiae Religionis, sed spe nuptiarum cum Principe factam Reformatam; quae simulatam ad id tempus Religionem mortuo marito eiusque matre deseruit; annoque 1661 ad Papismum rediit, una cum Filio suo Francisco Rákotzi I tunc nato annos XVI, iam electo Transylvaniae Principe, sed ob res a Patre in Polonia an. 1657, in Hungaria et Transylvania an. 1658, 1659 et 1660 infeliciter gestas, hac dignitate cum omni sua posteritate excluso et spoliato. Haec igitur cum summo Religionis Reformatae in Hungaria detrimento ab ea deflexit, cumque tota sua domo sacris Papisticis a Thoma Palfi Agriensium Episcopo reinitiata; mox Jesuitis in Arce Patakiensi locum dat, facta 18000 florenorum fundatione; unde duo eorum alerentur, et tum Parochi ordinarii vicem subirent, tum scholam aliquam docerent. Quibus in Arcem introductis innumerae illico subortae sunt lites cum Professoribus Collegii et Pastoribus ecclesiae, disputationes, rixae, contentiones sine fine. Jesuitae in Foro erectis theatris contentiones habebant publicas atque populus ab avita Religione seducebatur; acerrime rem Reformatam defendente Johanne Posaházi Philosophiae et Philologiae in Illustri schola Professore, cui ex parte Jesuitarum se opposuit Matthias Sámbár Superior Residentiae Patakiensis.

§ VII. Principissa vidua mox omnes reditus Professoribus, Praeceptoribus studiosisque ex arce a centum et amplius annis dari solitos intercipit. Imo in omnibus oppidis et pagis ditionum suarum, quas in Comitatu Zempleniensi et aliis plurimas habuit. Sacellum ritus catholici in arce erigi jubet, multis comminationibus Reformatos, praeprimis Scholam illustrem terret. Reformati inter quos vir summus Stephanus Botskai L. B. et Comitatus Zempleniensis Supremus Comes, aliique viri praeclari, de tanta iniuria apud Imperatorem anno 1662 in Comitiis Posonii sunt conquesti, absque tamen omni fructu et consolatione dispersis post acerrimas de Religione contentiones Regnicolis. Res Patakinae eo peius postea habebant; studiosi Togati Templi aditu prohibiti, Domus Professoris primarii Scholae vicina vi occupatur, Pastores quoque ecclesiae arce egredi iubentur; et alia incommoda multa patrantur.

§ VIII. Post infinitas tandem Reformatorum preces anno 1669 Franciscus Rákotzi I in magna quadam solennitate Patakini habita cum Reformatis interventu etiam Soceri sui reconciliatur, ac pro interceptis Scholae reditibus mille nummos aureos sponte numerat, cum molendino quodam, restituta etiam Domo Professorali. Non diu tamen compositio haec duravit; si quidem anno sequenti 1670 tota Hungaria civilibus motibus concussa; quorum pars non una fuit Franciscus Rákotzi cum Socero suo Petro a Zrin Croatiae Bano, cuius filiam Helenam an. 1665 iam duxerat. Capita factionis Zrinius ipse, Nadasdius, Frangepanius Comites omnes, omnesque Romano-Catholici; aliique crimen perduellionis capite luunt. Rakotzius, qui cum Comitatu Zempleniensi arcem Tokaj, capto antea eius Praefecto, obsederat, et alia signa hostilitatis ediderat, ingenti lytro viam redemit. Et ut in gratiam praeprimis cum Jesuitis et Clero redeat cum matre sua post varia tentamina et minas Scholam turbat. Anno 1672 die 28 Septembris Professoribus et studiosis ut et ecclesiae Pastoribus in exilium pulsis, nec se defendere in tanta Patriae conturbatione, qua ante paucos dies male contenti, ut vocabantur, Nobiles, plurimi in exilium fugati, alii in captivitate detenti, valentibus, nec quo recursum facerent, existente. Turbato ita Collegio mox omnes eius reditus ex vinetis praecipue constantes Jesuitis dantur. Templum arcense, Hospitale, Domus Professorales et Pastorales, eorumque qualescunque reditus ad eosdem devolvuntur, omne Religionis exercitium absolute prohibetur; Schola tota cum omnibus suis aedificiis abiectae sortis hominibus inhabitanda, pro certa pecuniae summa annuatim Jesuitis numeranda, conceditur.

§ IX. Scholares cum aliqua Bibliothecae ac Typorum literariorum parte, relictis omnibus aliis rebus praedae hostium Scholam vacuam relinquunt. Professores cum maiori studiosorum parte Debretzinum se conferunt, quo ea tempestate velut in asylum sub clientelam Transyl-

vaniae Principis Michaelis Apafi, miseriis acti se recipiebant. Hic scholares extorres anno sequenti 1673 cum Professoribus Michaele Buzinkai, Johanne Posaházi in Transylvaniam gratiose invitavit. Albae Juliae in locum Collegii iam Enyedinum transpositi collocavit, classes in eum, qui Patakini fuit, ordinem disposuit, beneficiis tam Princeps ipse quam vero pii Magnates ornare ac consolari non intermiserunt.

§ X. Tandem Comes Emericus Tököli Supremus Hungarorum male contentorum Dux, Turcicis subsidiis subnixus Gallicoque auro instructus, in Hungaria Superiore rerum potitur; mox viduam Francisci Rakotzi anno 1676 mortui in uxorem ducit, anno 1682, quo iure belli et uxoritio oppidi et arcis Dominus evasit. Itaque eius auspiciis ecclesiae exercitio Religionis hactenus destitutae in integrum restituuntur; ita etiam ecclesia ac Schola Patakina, rusticis e Sede Musarum ad rastra relegatis, antiquis possessoribus resignatur. Quod ubi in Transylvania innotuit, ex communi Procerum ac Ecclesiasticorum decreto an. 1682 die 9 Decembris concluso, duo e studiosis Albae Juliae residentibus cum certis mandatis instructi ad occupandam Scholam ablegantur, pluribus subsequenti anno 1683 absque tamen Professore ullo eos comitantibus. Schola ruinosa, ac aedificiis non paucis destructis mire defoedata ab illis occupatur, una cum reditibus multum tamen attenuatis. Quibus studiosi absque tamen Magistro viventes se alebant; teneriorique iuventuti docendae operam dabant, inter spem et metum positi, si quidem victis ad Viennam 10 Sept. an. 1683 Turcis, res Tökölyianae multum declinabant; ita ut et ipsi anno 1685 ad Turcas tandem confugiendum fuit in exilium aeternum in quo et mortuus est an. 1705. Nihilominus compositis Hungariae rebus et male contentis ad finem anni 1685 placatis, initio anni sequentis 1686 Rector in Scholam Patakinam postliminio restitutam constituitur Johannes Tsétsi, singulari zelo et magnanimitate a Deo ornatus ad illam per XXIII annos in multis malis tutandam. Reliqui autem studiosi cum Professoribus Albae Juliae in Transylvania permanserunt; tali quidem harmonia, ut duae scholae ipsae pro una et eadem Patakina, in duobus locis residente, haberentur.

§ XI. Parti illi Transylvanicae feliciori vento datum est navigare; sed haec vix respirans post restitutionem iterum an. 1687 die 24 Aprilis loco suo pellitur, iam antea an. 1686 Templo occupato, sic scholis et Templis omnibus tanquam violenter sub Tökölyio rehabitis iterum occupatis et in Pontificiorum possessionem datis. Nihil efficiebant querelae privatae et publicae in Comitiis Posoniensibus an. 1687 et 1688 effusae, neque preces ullorum: promoto ad Archiepiscopatum Strigoniensem Leopoldo Kolonitsio, cardinalatus etiam dignitate ornando, qui omnibus velis remisque Religionis oppressionem adlaborabat in toto Regno, praeprimis vero in Ditionibus Rakotzianis, quarum iure Tutorio Procurator his temporibus

erat, Heredibus Francisci Rákotzi I. Juliana Filia et Francisco filio adhuc minorennibus. Schola ergo iterum loco mota, studiosorum pars in Transylvaniam dispersa. Rector cum reliqua parte in oppidum Göntz, ubi antea schola trivialis non contemnenda semper florebat, transmigrat, ut in tantis turbis sub nomine scholae oppidi eius illustris haecce Schola conservaretur. Ibi ergo locatur iuventus haec scholastica, extemplo in ingentem numerum augenda, et cum omnibus reditibus spoliata careret, bonorum elemosynis dietim alenda. Tunc innotuit dicterium, quum egeni adolescentes ad vicinum Pagum Ruszka panis expetendi gratia saepius excurrerent:

Göntz retinet Ruszkás kenyeretlen saepe tarisnyás.

§ XII. Non diu hic quoque loci subsistere potuit; si quidem hereditarius oppidi Dominos Comes Stephanus Tsáki Judex curiae magna Familiae suae necessitate tactus de oppignorando oppido Göntz cogitavit. Re hac intellecta oppidani persuasi satius fore sibi, si immunitate suae civitatis ipsi fruerentur ad tempus, contractum igitur cum Domino suo terrestri ineunt in triginta quatuor florenorum Hungaricalium millibus. Quam summam cum mutuo hinc inde levare conantur, majoremque partem ex pia Magnatum Transylvanorum liberalitate iam acquisitam exsolvere adnituntur, Jesuitae Cassovienses contractum Comitis Tsáki cum oppidanis adnihilant, ipsi vero numerata pecunia anno 1695 die 31 Januarii Dominium oppidi iure hypothecario ingrediuntur. Qui positi iure Domini terrestris Scholam multa iuventute nobilem paulo post adgrediuntur die 8 Martii; multisque modis eam vexatam et molestatam die 25 Martii loco iterum turbant, sicut etiam omne Religionis exercitium oppidanis interdicunt.

§ XIII. Dispersa iterum ergo Schola varii nobiles in praediis suis ei locum dare cogitarunt, ut iure Dominii defendi posset, nec ita ut huc usque loco moveri; praevaluit tamen eorum sententia, qui eam in Urbe Cassoviensi locatam esse voluerunt. Ubi erat Templum et Schola Reformatorum consensu Imperatoris Ferdinandi III non ita pridem aedificata, et articulariter apud Reformatorum manus confirmata. Rectorem igitur Johannem Tsétsi Scholae Cassoviensi Reformatae die 20 Maji an. 1695 solenniter praeficiunt, ut ibidem sub nomine Scholae Cassoviensis conservaretur. Sequuntur eundem studiosi, classesque puerorum sub iisdem Praeceptoribus publicis in integrum restituuntur. Studia eodem, quo alibi vigore procedunt. Patronis iisdem eadem beneficia pollicitis in sustentationem studiosorum, et in dies pro angustia temporum praestantibus. Neque hic solidam quietem habuit, si quidem Jesuitae, qui ibidem frequentem Academiam habent, Imperatorem per coniugem suam adgrediuntur; ac multis precibus invito etiam Imperatore id efficiunt ut Templum et Schola Reformatis an. 1696 d. 27 Martii.... et Virgines Moniales

in locum studiosorum auspiciis Imperatricis ibidem collocentur. Reformatis autem pro Templo Scholaque ingenti sumptu aedificatis, agri aliquot pro exstruendis ibidem Templo Scholaque iussu Regio per Commissarios in suburbio occidentali adsignantur: quo migrandum iuventuti fuit, relictis splendidis in Urbe aedificiis adversariorum voluntati. Verum nulla erant in agris vacuis ad discendum et habitandum loca, usque quo Rectoris Scholae multis precibus elemosynae a bonis piisque Benefactoribus colligerentur: quibus aedificia lignea provida eiusdem cura Scholae illustri capiendae sufficientia, eodem statim anno erecta sunt, et postea multiplicata: ita ut licet in exilio fuerit, quietum tamen ibi satis nidum acquisiverit Juventus scholastica, loco ubi campi et colles Musis sacri aderant; nulli strepitus auditi, amoena et iucunda omnia, accedentibus largis elemosynis, quibus Juventutem toties iam persecutionem passam iugiter boni omnes sublevare lucri loco ducebant. Florebat supra quam dici potest ibidem Schola, ingenti Juventutis multitudine; in qua plurimi ex tota Hungaria nobiles erant, quotidianis fere exercitiis cum Academia Jesuitica, committenda. Eratque mansionis ipsius securitas, tum quod iussu proprio Imperatoris ibi locata Schola esset, et quasi pro occupata Urbana permutata; tum quod Potentatores exteri praeprimis Guilielmus III. M. Britanniae Rex pro eius conservatione utilissime apud Imperatorem intercederet.

§ XIV. Totius Hungariae supervenere motus civiles anno 1703 sub Principe Francisco Rakotzi II. quibus cum Urbs Cassovia ut Superioris Hungariae metropolis impeteretur, ad suburbium urbis tantae, tempore belli schola manere haud potuit. Ergo Juventus ingentis numeri tota studiis sacra a d. 20 Julii solvi incipit. Nihilominus cum studiosis quibusdam Rector ad finem anni eius exustis iam omnibus suburbiis inter medias hostium velitationes et volitantes supra Scholam globos tormentarios ad stuporem omnium ibidem permansit. Licet Generalis militiae per Hungariam superiorem commendans Comes Octavius Nigrelli licentiam abeundi studiosis dederit. Rector tamen cum quibusdam studiosis et aliquot nobilibus die 31 Decembris an. 1703 Urbem intravit. Praefectus Urbis Baro Jacobus Dusart, rem hanc ut summae fidelitatis argumentum habuit, et 6 Januarii reliquos studiosos abire quo possent an. 1704 ac scholam quae amplius defendi non posset deleri iussit. Rector in tanta Urbis obsidione positus, quotidianis fere excursionibus. et apud officiales Caesareos repetitis instantiis, quo ad aedificia praecipua conservat, reliqua aedificia ut et materiae magnam vim pro novis aedificiis praeparatam officiales in Urbem pro ea munienda pacto inito invehunt.

§ XV. Rector in magna annonae caritate, ingentibus sumptibus et molestiis ad finem usque obsidionis cum familia sua in Urbe permansit. Facta Urbis deditione die 20 Octobris 1704 Juventutem dispersam omni

consilio ibidem locare vult; sed quoniam aedificia ad inhabitandum imminente iam hyeme plane incommoda essent, nec facile reaedificari possent; Schola quoque Patakina deserta iam anno 1703 mense Septembri oppidanis resignata esset; ut ibi sacri cultus exercitium, quo praeteritis annis carebant, ad Pagum vicinum excurrere coacti, haberent; atque iam ab uno et amplius anno actuali eorundem possessioni subesset, studiosi inscio Rectore die 13 Decembris an. 1704 Scholam ruinosam et foede adtritam ex multis habitationibus studiosorum paucissimas, easque laceras et squallidas habentem intrarunt. Rectore ob metum dubii eventus ad multas quoque studiosorum et aliorum preces et indignationes Cassoviam non deserente. Fractus tandem multorum solicitationibus an. 1705 Patakinum venit relicta Cassoviae sua familia, quam an. 1706 4 Martii adduxit. Restitutae sunt sero tamen redituum Scholae reliquiae, quae ex desertis et fere incultis aliquot vinetis a Jesuitis plures per annos pessime curatis constabant, Templo vero Parochiis ac plurimis libris an. 1687 occupatis absolute non restitutis. Schola autem Suburbana fideli Rectoris cura, pro ulteriori usu per binos studiosos semper custodiri iussa, usquequo an. 1706 mense Octobri Generali Rabutin Cassoviam cum militia Caesarea obsidente, ab eadem militia penitus destrueretur.

§ XVI. Patakini vero studiosi in dies multiplicati, ingenuaque eo ad discendum Nobilitas confluxit. Nullis tamen novis structuris Schola exornata est, sed inter spem metumque omni hoc tempore belli aegre se habuit. Typis literariis et maxima Bibliothecae parte, quae a prima persecutione an. 1672 Debretzini deposita erant adventu militiae Caesareae Duce Generale Raboutin tota civitate dispersa spoliatur, direptis omnibus a milite Caesareo, cuius metu etiam Schola Patakina die 16 Octobr. anno eodem omnibus ad montem diffugientibus studiosis atque Rectore, per continuos decem dies Schola vacua relinquitur.

§ XVII. Accessit maximum Scholae malum, quod optimo suo Patre et Rectore, qui eam per annos XXIII tutatus erat Johanne Tsétsi die 14 Maji an. 1708 mortuo spoliatur; in cuius locum non nisi post octo menses alter substituitur. Quo etiam peste anni 1710 cum multis studiosis cito sublato, cum motus civiles ad initium anni 1711 componerentur, et res Rakotzianae declinarent, superveniente mense Novembri an. 1710 militia Caesarea et Rakotzianos ad Patakinum profligatos inde abigente, alter iterum Rector adductus est. Sed tristia omnia: facta enim transactione ad Szathmarinum cum Hungaris per Jesuitas repetitur. Si quidem vi pacis illius constitutum ut omnia ad pristinum tam politica, quam ecclesiastica, statum, quo erant ante motus, id est, ante ante annum 1703 redire deberent. Cum tamen ante adventum militiae Caesareae ab officialibus eius Protectionales, ut vocant, Literae pro Schola Patakina adductae

essent. et ipse Josephus II Imperator ante mortem suam mense Aprili an. 1711. missis suis Litteris Gratiosis ad Excellentissimum Comitem Johannem Palfi suum eo tempore per Hungariam Locumtenentem, accepta informatione de Rectoris Scholae, p. m. fidelitate in obsidione Cassoviensi ad ultimum posse defensione studiosorum per Generalem Nigrelli. et Commendantem Dusart, eo quo possent dimissione; Praeprimis autem Scholae eiusdem tam per militiam Cassoviensem a Generale Raboutin facta eversione et ruinosae Scholae Patakiensis per cambium quasi facta permutatione, eius conservationem et protectionem clementissime iubet. Nihilominus tamen post mortem Imperatoris Commissarii Caesarei Scholam repetunt Mense Majo instigati a Jesuitis. Sic iterum initio anni 1712 datis ad Comitatus omnes Litteris per Eleenoram Leopoldi Imperatoris viduam Josephi vero et Caroli Imperatorum Genitricem omnia negotia ecclesiastica in priscum redire statum iubentur. Penes istas Litteras ad finem anni 1711 et initium an. 1712 Templa omnia an. 1706 Reformatis restituta vicissim auferuntur, ac occupantur. Schola tamen Patakina adsistente in tantis angustiis summo scholarum Patrono Deo. conservata est. Si quidem Illustres Foederati Belgii Ordines illius aevi Hispanico in bello Caesareae Majestati coniunctissimi Socii, per suum Oratorem Viennensem efficacissime pro ea Schola intercesserant. obtinentes an. 1712 et mox iterum an. 1714 Mandatum ab Impereratore Carolo VI ut res ecclesiasticae non turbarentur.

§ XVIII. Perdurat adhuc illustris haec Schola in oppido Sáros Patak sua antiqua in sede diversis adversariorum insultibus exposita. Praecipue ex ejus olim alumnis. fidei Reformatae desertoribus. inventi sunt quidam, qui ut tanto fideliores reputarentur et officia, quibus inhiabant facilius consequerentur non parvas subinde crearunt molestias. Illa notabilis fuit, cum vice Judex. (nomini parcitur) praetendens Commissionem Regiam se ad occupandam Scholam habere, insolito more in Porta Scholae subsistens cum aliquot militibus temulentis. vino madidus et ipse, tumultum excitaret, porta Scholae clausa intusque custodita, ipse foris vociferaretur. Quod animadvertens inter alios Puella quaedam subrustica, membris a natura bene compactis iam fere quinquagenaria, ingentem dextra versans fustem. tacita a tergo accessit, tantoque nisu capiti v. Judicis ex vini vaporibus caligantis adlisit, ut vertigine circumactus cum pudore inde abstraheretur; ne a rustica Amazone plures subsequerentur ictus. Risu a sociis militibus exceptus, hac accepta ad praetensam Commissionem a puella rustica resolutione. clam sed propere ex oppido se subduxit.

§ XIX. Plus molestiae fuit, nocumentique adtulit Collegio motus internus, qui Scholam multos per annos exagitavit, ac fere subvertit. neque ad interventum piorum Ecclesiasticorum ac Politicorum componi potuit. Male inter duos Collegii Professores Johannem Tsétsi atque Johannem Nagy Mihályi conveniebat, cum neuter ab alio dependere

vellet, neque in aliqua re cedere, Regimen tamen ab uno esse deberet; diversos et sui propositi tenaces animos secuta est discordia; hancque excepit Scholasticae iuventutis in partes scissio. Ita ut essent Tsetsistae, alii Nagy Mihalyistae; qui acri odio se invicem insectabantur, et non raro tumultuabantur. Res ad Regem delata. Sequenti Edicto componere tentavit.

Carolus VI. Dei Gratia Electus Rom. Imperator semper Augustus &c.

Magnifici Egregii Fideles nobis dilecti! Ex demissa repraesentatione Helveticae Confessioni addictorum in praefato Regno Hungariae commorantium informamur, qualiter Schola eorumdem in oppido S. Patak habita, praemiorum et poenarum distributore carens, in turbas, rixas et factiones praecipitata esset; ac non modo scholares mutuis simultatibus exagitarentur, disciplinamque contemnerent; verum etiam ipsi scholarum Rectores inter se colliderentur. Cuiusmodi disordini et discordiis, introductisque quibusvis abusibus, tam pro praeterito, quam etiam pro futuro modum et finem ponere cupientes, vobis quibus hocce benignum Mandatum Nostrum intitulatum haberetur, clementer hisce committendum esse ducimus, ut pro certo termino in facie loci, seu ipsa Schola Saros Patakiensi convenientes super quibusvis ibidem hactenus interventis abusibus et excessibus serio inquiratis, eoque facto qualiternam excessivos corrigendos, refractarios puniendos, taliterque debitam disciplinam instaurandam, ac ipsos quoque Scholae Rectores in ordinem redigendos, vel etiam immutandos existimaveritis. Votum et opinionem Vestram Maiestati Nostrae pro ulteriori eatenus subsecutura benigna Resolutione Nostra indilate submittatis. Gratia in reliquo Nostrae Caesareo-Regia vobis benigne propensi manemus. Datum in Castro Nostro Brandeis die 15 Mensis Septembris An. 1723.

Carolus

Ladislaus Adamus, Comes Erdödi Episcopus Nitriensis
Josephus Koller.

§ XX. Compositae equidem tunc sunt turbae et aliquamdiu quies fuit: verum ubi recrudescerent iussu Regis Rectores sunt dimissi. Johannes Nagy Mihalyi discessit ad V. D. Ministerium in Ecclesiam Tsátiensem, cui surrogatus est vir Doctus David Sárkany. At vero cum Johanne Tsetsi diu adhuc luctandum fuit. Vir fuit hic doctus, ac in omni scientiarum genere versatus, ac intrepidus libenterque Scholae Curatores illi pro erudienda iuventute favebant. Verum ille nulli parcebat, levibus saepe ex causis etiam Curatores exagitabat, et in schola scissionis oriri patiebatur. Unde cum aliud agere non possent officio eum exuerunt, inque eius locum eximium virum Michaelem Szathmári e Collegio M Vasarhelyensi in Transylvania evocatum unanimi voto collocarunt.

Qui ab anno 1734 Scholam in meliorem statum reduxit, animos dis-

iunctos comitate sua coniunxit. Tsetsius vero per tot annos absque omni officio et functione Patakini humili in casa vitam tolerat. Saepius a magnis et illustribus viris ob praeclaram eruditionem in abiecto tuguriolo visitatus. Obstitit insolens malevolorum invidia et intractabilis, cedereque nescia viri indoles, quominus commoda in exilio patrio viventi statio adsignaretur.

§ XXI. Fuisse praeclara divinae eruditionis seminaria in Hungaria et Transylvania demonstrant pietate et eruditione eximii viri; qui tempore Reformationis, inter doctos velut stellas luna minores praeclare fulgebant. Matthias Birò Devai, utriusque Hungariae circumspectus Reformator, cum circa annum 1533 Vittebergam excurreret, tam Luthero quam Philippo Melanctoni fuit admirationi. Stephanus Szántai quali fuerit instructus eruditione ostendit in colloquio Schesburgensi aliquot dierum coram Rege Johanne I cum Monachis et Episcopis habito an. 1538; quos e scripturis Seriphiis ranis reddidit magis mutos [1]). Non est animus ut illius aevi eruditos hic in scenam producam, alibi in lucem relatos. Verum memorare solum officinas eruditionis extitisse; inter quas eminens semper fuit Schola Patakina. Quos habuit Professores ut nunc vocantur vel illius aevi stilo Rectores, prouti hinc inde colligere potui recensere e re duco publica.

§ XXII. Primus inter Professores Gymnasii Patakiensis habetur Stephanus Kopátsi; quem tamen praecessisse alios non sine ratione existimo. Vocatus enim erat an. 1549 ad regimen Scholae Patakiensis ex ecclesia iam Reformata Rivulinensi, non ad Scholam constituendam, sed in constituta profitendas Literas Latinas Graecasque cum Divinis. Johannem vero Vitum Balsaratium nunquam Scholae Patakinae fuisse Professorem, sed eiusdem ecclesiae Pastorem, et Scholae Curatorem, palam est ex oratione Basilii Fabricii Szikszoviensis super funere Balsaratii an. 1575 recitata ac publice edita.

2. Basilius Fabricius Szikszai, Redierat ex Academiis Germanicis an. 1560, constitutusque Professor Saros Patakiensis ibidem Theologiam, Philosophiam et Linguam Hebraeam studiosae tradidit iuventuti. Cum nullum adhuc Lexicon Hungaricum extaret, dictaverat discipulis Nomenclaturam Latino-Hungaricam, qua industria adolescentum adiuvari posset: exempla calamo excepta et varie sunt distracta, post obitum autoris, qui contigit an. 1577, tandem Debrecini an. 1592 typis descripta.

3. Georgius Caesar Cassoviensis, studia sua in Schola Patakiensi, ac post in Germaniae Academiis perfecit. Professor Patakini creatus charissimum Praeceptorem ac Collegam Basilium Fabricium

[1]) In libro antiquo cui titulus Hispaniai Vadafoság describitur.

funebri laudavit oratione an. 1577. Factus mox Pastor Patakiensis facundissimus; non diu splendore suo ecclesiam Dei collustrare potuit, anno enim ecclesiae Dei luctuoso 1586 e terris discessit.

4. Matthias Thoraconymus fuit collega Georgii C. Cassoviensis.

5. Demetrius Krakhovius Transylvanus an. 1596.

6. Moses Vasarhelyi an. 1601

7. Michael Lani Szepsinus 1612

8. Stephanus Siderius Szikszai

9. Georgius Korotz Szepsi fuit alumnus diu Scholae Patakiensis, inde Rector Scholae Göntzinae, post peregrinationem ad Academias Germanicas Professor Scholae 1615 Patakiensis. Delectatus est studio praecipue Poetico ingenium ferax id suadens, unde ex consuetudine illius aevi laurea etiam poetica ornatus est.

10. Georgius Lövei

11. Johannes Szentzi

12. Johannes Filitzki. Nobili genere in scepusio prognatus natalium splendorem carminis dignitate superavit. Tempore tumultus Botskaiani Pragam discesserat, an. 1605 Herbornam, mox Marpurgum et Heidelbergam. Excelluit in Arte Poetica, cuius non pauca carmina sunt publicata. Anno 1622 in officio Professoris Patakini exstitit.

13. Martinus Muraközi an. 1622

14. Benedictus Bakai an. 1630

15. Georgius Salanki, qui studiis in Academia Lugduno-Batava deditus Libellum Erasmi Roterod. qui inscribitur Enchiridion Militis Christiani Hungarice an. 1627 edidit.

16. Andreas Ruszkai an. 1631

17. Georgius Zemleni an. 1634

18. Paulus Szepsi an. 1636

19. Johannes Simandi

20. Matthias Komiati

21. Franciscus Veretzi an. 1637

22. Stephanus Fövenyesi

23. Johannes E Bényei an. 1639

24. David Valerius e Judaeo conversus, qui potiores Europae Academias visitaverat, seque in omni scientiarum genere exercitatissimum reddiderat, in Gymnasio tandem Alba Juliensi in Transylvania orthodoxam Religionem amplexus est; atque ita extraordinario stipendio ad professionem Theologiae aeque ac Philosophiae collocatus a Principe Georgio Rakotzi.

25. Daniel Kolosi

26. Johannes Tolnai, vir doctus, sed ob intempestivas innovationes multarum in ecclesiis turbarum fax et incentor.

27. Alexander Huszti
28. Johannes Zebegnyei an. 1643
29. Caspar Szepsi an. 1645
30. Stephanus Beniamin Szilágyi an. 1645
31. Matthias Nogradi an. 1649
32. Johannes Amos Commenius 1651
33. Johannes Hertzeg Szölösi
34. Andreas Vátzi
35. Michael Tophaeus Szekelyhidi 1651.
36. Thomas Ujvári
37. Stephanus Ötves Szathmári
38. Samuel Lippoi
39. Johannes Szent Péteri
40. Paulus Szántai
41. Melchior Batzoni, de quo anno 1653 in oratione inaugurali Albae Juliae ita meminit Johannes Apátzai. Hinc Comenii longinquo evocati, hinc Tolnaii, hinc Szölösii, hinc Batzonii, hinc Veresegyhazii; quorum collatam operam sentiet, si non sensit Hungaria.
42. Johannes Köpetzi Med. Doctor
43. Stephanus Veresegyházi
44. Michael Buzinkai
45. Joh. Posaházi Art. Lib. et Philosophiae Magister. Hic cum Buzinkai et scholastica iuventute an. 1672 Patakino pulsus refugium quaesivit in Transylvania.
46. Valentinus Köpetzi
47. Johannes Tsétsi, qui ad Scholam regendam introductus an. 1686 variis fatis exercitus per XXIII annos eam summa prudentia tutatus est, nec deseruit de loco in locum pulsus, verum Dei clementia adiutus toties Göntzini, Cassoviaeque restituit, demum ad Sedem Patakinum reduxit, ubi anno 1708 die 14 Maji morte placida obdormivit.
48. Johannes Simándi an. 1709 die 17 Januarii ad Scholae gubernacula admotus, sequenti anno cum pluribus e scholastica iuventute studiosis peste sublatus est.
49. Johannes Nagy Mihályi, qui iussu Regio, cum male ipsi cum Collega conveniret, circa an. 1728 discessit ad Ministerium ecclesiae Tsátiensis.
50. Johannes Tsétsi, superius memorati filius, eruditis praecocibus facile adnumerandus, an. 1712 ad munus professorium introductus diu cum applausu docuit. Verum dum male cum suo Collega concordat, et Curatores contemptius habet, nec quicquam illis cedere vult, an. 1734 a functione sua dimissus est.
51. David Sárkány, successit Johanni Nagy Mihályi.

52. Michael Szathmári an. 1734 e Collegio Maros Vásárhelyensi ad eam stationem vocatus, ibidem die 2 Juni an. 1744 denatus.

53. Stephanus Bányai Historiarum et Eloquentiae Professor creatus an. 1743.

54. Michael Szathmari Patri homonymus, eidem in professione Theologica ac Linguarum an. 1744 successit.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

De Illustri Schola Debrecinensi.

§ I. Fundatio Collegii Debrecinensis refertur ad illustrem virum Valentinum Török de Ening, Dynastam inferioris Hungariae potentissimum, et civitatis Debrecinensis Dominum ac Possessorem. Hic anno 1541 in castris a Solymanno Turcarum Sultano detentus, atque in captivitatem coniectus nunquam libertati restitutus est. Debuit igitur Scholam in praecedaneis fundare annis. Eidem tribuitur et Scholae Papensis in Superiori Hungaria ac Typographiae erectio tam ibidem, quam Debrecini in rhythmis quibusdam Hungaricis, ubi de Typographia haec sunt:

Magyar ország ebben szenved megis tsorbát,
Poson orvoslá meg elsöbben ez hibát.
Török Balint ra szerze Pápa várossát.
Megmutatá ö Nagysagos Uri voltát.
Azon Ur Debretzent is, erre rá szerzé.
Etsedi Batori István Ur hogy érté.
Visolyba a Nyomtató Mühelyt viteté.
A Magyar Bibliat innen ki bövité.

Tempestive igitur ibidem Schola bonarum mentium officina erecta est; ubi praeclara ingenia excolerentur.

§ II. Singularis in eo felicitas Scholae Debrecinensi obtigerat, quod a tempore renati Evangelii civitas Debrecen praecipua semper orthodoxae Religionis sedes fuerit; nec adversariorum furoribus adeo, ut reliquae exposita fuit. Cui accedit ratio regiminis Politici; si quidem dependentiam habuit a Principibus Transylvaniae; qui continuata serie a temporibus Bathoreorum per seculum XVII totum omnes fuerunt Reformatae addicti Religioni; adeoque eius Protectores ac Patroni. Stephanus Botskai Transylv. Princeps certam summam pro alumnis in Collegio intertenendis

deputaverat; quod ultima etiam voluntatis dispositione testamentaria confirmavit. Gabriel Bethlen nunquam satis laudatus scholarum Patronus, nihil ad eam studiorum sedem ornandam praetermisit. Pro certis alumnis intertentionem ordinavit, vestis quoque singularis, Pallium nempe viridis coloris cum flavis chordis distinctum, quale in tota Hungaria alibi non visitur, illius iussu introducta refertur: quo ita Collegii cives ab Urbana iuventute primo obtutu distinguerentur; ansaque iuvenilium digladiationum magis magisque amputaretur.

§ III. Sed, quia rara est, quae eundem semper teneat cursum, felicitas; fuerunt etiam Scholae Debrecinensi sua fata; etsi internos taceamus motus, ac studiosorum cum civibus collisiones; externae afflictiones. Ingens certe illa fuit, cum Tartarorum Praecopitarum filius iuxta civitatem an. 1663 castra metatus, eam omnibus fere divitiis exuit. Expilata enim civitate Gymnasium quoque ad incitas redactum. Tot terrores Turcarum Purpurati e proximo Varad, Szolnok, et Agria intulerunt, ut subinde cogitarent cives de civitate deserenda, quamvis litteras a Turcarum Sultanno, securitatem permansionis promittentes, possiderent. Non minima fuit afffictio a Stralsoldo an. 1676 illata, quae miseros cives exhausit. Superavit tamen eam Karafaiana exactio annis 1685, 1686 crudelissime facta; quae in aere, pannis, iumentis, frumentis, et rebus aliis pro lubitu ab exactoribus extorta, duos milliones, sano iudicio aestimata, facile adaequarunt. Paulo post Galga Sultan Tartarorum Chami filius cum octuaginta mille barbaris in vicino civitati loco per undecim dies commoratus, praeter donarium decem mille aureorum in rationem Galga Sultanni exactum, ex civitate exegit panes, pecora, farinam, frumentum, et omnia necessaria pro castrorum intertentione, et vecturis. Prouti haec et alia in Comitiis Posoniensibus an. 1696 celebratis, cum lamentis Debrecinenses Regnicolis declararunt.

§ IV. Veluti civitas Debrecen, ita etiam eiusdem Schola ex ruderibus Urbis Varadiensis ingens accepit augmentum. Expugnata enim Arce Varadiensi an. 1660 per Turcas, cives Debrecini sedem sibi non pauci elegerunt. Schola quoque. quae celebris a tempore Reformationis semper ibidem exstiterat cum Professoribus dispersa, pars Transylvaniam intravit; pars vero quietem Debrecini elegit, ac cum eiusdem Schola in unam coaluit. Inter tot motus patrios ac calamitates civitati illatas tristem subinde etiam Schola induit faciem. Fecit cum lacrymis saepe sementem in laetam messem exituram. Saeculo, quo nunc vivimus in florem rediit, aucto Benefactorum, Alumnorum, ac Professorum numero. Habitaculis etiam in meliorem formam exstructis, ac auctis. Docentur ibidem Linguae necessariae, Artes liberales; ac omnes scientiae maximo iuventutis scholasticae emolumento. Unde velut Ecclesiae ac Politiae seminario, quovis anno ad Ministerium ecclesiasticum ac Regis servitiam eximii prodeunt iuvenes.

§ V. Eximios semper palestrae hinc literariae praefuisse viros, non sinit dubitare Debrecinensium prudentia; qui magna semper circumspectione eam civitatem et ecclesiam gubernarunt. Series eorum in Lectoris animum oblectandum producenda esset; verum obscura antiquitatis caligine tecta est; vixque ad manus praeter eam aliquid devenit, quam Paullus E. Debrecinensis produxit.

1. Johannes Lascovius primus ibidem occurrit; quos habuit praedecessores non memoratur. Hic vero fuit vir eximius Poeta inter alia dona excellens; pluresque ex suis alumnis Apollini consecravit. Praefuisse adhuc Athenaeo Debrecinensi an. 1589 ex elegia Alexandri Szomosközi tunc edita manifestum.

2. Fabianus Piso Bolliensis 1579

3. Johannes Taratzk Debreceni 1588

4. Emericus Szilvás Ujfalvi, 1596. fuit hic Matheseos ac Astronomiae peritus, vir doctus, sed turbulenti ingenii; qui in ecclesiam celebrem Varadiensem translatus ac in Seniorem Dioeceseos Bihariensis electus insurrexit contra Superintendentem Lucam Hodapium; multa in ritibus innovare satagens, et serram contentionis diu reciprocans, tandem an. 1616 pulsus in exilium.

5. Stephanus Detsi an. 1599

6. Stephanus Debretzini an. 1609

7. Michael Eszeki denatus an. 1610

8. Stephanus Nyilas Melotai an. 1610. Dein factus Pastor Kallaiensis, Szathmariensis, Superintendens cis — Tibiscanus, tandemque Principis Gabrielis Bethlen Concionator Aulicus. Tractatibus quibusdam Theologicis Hungarice editis Posteritati memoriam suam commendavit.

9. Paullus Kismariai

10. Stephanus Ketskemeti an. 1629

11. Paullus Medjesi ex Academiis Belgicis ac Anglicis in Hungariam reversus aliquamdiu in hac schola Debrecinensi Professoris munere functus est. Inde in Illustrem Principis Rakotzi Aulam pro concionatore evocatus; ab an. 1633 in eodem officio versatus est, continuavitque aulicum per viginti sex et amplius annos ministerium, cum insigni laude ac secunda semper sui nominis fama. Plures edidit libellos ex Anglico in Hungaricum translatos.

12. Stephanus Medjesi an. 1634

13. Stephanus Manyoki an. 1648

14. Stephanus Szokolyai an. 1648

15. Paullus Tsiba Teifalvi. Fuit hac aetate Martinus Tsiba Teifalvi nobilis genere, vir doctus, qui an. 1637 edidit eximium libellum sub titulo Romanocategorus in qua demonstrat doctrinam Romano-Catholicorum esse nuperam Apostolicaeque doctrinae

contrariam. Occasio scripti fuit fratris germani ad Romano-Catholicos transitus deserta Religione Reformata, cuius Apostolicam veritatem solide hic adstruit. Cum aetas coincidat, hic idem videtur esse Professor mutato ex levi errore nomine.

16. Georgius Tsipkes Komaromi S. S. T. Doctor an. 1654. Linguarum originalium fuit optime peritus, unde sacra Biblia in Hungaricum ex Hebraeo et Graeco transtulit. Plurimaque praeclari ingenii reliquit monumenta.

17. Stephanus Budaeus A. L. M.

18. Samuel Lippoi

19. Georgius Martonfalvi S. S. T. D. Professor primum Varadiensis, tandem dispersa Schola Varadiensi ab an. 1661 Debrecinensis, vir doctus et didacticus. Libros aliquot Latine ac Hungarice in publicum edidit. Redemptori suo animam reddidit an. 1681 die 23 Aprilis.

20. Stephanus K. Dioszégi S. S. T. Doctor

21. Johannes Pell. Debretzeni

22. Laurentius Uj Laskoi

23. Martinus Szilagyi. Philosophiam, Theologiam, Linguas originales totos per triginta annos scholasticam docuit iuventutem magno rei literariae emolumento. Philosophiam Applicatam secundum principia Cartesii; et alia quaedam Theologica in publicam emisit lucem.

24. Paullus K. Lipnyai. Natus in Lipnyo inter Siculos. Fuit an. 1674 Groningae in studiis, quem soror bonae mentis paupertas vix non in peregrino solo oppressit. Rediit tamen, per varios casus et misera fata in Hungariam, ubi clementiore usus sorte factus est Professor Debrecinensis eximii nominis. Excelluit in studio Chronologico, cuius argumenti opus edidit utilissimum tribus tomis in 4to an. 1683—1690, uti et Chronicon Hungaricum.

25. Georgius Vetsei an. 1692

26. Johannes C. Kotsi an. 1694, tandem factus Superintendens.

27. Stephanus Kiraly Debretzeni

28. Stephanus Huszti M. D. an. 1700

29. Michael Vári A. L. M. et Phil. D. an. 1701

30. Johannes Hertzeg Debretzeni Med. D. 1704

31. Georgius Ketskemeti

32. Johannes Zödi

33. Michael Komáromi

34. Martinus Szilágyi, diu Theologiam docuit.

35. Stephanus Szilágyi prioris Martini filius introductus ad docendam Philosophiam.

36. Johannes Tabaidi docuit Linguam sanctam et Theologiam catecheticam.

37. G e o r g i u s M a r o t h i, vir eximius, literator, Mathematicus, Polyhistor, didacticus ac laboriosus, qui plurima in meliorem ordinem redegit, orthographiam, cantum, docendi methodum reformavit; at vero brevis aevi, in medio laborum cursu e terris discessit.

38. S a m u e l S z i l á g y i Martini posterioris filius, ad Mathematica tradenda introductus; sed tandem Parenti fatis cedenti in Theologicis successor datus an. 1742.

39. S t e p h a n u s S z a t h m á r i, Michaelis Szathmári Profess. Patakiensis filius vocatus ad Litteras Graecas tradendas; et Historiam civilem ac Ecclesiasticam.

40. S t e p h a n u s H a t v a n i Med. Doctor, ad Philosophica scholasticae iuventuti profitenda.

41. S a m u e l V a r i a s ad Linguas orientales docendas.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

De illustri Claudiopolitanorum Gymnasio.

§ I. Cum ecclesiarum in Transylvania Reformatione nascebatur simul illustris Schola Kolosvariensis. Quo loco et auctore dicere non habeo. Coniicio tamen eundem tenuisse locum, quem hodie Monachi Francisci filii in Urbe tenent. Ubi Dominici filii olim suum habuerunt coenobium; quod in Palestram elegantiorum literarum diffugientibus antiquis insessoribus est conversum. Hic docuit eximius vir G r e g o r i u s M o l n á r qui in Academia Vitebergensi, postquam apud Argentinenses ac Helvetos studiis, ex consuetudine Transylvanorum istius aevi, operam dederat, aliquamdiu an. 1553 moram traxit, Philippique Melanctonis institutioni arctius adhaesit. Reversus in Transsylvaniam in Gymnasio Kolosvariensi Lector creatus, institutioni iuventutis summo studio incubuit.Edidit ibidem brevem quandum Grammatices synopsin, Typis Casparis Heltai an. 1556. Quae ad nostra usque tempora in omnibus fere Transyl. et Hungariae scholis pro norma discentibus fuit proposita. Defendebat in materia Sacramenti Argentinensium Helvetiorumque sententiam acerrime. Evenitque exinde ut paulo inclementius iudicium de eo tulerint scriptores Transylvani Saxonum partibus addicti. Fuit vir Linguarum peritus, acris ingenii ac profundae eruditionis. At brevis aevi; anno enim 1558 in vivis esse desiit.

§ II. Hanc etiam ornavit Scholam P e t r u s K a r o l i, vir praeclarae

eruditionis ac ingentis animi. Qui Gymnasio huic Reformatorum Kolosvariensi anno 1563 bonorum omnium voto praefectus, non solum Latinas sed etiam Graecas professus litteras, studiosam iuventutem ex omnibus fere Hungariae angulis ad se pertrahebat; cui etiam sacrarum literarum sensum concinno ordine aperiebat. Edidit Elementa Grammaticae Graecae circa annum 1566. Primus hic fuit, qui occulta Georgii Blandratae et Francisci Davidis sese orthodoxos simulantium adversus Trinitatem, molimina advertit et palam fecit. Saepiusque privatas ac publicas de Religione collationes cum iisdem habuit. Factus est anno 1569 antistes Varadiensis ac etiam Professor in Gymnasio; mox vicinarum ecclesiarum Senior, ac post decessum Melii an. 1572 etiam Superintendens cis-Tibiscanus. Cum eius discessu e Schola Claudiopolitana artibus Blandratae et Davidis omnia sunt immutata, et Religio orthodoxa loco suo pulsa. Successor enim illi datus est Johannes Sommerus Pirnensis, vir litteratissimus sed in Theologicis talpa coecior, ut pote, qui non solum Trinitatis dogma negaret, sed etiam carnis resurrectionem et baptismum infantilem adsereret errorem. Justificationem, ex fide iustitia Christi, peccatoris coram Deo, vanum Lutheri et Calvini commentum.

§ III. Clam primum sensimque diligentia Franc. Davidis, moxque propalam irrepsit antitrinitaria Religio, omnesque Urbis angulos, Templa et Scholas occupavit, praecipue ab anno 1570, postquam Caspar Heltai diu illis obluctans, iam senex decrepitus, manum dedisset, suoque exemplo plures in errorem deduxisset. Exercitium Religionis Reformatae ad aedes privatas cuiusdam civis in Kozeputpa detrusum, ad annum usque 1605, quo Principatum Transylvaniae tenente Stephano Botskai statutum est, Reformatos Claudiopoli eo iure gaudere debere, quo antitrinitarii utuntur. Crescente mox in dies Reformatorum numero in Generali Regni Diaeta anno 1609 unanimi Regnicolarum consensu Templum in Ovár. olim Dominicanorum, iam ruinatum et collapsum iisdem confertur; in cuius actualem possessionem die 15 Maji an. 1612 introducuntur. Quod restauratum, scholaque erecta, a Principe Gabriele Bathori, variis donariis. luculentis proventibus ornatum [1]). Mox Principatum gubernante Gabriele Bethlenio an. 1622 concordibus universorum Regni Statuum calculis in platea Wolfgango dicata aliud Templum cum vicino Collegii fundo utrisque tamen desertis ac desolatis, Reformatis adsignatur, ac in eius possessione statuuntur.

§ IV. Ortum Gymnasium hoc Kolosvariense debet Principi Bethlenio; incrementum Principibus Rakotziis ac Apafiis, luculento semper Illustris Familiae Bánfi patrocinio ornatum. Concurrente privatorum etiam Patronorum liberalitate, ac virorum eruditissimorum industria lacertos coepit

[1]) Vide Superius Lib. II. Cap. IX. § V.

movere ac in summum eniti fastigium. Extant varia Bethlenii Principis Diplomata et Donationes de proventibus et Scholae reditibus. Memorabile illud est, in cuius frontispicio ac corpore suave aeque ac dirum hoc carmen legitur. Perpetua sum hereditas Scholae huius, qui commoda mea alio converterit, deleatur nomen illius e libro viventium. Exstant aliorum Principum ac Procerum collationes; dignae quae a rerum perito in publicum proferantur, auctoresque laudent suos.

§ V. Virorum pietate ac eruditione clarorum qui Scholasticae juventuti erudiendae ac moderandae praepositi fuerunt, sequentem inveni seriem.

1. Benedictus Bihari. Hic an. 1624 in exequiis Serenissimae Principis D. Susannae Karoli Princip. Gabrielis Bethlen Coniugis, carmine Heroico Heroidis illius laudes enarravit. Quos in munere habuit collegas, aut qui eum praecesserunt, non invenio.

2. Georgius Batai, primum Scholae Rector post ecclesiae Reformatae Claudiopolitanae V. D. Minister, quo in munere successorem habuit filium cognominem anno aetatis XXXVI, Christi vero 1698 phtisi consumptum. Edidit aliquot conciones in publicum, quibus nomen posteritati transmisit.

3. Andreas Portshalmi. Hic natus in Hungaria Patre Sebastiano Portshalmi V. D. Ministro, cujus provida cura ubi pueriles superavit annos et classica emensus studia, stationem suis destinationibus conformem quaesivit in Collegio Alba Juliensi; ubi sub auspiciis celeberrimorum virorum Joh. Henrici Alstedii, Phil. Lud. Piscatoris, Joh. Henrici Bisterfeldii et aliorum Philologica, Philosophica ac Theologica diligenter tractavit studia, iisque animum optime excoluit. Mox in ecclesiam Hatpegiensem ad officium Scholae Rectoris evocatus, aliquamdiu in ista arena dexterrime versatus est. Unde rursus in Collegium Albense rediit. Verum non diu studia ibidem continuare potuit, fama enim eruditionis et probitatis eius exciti illi, quorum intererat, expetitus in Scholam Kolosvariensem, primum Lector, mox ordinarius eius Rector factus anno 1641, sub decursu XXVI annorum varias ibidem scientias docuit, ac assidue in pulvere scholastico ad annum usque 1667 desudavit. Quo in eadem ecclesia Claudiopolitana officio Pastoratus, mox in Districtu Kolos et Kalosapeg etiam Senioratus dignitate honoratus; ad omnium adplausum iisdem functus. Anno vero 1681 die 19 Maji vitam caducam cum aeterna commutavit.

4. Colomannus Igaz Kolosvári. Nobili ex prosapia natus Claudiopoli, nobiliorem se scientiarum ac elegantium literarum cultu reddidit. Franekerae an. 1651 sub Cloppenburgio Dissertationes Antisocinianas propugnavit. Redux in Patriam Collegii habenis admotus, quo usque eas moderatus est incertum.

5. Johannes Siko inter Siculos natus, peregrinationis Colomanni

Igaz socius, in Academia Franekerana Disputationem Cloppenburgii contra Bidellum de Deitate Spiritus Sancti editum propugnavit, Kolosvarini Professor creatus; quando officio decessit, non constat.

6. Paullus R. Tsernátoni. Natus in Felsö Tsernaton inter Siculos, serius ad litteras accessisse perhibetur, alios tamen benignitate ingenii adjutus antevertit. Cursum in Academiis studiorum absolvens factus anno 1656 Eloquentiae Lector et Paedagogiarcha. Qui ab Illustri optimarum litterarum ac Litteratorum Patrono Joanne Bethlen Cancellario filii eiusdem Nicolai ac Paulli studiis ac moribus praepositus Gubernator abire iussus est, cum iisdem in Germaniam, Hollandiam et Angliam; ubi intermissa studia in Academiis Marpurgensi, Heidelbergensi, Ultrajectina ac Lugduno-Batava redorsus, Matthesin, Philosophiam, Historiam, Theologiam exercuit, partim doctos in iis audiendo viros, partim eadem nobilibus suis tradendo discipulis. Post longam peregrinationem Germanicam, Hollandicam, Anglicam, Gallicam, Helveticam, Patriis oris redditus factus est Professor in Collegio N. Enyedensi an. 1668 ubi etiam vitam finiit an. 1679 forti apoplexia tactus.

7. Johannes Tseri Apatzai Phil. et Th. Dr. Directionem Collegii Claudiaci Celss. Principe Georgio Rakotzi II. iubente suscepit anno 1656 20 Novembris, habita oratione eleganti et politissima, de summa Scholarum necessitate earumque inter Hungaros barbariei causis. Tradidit ibidem Matthesin, Jurisprudentiam, Linguam Hebraeam, et Theologiam tanto quidem fructu, ut non pauci ex studiosis e Gymnasio Albensi ubi ab anno 1653 Collaborator erat, propter unicum Apatzaium ad palaestram claudiacam abiverint; secuturi eum plures ni alumnia Principis ac commoditas subsistendi Albae Juliae detinuisset. Edidit ibidem Disputationem Theologicam de Politia ecclesiastica an. 1658, antea vero Logicam et Encyclopaediam Hungaricam, et nonnullas Epistolas amoebeias. Tandem an. 1659 phtisi, quam ex continua ac pertinaci diligentia contraxerat consumptus. vir brevis aevi. longiori dignissimus. Non diu illi immatura viri morte saucia coniunx, quam in Belgio sibi iunxerat, supervixit.

8. Stephanus Tolnai Med. Dr. Natus in Hungaria Patre Johanne Sellyei civitatis Tolnensis Judice primario. Adolescentiam suam in variis Hungariae scholis elegantioribus literis polivit ac exercuit; donec Belgicis in Academiis ad summum eruditionis fastigium conscenderet. In Transylvania an. 1662 sacrum amplexus est ministerium in Ecclesia Kezdi Vasarhelyesi, ubi ad an. 1665 diligenter officio functus est. Tunc communi Procerum voto Professoratum in Collegio Claudiopolitano habuit sibi oblatum. Viginti annos in eo munere summa industria peregit. Tandem ecclesiae ibidem florentissimae ministerio est admotus, et Senioratu Dioeceseos honoratus. Edidit in usum Collegii Claudiopolitani secundum

Principia Petri Rami Dialectices compendium. Ex discursu vero cum quodam sacerdote Romanae ecclesiae occasionem sumpsit scribendi Tractatum dictum: Igaz Kereptyeni tudomány es vallás utára vezetö Kalauz. Hodegus Christianae Religionis: ubi ortum, novitatem, errores Religionis Romanae; Apostolicae vero Reformatae propagationem, durationem, veritatem &c. tradit ac solide demonstrat Claudiopoli 1679. Tractatus est solidus ac utilis.

In magno Tolnaeus apud quosvis pretio habitus, tum ob raras, quae virum Dei decent, virtutes, tum ob singularem, qua multis profuit medendi peritiam; donec recurrentes subinde infirmitates an. 1690 circulum vitae pleuritide clauserunt.

9. Stephanus Sáros Pataki. Renunciatus Philosophiae ac Linguarum Professor an. 1668, et mox Theologiae; viginti annis eo in stadio desudavit. Quatuor vero annos adolescentis Principis Michaelis Apafi institutioni impendit. Anno aetatis LII et Christi 1693 febri pestilenti sublatus.

10. Samuel Szathmár Nemethi. Introductus in officium Professoris an. 1683, versatus in eo munere totos triginta quatuor annos, tradens scholasticae iuventuti primum Philosophiam, Linguas originales; dein Theologiam et Antiquitates sacras. Ingenium eius et doctrinam loquuntur libri, quos edidit magno numero ut pote Moses explicatus, Commentarii in Zachariam, Danielem, Malachiam, ad Hebraeos et Epistolam Judae. Mortalitatem tandem exuit die XVII Decembris anno 1717. Epitaphium, quod ipse sibi mortalitatis memor posuerat, ita est:

Me genuit Szathmarr: Urbs Claudia fovit adultum:
  Trajectum iuvenem, Leida Franekra dein.
Claudia Urbs reducem excipiens, mactavit honore
  Mystae Linguarum; quas Cananaea sonat.
Hellasque et Sophiae, mox Numinis Eloquiorum
  Post Ephorum ductum Principis Apafii
Munere, quo functum, Urbs eadem mox alma recepit
  Et iussit rursus Munus obire prius.
In quo ter denis quatuorve fluentibus annis
  Quod feci, id fecit Gratia sola Dei.
Iam fractus curis, maerorumque agmine, Mentem
  Commendo Christo: debile corpus humo.

11. Michael Turkovitz Tsepregi, creatus Philosophiae et Linguarum Orientalium Professor an. 1691 cui addita etiam paulo post, Szathmar Nemethio in Aulam Principis translato, Theologiae professio ad annum usque 1695: tunc enim ministerium in eadem ecclesia

amplexus est, brevi ex ea quoque statione evocandus; anno enim 1704 morti succubuit.

12. Michael Szathmár Nemethi. Inauguratus anno 1696, ad Linguas orientales et Philosophiam tractandam. deseruit terrestrem stationem anno 1709.

13. Andreas Zilahi, Philosophiae et Linguarum Professor constitutus an. 1711, qui mox anno 1714 Claudiopolim Alba Julia permutat, atque illic Theologiae Professor renunciatus.

14. Matthaeus Intze Batzoni introductus ad Philosophiam et Linguas profitendas an. 1714, post decessum vero Sam. Szathm. Nemeti factus est Theologiae Professor; anno 1720 V. D. Ministerium in eadem ecclesia amplexus, discessit vero ex hac valle miseriarum an. 1742 in gaudium Domini sui quem secutus fuit vocantem Matthaee sequere me.

15. Johannes Remetei inauguratus an. 1718, Fati leges implevit an. 1719. Ipse vero non satis leges suae vocationis cum in vivis esset implevisse memoratur.

16. Joannes Naszályi. Natus in Hungaria, prima suae eruditionis fundamenta posuit in Schola Tataiensi: inde celebratissimae Musarum officinae Debrecinensi se commisit: ubi charus omnibus praecipue Joanni Kotsi S. S. T. S. Dri et Professori, emensis honorum gradibus Belgii celebriores Academias adivit; revocatus amplissimi Szathmariensis Senatus literis Gymnasio ibidem praeficitur. Inde Szathmar Nemetinum ad Evangelium praedicandum vocatus. Inclaruit nomen eius in Transylvania, unde communi Procerum et Consistorii etiam Claudiopolitani suffragio an. 1720 Professor Philosophiae et Linguarum orientalium constitutus, septem annos aliquotque menses eodem in officio fuit. Mors tandem an. 1728 die 2 Maji vivis eripuit.

17. Michael Udvarhelyi. Natus in Udvarhelly honoratis Parentibus, emenso in Gymnasiis Transylvanicis studiorum cursu, praefectus est Scholae Suigetinae moderandae. inde dimissus in Academias rursus in eandem Scholam revocatur, Professorisque titulo ornatur. Inde Claudiopolim vocatus ac Theologiae Professor constitutus XVI annos eo in officio peregit. Stationem vero suam alteri relinquere coactus est, apoplexia enecante prostratus an. 1737. sicque e terris discessit.

18. Franciscus Tsepregi Filius Michaelis superius memorati. Vir egregius, omnigena literatura excultus, ore Latino Tullium, Hebraeo Graeco et aliis orientalibus Albertum Schultensium exprimens. Numismaticus et antiquitatum indefessus indagator. Ipse tantis scientiarum thesauris ornatus delicias quidem in iis habet quotidianas; verum parcius discipulis praebuit degustandas. In Academia Franequerana sub ductu magni Schultensii edidit Dissertationem Philologico — Theologicam Novis Dissertationum Thesauris Amstelodami insertam de Keri et Ketib

an. 1725, ubi multis sacrarum literarum locis lux adfunditur. In Collegio Claudiopolitano an. 1728 Linguae Graecae, Antiquitatum et Historiarum Professor constitutus: quibus ab anno 1737 accessit etiam Theologiae professio. Anno vero 1758 hic Daciae Phoenix vitam aeternam mortis beneficio adeptus.

19. Georgius Verestoi Linguae Hebraeae ac Philosophiae Professor creatus anno 1728 superioris Francisci Tsepregi studiorum adolescentiae, peregrinationis Academicae, et muneris professorii perpetuus Achates. Vir praeclarus, variis Dei donis ornatus; inter alia eminet sacra Apollinis arte velut Maro aliquis Hungaricus. Suavissima eius tam Hungarica, quam Latina carmina, digna quae peculiari libello in publicum prodirent. Dum Franequerae studiis operaretur an. 1725 edidit eximiam de Palma Ardente ad Exod. III. 1—5 Dissertationem in qua vilem Rubum naturae illud dedecus et abortientis monstrum, in nobilissimam omnium arborum reginam Palmam, venusta μεταμορφώσει transformare annisus est. Meminit eius Dissert. T. Hasaeus in Museo Bremensi.

20. Andreas Huszti Jurisprudentiae et Politicae in Collegio Claudiopolitano Professor: Qui vix meretur, qui inter eius Collegii Professores memoretur; non ob eruditionem, quam praeclaram nactus erat; sed ob mores quos habuit sordidos. Introductus ad Juris Professionem circa an. 1736, paulo post incidit in censuram Theologorum cum matrimonium non secundum leges ecclesiasticas contraxisset, facessurus iisdem negotium. Anno enim 1742 edidit librum Jurisprudentiam Hungarico-Transylvanicam intitulatum, cui praemisit orationem, ad inclytissimam Juventutem Nobilitatis Hungarico-Transylvanicae directam (uti dicit) ubi adeo deformatam exhibuit Religionem Reformatam ac si inter Remonstrantes educatus, quid Reformati sentiant, nunquam vel fando audisset. Monitus non destitit Religionem eiusque Ministros probrosis insectari verbis, temulentus plerumque. Tandem officio privatus et e gremio ecclesiae Ref. eiectus est. Unde aliquamdiu aulis Magnatum vagatus transiit ad Romano-Catholicos, nactus ibidem officium Digestoris Capituli Albensis cum luculento salario; verum cum illud eius ingluviei minime sufficeret; relicta statione rursum per Aulas Magnatum vagari coepit, elaborando Tabulas Genealogicas ex antiquis Instrumentis, anno demum 1755 Claudiopoli vitae et errorum habuit finem.

21. Georgius Huszti, antea Ephorus Illustris Comitis Dionysii Banfi de Losontz, ad Linguas orientales et Historiam Universalem profitendam introductus.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

De Collegio Maros Vásárhelyensi.

§ I. Pauca sunt, quae de hoc Collegio in publicum proferre valeam; praestare tamen et pauca, quam nihil producere, autumo. Ortum suum debet immani Scholae Patakiensis persecutioni; quae antiqua sua sede an. 1672 proturbata ex parte cum duobus Professoribus Debrecini perfugium quaesiverat. Unde pientissimus Princeps Transylvaniae Michael Apafi in locum Collegii Alba Julia Enyedinum transpositi ex Procerum annuentia an. 1673 collocavit. Ubi ad annum usque 1716 substitit.

§ II. Fundus Collegii unde sustentaretur fuit pia Principis liberalitas ac larga Procerum Reformatorum munificentia. Ab eo etiam tempore invaluit in Gymnasiis Transylvanicis ea consuetudo; qua ad tria Festa anniversaria solemniora, Natalis Domini, Paschalis, ac Pentecostes studiosi ad certos Magnates proficiscuntur, ibidem conciones habent, ac aliqua eleemosyna remunerati ad studia redeunt.

§ III. Invenio notatum in Annalibus eruditorum anno 1700 mense Augusto Collegium Reformatorum Albense minus, ad instantiam Patrum Communionis Romanae per milites Caesareos iussu Generalis Commendantis Joannis Ludovici Raboutin Comitis de Bussi fuisse occupatum; minabaturque etiam Scholae Enyedensi vim illaturum; verum paucos post dies gravi suo errore, quo Provincialium animos turbaverat, animadverso antiquis possessoribus cum honore restituit, ac metu imminentis periculi Scholas coeteras liberavit.

§ IV. Alba Julia Principum olim Reformatorum praecipua sedes, vario modo post eorum fata desolata, coepit a Carolo Sexto Imperatore in lateritiam et marmoream converti; anno 1715 positus est solemniter lapis angularis; tunc nomen quoque Carolinae a reparatore accepit. Templum maius cum omnibus accessoriis, Collegium item, Domus Parochiales erant penes Reformatos; Superintendens quoque ibidem Residentiam habuit. Haec omnia nomine Principis Provinciae Gubernator Comes Sigismundus Kornis et Generalis armorum Praefectus Comes Steinville in rationem Catholicorum cedenda solicitabant, ultro quindecim florenorum millia pro Templo et domibus excitandis promittentes. Renuebant equidem Proceres Reformati aliquamdiu, factum tamen est ut cessisse dicerentur, quae sine omni refusione ipsis ablata sunt. Superintendens Enyedini locum mansionis elegit. Collegium sede sua eiectum Karkoini in aedibus viduae S. R. Z. Comitis Ladislai Teleki de Szék substitit. Mox ex deliberatione

ac destinatione Procerum Reformatorum, iussu nomine Imperatoris Generalis Commendantis Maros Vasarhelyini resedit, eo in loco ubi a prima sacrorum in Transylvania reformatione celebris semper, nunc quoque, Schola floruerat. Plures ibidem domus ex tignis coagmentatae pro numerosa studiosorum caterva locus pia Magnatum solicitudine ad inhabitandum praeparatus est. Ubi ex Procerum Reformatorum gratuita liberalitate, et ecclesiarum eleemosyna numerosi intertenentur cum duobus Professoribus Alumni.

§ V. Professores fuerunt primi iidem, qui Patakino in Transylvaniam an. 1673 cum scholastica iuventute venerant. 1. Primus Michael Buzinhai, qui variis opusculis in commodum scholasticae iuventutis elaboratis se notum satis posteris exhibuit.

2. Joannes Posaházi alter Art. L. Magister, qui Patakini adhuc Pneumatologiam in usum Juventutis, et varios edidit libros Hungaricos; praecipuus est Igazság Istápja, scipio veritatis, quem opposuit adversariorum, in specie Petri Pazman Cardinalis Hodego, commentis, ac Confessionis Reformatae denigrationibus. In Transylvania instigante Tophaeo litem movit Professoribus Enyedensibus de Cocceji Theologia ac Cartesii Philosophia. Transiit discordia in Collegium utrumque ad discipulos, multum ad eorum animos dissociandos faciens. Exitus multum Posaházii existimationi obfuit.

3. Stephanus Komáromi, vir eximius Theologiae Professor; maximus pietatis cultor, qui pene sanctus a suis habebatur discipulis.

4. Samuel Juhasz Kaposi ss. Th. Doctor. Introductus in Collegium an. 1689 non pridem redux ex Peregrinationibus Germanicis, Anglicis Belgicis, Linguas, Latinam, Graecam, Hebraeam, Arabicam et exteras orientales fundamentaliter excoluerat. Belgicam, Anglicam pariter, hanc etiam discipulis, ut praeclaros in ea Lingua Practicos exaratos in usum convertere possent, publice tradebat. Scientias omnes vasta mente complexus erat, fuit enim ingenio adeo capaci, memoria tenaci, lingua diserta, ut quae legerat, aut audiverat, praesentissima semper haberet; prompteque edissereret. Orator, concionator extemporaneus, Poeta facilis et suavis; unde metris res discendas saepius alligabat. Excellebat in Didactica, conscripsit etiam in omni fere scientiarum genere compendia, ut plurimum metrica; quae descipulis tradidit, publicareque contendebat; at inter belli tumultus, continuasque Patriae procellas destinationem exequi non potuit. Nisi in Memoriali Hebraico exhibente Lexici Hebraici compendium an. 1698 et Breviario Biblico in gratiam Hebraeophilorum ac Bibliis Hebraeis destitutorum an. 1699 edito. Ob eruditionem ac candidos mores celebratissimus fuit apud quosvis ordines; magnae existimationis et honoratus etiam apud diversae Religionis. Sub decursu XXIV annorum in Collegio Alba Juliacensi Linguas Philosophiam, Historiam, Theologiam

et alias scientias luculento discipulorum emolumento diligentissime tradidit. Tandem anno 1713 florente adhuc aetate inopina morte raptus. cum pridie apud Patres Jesuitas cum aliis prandio exceptus fuisset; unde nata est ea suspicio, quod toxico per aliquem scelestum clam propinato vitae et laborum metam attigisset.

5. Johannes Berzetei Pastor simul et Professor Albensis; vir admodum celebris ob eloquentiam; sed curis supra vires oneratus iuvenis adhuc succubuit.

6. Andreas Sebes Zilahi ex Collegio Claudiopolitano in Albensem translatus an. 1714. vir doctus ac imperterritus fatis brevi cessit.

7. Michael Szathmári vocatus ex ecclesiae Tokaiensis ministerio an. 1716 post inaugurationem brevi sede sua simul cum Collegio emigrare iussus Vasarhelyini ad annum usque 1734 ingenti ecclesiae ac politiae emolumento docuit, quo Patakinum in Hungariam est vocatus.

8. Joannes Kövesdi.

9. Samuel R. Szombati, ex Professore Szathmariensi Udvarhelyensis, inde Vasarhelyensis. cum vero effrenem regere non nosset iuventutem factus est Pastor Ecclesiae Alba Carolinensis, ubi peste sublatus an. 1737.

10. Samuel Nadudvari, ex Pastore N. Enyedensi factus est Professor Philosophiae M. Vasarhelyensis an. 1740. in initio muneris sui cum aliqua in Mathematicis diligentia nactus erat opinionem de se secundam; at mox socordia et fundorum Collegii dilapidatione, aliisque naevis venit in despectum. Clam se subduxit in Hungariam stationem deserendo; ubi Religionem mutavit, parvi aestimatus etiam a R. Catholicis sine certo lare vagatur.

11. Samuel Tétsi Theologiae et Linguae Hebraeae Professor, finem vitae adtigit an. 1756.

12. Stephanus Intze, introductus an..... ad Mathesin et Philosophiam docendam; quam secundum Principia Wolfii primus in Transylvania tradere coepit.


UTL AT DOWNSVIEW
D RANGE BAY SHLF POS ITEM C
39 10 05 20 05 013 2